THEOLOGIA MORALIS

AUCTORE

ERNESTO MÜLLER,

SS. THEOLOGIAE DOCTORE, CANONICO ECCLESIAE METROPOLITANAE VINDOBONENSIS, SEMINARII CLERIC. RECTORE, ET THEOLOGIAE MORALIS IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORE EMERITO.

EDITIO ALTERA, EMENDATA ET AUCTA.

LIBER II.



VINDOBONAE.
SUMPTIBUS MAYER ET SOC.
MDCCCLXXIII.

CONSPECTUS

RERUM, QUAE IN HOC LIBRO PERTRACTANTUR.

Liber secundus.

De virtutibus christianis, deque vitiis oppositis, specialiter consideratis

pag.
§. 1. Ingressio et conspectus dicendorum 1

Titulus I.

De virtutibus, in quantum pertinent ad omnes hominum status.

Tractatus I.

De virtutibus theologicis et vitiis oppositis.

Sectio I.

De fide theologica et vitiis contrariis.

pag.
A. De fide theologica.
§. 2. De fidei theolog. indole, ejus a scientia naturali distinctione, ac divisione 3
§. 3. De motivis credibilitatis . . 14
§. 4. De fidei certitudine et evidentia 19
§. 5. De fidei proprietatibus . . 24
§. 6. De necessitate fidei quoad habitum et actum internum 27
§. 7. De necessitate fidei quoad actum externum 35
B. De vitiis fidei oppositis.
§. 8. De his vitiis in genere . . . 39
§. 9. De Paganismo et Judaismo 41
§. 10. De haeresi 42
§. 11. De lectione librorum prohibitorum 48
§. 12. Praeclara utiliaque ss. Patrum de fide divina eloquia 55

Sectio II.

De spe theologica et vitiis oppositis.

pag.
§. 13. De spei theol. natura et actibus 56
§. 14. De ejusdem necessitate . . 60
§. 15. De vitiis huic virtuti oppositis 61
§. 16. Cohortatio s. Bernardi ad spem christianam 64

Sectio III.

De charitate et vitiis oppositis.

	pag.
§. 17. Notiones praeviae	65
§. 18. De charitatis notione, objecto materiali et formali	66

CAPUT I.

De charitate erga Deum.

	pag.
§. 19. De actibus charitatis erga Deum	68
§. 20. De comparatione amoris benevolentiae ad amorem concupiscentiae	74
§. 21. De amore amicitiae	78
§. 22. De necessitate charitatis	80
§. 23. De vitiis charitati erga Deum oppositis	83

CAPUT II.

De charitate erga nos ipsos.

	pag.
§. 24. De obligatione nosmetipsos diligendi propter Deum	86
§. 25. De peccatis charitati erga nos oppositis	88

CAPUT III.

De charitate erga proximum.

	pag.
A. De praecepto charitatis erga proximum.	
§. 26. De hoc praecepto in genere	91
§. 27. De praecepto charitatis erga inimicos	93
§. 28. De praecepto charitatis quoad ordinem diligendorum	97
B. De operibus misericordiae ex charitate implendis.	
§. 29. De his operibus in genere	104
§. 30. De eleemosyna	105
§. 31. De correctione fraterna	110
C. De peccatis charitati erga proximum oppositis.	
§. 32. De odio proximi	116
§. 33. De invidia	118
§. 34. De discordia et contentione	121
§. 35. De scandalo	122
§. 36. De cooperatione ad aliorum peccata	129
§. 37. Cohortatio s. Augustini ad Deum et proximum diligendum	134

Tractatus II.

De virtutibus cardinalibus, ceterisque moralibus, quae iis sunt adnexae.

§. 38. Conspectus dicendorum 136

Sectio I.

De virtutibus justitiae adnexis, deque justitia ipsa.

CAPUT I.

De virtute religionis et vitiis oppositis.

Distinctio I.

De virtute religionis.

	pag.
A. De virtute religionis in se spectata.	
§. 39. De religionis natura et praestantia	137
§. 40. De ejusdem necessitate	139
B. De actibus religionis.	
I. De devotione.	
§. 41. De devotione in genere	141
§. 42. De devotione erga ss. Cor Jesu	142
§. 43. De devotione erga purissimum Cor B. Mariae Virginis	151
II. De adoratione Dei, et cultu B. V. M. atque Sanctorum.	
§. 44. Notiones praeviae	153
§. 45. De cultu latriae	153
§. 46. De cultu hyperduliae	154
Pia s. Anselmi precatio	156
§. 47. De cultu duliae	157
III. De oratione.	
§. 48. Orationis notio, divisio, necessitas	158
§. 49. Orationis effectus	162
§. 50. B. Maria Virgo, thesauraria et erogatrix divinarum gratiarum	166
SS. Mater tamquam aquaeductus a s. Bernardo celebrata	171
IV. De voto.	
§. 51. Voti definitio et partitio	172
§. 52. De conditionibus ad votum requisitis	174
§. 53. De obligatione voti	180
§. 54. De voti extinctione 1. ex causis intrinsecis	185
§. 55. De voti extinctione 2. ex causis extrinsecis	187
De commutatione votorum	187
§. 56. De dispensatione votorum	189
§. 57. De irritatione votorum	193
V. De juramento.	
§. 58. Juramenti definitio, divisio, honestas	196
§. 59. De conditionibus ad juramentum requisitis	200
§. 60. De obligatione juramenti promissorii	203
§. 61. De cessatione obligationis, quae ex juramento oritur	207
VI. De adjuratione.	
§. 62. Ejus conditio et usus	208
VII. De sanctificatione festorum.	
§. 63. De fine et institutione dierum festorum	211
§. 64. De praecepto sanctificandi festa	213
§. 65. De obligatione audiendi Missam	216
§. 66. De causis a Missae auditione excusantibus	221
§. 67. De obligatione abstinendi ab operibus servilibus	223

Distinctio II.

De vitiis religioni oppositis.

	pag.
A. De superstitione.	
I. De superstitione in genere.	
§. 68. Ejus notio et partitio	230
§. 69. De daemonum ad superstitionis peccata cooperatione	231
II. De praecipuis superstitionis speciebus.	
§. 70. De idololatria	239
§. 71. De vana observantia	241
§. 72. De divinatione	245
§. 73. De magia et maleficio	249
§. 74. De mesmerismo et somnambulismo magnetico	250
§. 75. De spiritismo	259
B. De irreligiositate.	
§. 76. De tentatione Dei	263
§. 77. De vana ss. nominis Dei usurpatione et de blasphemia	265
§. 78. De sacrilegio	268
§. 79. De simonia	272
§. 80. Epilogus. Ex s. Augustino	281

CAPUT II.

De virtutibus justitiae adnexis, quae Deum pariter ac hominem respiciunt.

pag.
§. 81. De humilitate 282
§. 82. De superbia 286
S. Augustinus de necessitate humilitatis 288
§. 83. De obedientia et vitiis oppositis 289
S. Greg. M. in obedientiae commendationem 294
§. 84. De gratitudine cum vitiis oppositis 294
Admonitio s. Bonaventurae ad gratitudinem 298

CAPUT III.

De virtutibus justitiae adnexis, quae inter homines servari debent.

pag.
§. 85. De pietate et observantia . . 299
§. 86. De veracitate 301
§. 87. De mendacio 302
§. 88. De restrictione mentali . . 304
§. 89. De secreti violatione . . . 307
§. 90. De affabilitate 308
§. 91. De liberalitate 309

CAPUT IV.

De virtute justitiae.

Disputatio I.

De justitia et jure.

Distinctio I.

De justitia et jure in genere.

pag.
§. 92. De notione et divisione justitiae 311
§. 93. De jure 313
§. 94. Juris ad officium relatio et ultima ratio 315
§. 95. De obligatione justitiae . . 316

Distinctio II.

De dominio, praecipua juris specie.

§. 96. Notiones praeviae 318

Articulus I.

De objecto, subjecto et acquisitione dominii.

pag.
A. De objecto dominii.
§. 97. De dominio hominis quoad bona ipsius intrinseca et extrinseca 319
§. 98. De dominio hominis in alios homines 324
B. De subjecto dominii.
§. 99. Veritas praevia 326
§. 100. De dominio clericorum . . 326
§. 101. De dominio filiorum et uxorum 333
C. De acquisitione dominii.
§. 102. De occupatione 334
§. 103. De inventione 335
§. 104. De accessione 336
§. 105. De praescriptione 336

Articulus II.

De contractibus.

pag.
§. 106. Notio et divisio contractus 337
A. De contractibus in genere.
§. 107. De objecto contractus . . 338
§. 108. De subjecto contractus . . 340
§. 109. De forma externa contractuum 343
B. De contractibus in specie.
I. De contractibus gratuitis.
§. 110. De promissione 344
§. 111. De donatione, commodato et deposito 345
§. 112. De mutuo 346
§. 113. De montibus pietatis . . . 351
§. 114. De testamento 352
II. De contractibus onerosis.
§. 115. De venditione 355
§. 116. De retrovenditione, mohatra, monopolio 358
§. 117. De venditione per proxenetas 360
§. 118. De venditione sub hasta . 361
§. 119. De ludo, sponsione et loteria 362

Disputatio II.

De violatione justitiae.

pag.
§. 120. Peccata justitiae opposita . 364
§. 121. Injuriae notio et partitio . 364

Articulus I.

De injuriis in bonis corporis.

pag.
§. 122. De suicidio 366
§. 123. De occisione proximi . . 368
§. 124. De occisione malefactoris . 369
§. 125. De occisione injusti aggressoris 371
§. 126. De procuratione abortus 376
§. 127. De duello 377
§. 128. De bello 381

Articulus II.

De injuriis in bonis famae, honoris et fortunae.

pag.
Praenotanda 385
§. 129. De dubitatione et suspicione temeraria, deque judicio temerario 385
§. 130. De detractione 387
§. 131. De contumelia 394
§. 132. De furto 395
§. 133. De causis a furto excusantibus 399

Disputatio III.

De reparatione juris violati seu restitutione.

§. 134. De obligatione restitutionis 403

Distinctio I.

De restitutione in genere.

Articulus I.

De radicibus restitutionis.

A. De acceptione rei alienae. pag.

§. 135. Veritates praeviae notandae 405
§. 136. De possessore bonae fidei 406
§. 137. De possessore malae fidei 409
§. 138. De possessore dubiae fidei 413

B. De injusta damnificatione.

§. 139. Obligatio damni reparandi 415

C. De injusta cooperatione. pag.

§. 140. Praenotanda 422
§. 141. De mandante 422
§. 142. De consulente 424
§. 143. De consentiente, palpone et recursum praebente . . 426
§. 144. De participante 428
§. 145. De mutuo, non obstante et non manifestante . . . 431

Articulus II.

De circumstantiis restitutionis, et causis ab ea excusantibus.

pag.

§. 146. Quantum est restituendum 433
§. 147. Cui restituendum 436
§. 148. Quo ordine restituendum . 438
§. 149. Quo modo restituendum . . 442
§. 150. Quando restituendum . . . 444
§. 151. Causae a restitutione excusantes 445

Distinctio II.

De restitutione in specie.

pag.

§. 152. De restitutione ob damnum in bonis animae 447
§. 153. De restitutione ob homicidium 449
§. 154. De restitutione ob stuprum et adulterium 450
§. 155. De restitutione ob damnum in bonis famae et honoris 453
§. 156. De restitutione ob tributa defraudata 456
§. 157. De restitutione ob damnum occasione militiae illatum 458

Epilogus.

§. 158. S. Ambrosius de justitiae nobilitate 459

Sectio II.

De fortitudine et virtutibus ei adnexis.

pag.

§. 159. De fortitudine 460
Incitatio s. Basilii ad fortitudinem 463
§. 160. De magnanimitate 464
§. 161. De patientia 466
S. Cyprianus de bono patientiae 468
§. 162. De perseverantia 469
S. Bernardi de perseverantia admonitio 469

Sectio III.

De temperantia et virtutibus ei cognatis.

A. De temperantia. pag.

§. 163. Ejus notio et divisio . . 470
§. 164. De abstinentia et sobrietate juxta legem naturalem servanda 471
§. 165. De jejunio ecclesiastico . 472
§. 166. De causis a jejunio excusantibus 481
§. 167. De abstinentia a carnibus extra jejunium 484
§. 168. Concilii Prov. Vienn. commonitio 487
§. 169. De gula 487
§. 170. De castitate 490
§. 171. De luxuria 494
§. 172. Verba exhortatoria s. Augustini ad pudicitiam . . 498

B. De virtutibns temperantiae adnexis.

§. 173. De mansuetudine 500
§. 174. De clementia 503
§. 175. De studiositate 504
S. Bernardus de recto sciendi modo 506
§. 176. De modestia 507
§. 177. De eutrapelia 509

Sectio IV.

De prudentia et vitiis oppositis.

pag.

§. 178. De prudentia 510
§. 179. De vitiis prudentiae oppositis 511
Officium prudentiae a B. Alberto M. recensitum . 512

Titulus II.

De virtutibus, quatenus pertinent ad peculiares hominum status.

§. 180. Ordo dicendorum 513

Tractatus I.

De obligationibus eorum, qui in statu perfectionis versantur.

§. 181. Obligatio communis et specialis tendendi ad perfectionem 513

Sectio I.

De obligationibus clericorum.

CAPUT I.

De obligationibus communibus clericorum.

A. De obligationibus positivis. pag.

§. 182. De clericorum sanctitate . 515
§. 183. De coelibatu 519
§. 184. De horis canonicis 524
§. 185. Incitamenta fervoris in Officio divino recitando . . . 534
§. 186. De habitu et tonsura clericali 537

B. De obligationibus negativis.

§. 187. Artes et officia clericis prohibita 537
§. 188. Actiones clericis interdictae 538

CAPUT II.

De obligationibus specialibus clericorum.

	pag.
§. 189. De obligationibus episcoporum	540
§. 190. De obligationibus canonicorum	542
§. 191. De obligationibus parochorum	543
§. 192. Cohortatio s. Gregorii M. ad animarum pastores	546

Sectio II.

De obligationibus religiosorum.

	pag.
§. 193. De natura status religiosi	547
§. 194. De obligationibus religiosorum	549
§. 195. Religiosi apte dentibus a sancto Bernardo comparantur	551

Tractatus II.

De obligationibus eorum, qui in statu vitae communis versantur.

A. De obligationibus in statu conjugali et parentali.

	pag.
§. 196. De obligationibus conjugum	553
§. 197. De officiis parentum et filiorum	554

B. De obligationibus in statu herili.

	pag.
§. 198. De officiis dominorum et famulorum	559

C. De obligationibus in statu forensi.

§. 199. De officiis judicis et rei	560
§. 200. De officiis advocati et testis	562

Conclusio.

§. 201. Ex sancti Ambrosii Sermone duodecimo in Psalmum CXVIII.	563

Liber secundus.

De virtutibus christianis, deque vitiis oppositis specialiter consideratis.

§. 1.

Ingressio et conspectus dicendorum.

1. — „Animae, quae plena est pietate atque justitia, dicit Deus: *Ecce ego, Hierusalem, pinxi muros tuos.* Illa anima a Deo pingitur, quae habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis. Illa anima bene picta est, in qua elucet divinae operationis effigies. Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriae, et paternae imago substantiae. Secundum hanc imaginem, quae refulget, pretiosa pictura est. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum: sed ubi lapsus est, deposuit imaginem coelestis, sumsit terrestris effigiem. Sed fugiamus hanc imaginem, quae intrare civitatem Dei non potest, quia scriptum est: *Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihil rediges.* Psalm. 72. 20. *Non intrabit in eam omne commune, et faciens execrationem et mendacium.* Apoc. 21. 27., sed ille intrabit in eam, cujus in fronte agni nomen scriptum est.“ Ita praeclare s. Ambrosius. [1])

Virtutes, quibus anima exornatur et Christi, coelestis hominis, imago redditur, porro peccata, quibus anima deturpatur terrenique hominis imago efficitur (1. Cor. 15. 49.), in praecedenti Libro gene-

[1]) Hexaëmeron Lib. VI. cap. 7. n. 42.

raliter consideravimus. Necesse vero est, singulas virtutes, et singula eis opposita vitia accurate inspicere ad probe cognoscendum, quid vitare, quidque facere debeamus, ut Christus in nobis formetur, nosque ipsius imaginem portemus (1. Cor. 15. 49.), atque ad gloriam similem gloriae ipsius perveniamus.

2. — Sic autem divi Thomae vestigiis arcte inhaerentes in illarum rerum expositione progrediemur, ut *primo* de virtutibus, in quantum pertinent ad omnes hominum status, et *secundo* de virtutibus, in quantum pertinent ad quosdam hominum status, peccatis et vitiis contrariis adnexis, sermonem simus habituri.

TITULUS I.

De virtutibus, in quantum pertinent ad omnes hominum status.

Cum virtutes aliae sint theologicae, aliae morales, inter quas eminent cardinales, ideo agemus 1. de virtutibus theologicis, 2. de virtutibus cardinalibus ceterisque moralibus, quae illis sunt adnexae.

Tractatus I.

De virtutibus theologicis et vitiis oppositis.

In disputatione de his virtutibus proceditur per tres Sectiones, quae sunt 1. de fide, 2. de spe, 3. de charitate.

Sectio I.

De fide theologica et vitiis ei oppositis.

A. De fide theologica.

Sermonem instituemus 1. de fidei theologicae indole, ejusque a scientia naturali distinctione, atque ejusdem divisione, 2. de motivis credibilitatis, 3. de fidei certitudine et evidentia, 4. de fidei proprietatibus, et 5. de ejus necessitate.

§. 2.

De fidei theologicae indole, ejus a scientia naturali distinctione, atque divisione.

1. — Omnis hominum cognitio est vel immediata vel mediata. *Immediata* cognitio dicitur visio, quae est vel sensitiva per

sensus, nempe cognitio rerum sensibilium, vel intellectualis ope intellectus, nimirum cognitio principiorum per se notorum. [1])

Mediata cognitio pariter duplex est, videlicet aut procedit per conclusiones ex principiis intellectus per se notis seu visis (perspectis), et haec est scientia, [2]) aut auctoritati alterius loquentis innititur sine rei visione, et haec cognitio fides vocatur. [3])

Hinc *fides in genere* est assensus rei cuidam praestitus ob auctoritatem loquentis. Duplex est, videlicet si assensus fit propter auctoritatem hominis, fides est *humana;* si propter auctoritatem Dei, fides est *divina.* [4])

2. — *Fides divina seu theologica est virtus supernaturalis, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.* Sic Concilium Vaticanum Sess. III. cap. 3. contra nonnullos nostrae aetatis errores fidem definit, cujus indolem subinde uberius adhuc declarat, eam potissime considerando, prout a scientia naturali distinguitur. Hinc Concilii doctrinae fideliter inhaerendo eodem sub respectu fidei divinae indolem explicare intendimus, equidem considerando 1. *objectum materiale* fidei (id, quod credendum est), 2. *objectum formale* fidei (motivum, quo inducimur ad credendum), et 3. *subjectum* fidei (potentiam, in qua virtus fidei residet et ex qua actus fidei procedit): in his enim punctis fides essentialiter differt a scientia rationali seu naturali. Praemittere

---

[1]) S. Thomas: „Illa videri dicuntur, quae per se ipsa movent intellectum nostrum, vel sensum ad sui cognitionem.“ 2. 2. q. 1. a. 4. c.

[2]) Idem dicit: „Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, et per consequens visa: et ideo oportet, quaecunque sunt scita, aliquo modo esse visa.“ 2. 2. q. 1. a. 5. c.

[3]) S. Augustinus: „Quod intelligimus, debemus rationi, quod credimus, auctoritati.“ De utilitate credendi cap. 11. n. 25. Discrimen inter „credere“ atque „videre“ multis sapienter explanat in Epist. 147. (alias 112).

[4]) Ceterum fidei nomen etiam alio et quidem multiplici sensu in s. scriptura et a ss. Patribus accipitur. Alexander de Hales in 3. p. q. 64. membr. 1. undecim fidei acceptiones enumerat. S. Bonaventura in 3. p. Dist. 23. dub. 2. ad literam, decem ponit. Vega de Justificatione q. 1. novem significationes adducit. (Suarez De fide, Diss. prooemalis Sect. 1. n. 1). Magis consuetae fidei acceptiones sunt sequentes. Accipitur fides 1) pro fidelitate in servandis promissis Rom. 3. 3., 2) pro conscientia seu firma persuasione Rom. 14. 23, 3) pro fiducia Jac. 1. 6., 4) pro argumento fidei *Act. Apost.* 17. 31., 5) pro doctrina fidei, ut in Symbolo s. Athanasi: *haec est fides catholica* etc., atque 6) postremo pro assensu rei cuidem praestito ob auctoritatem loquentis, ut supra proposuimus.

autem juvabit errores, quibus doctrina catholica opponitur, ut haec ipsa clarius innotescat.

A. Errores.

3. — Quod 1. *objectum materiale* fidei theologicae attinet, nonnulli in Germania docuerunt Theologi, subjectionem, quae fidei divinae actu praestari debet, limitandam esse ad ea, quae expressis Conciliorum aut Romanorum Pontificum decretis sunt definita. [1]) Quod dein attinet ipsa fidei dogmata, Semirationalistae nostrae aetatis negant, in revelatione divina contineri vera mysteria, dum *alii* dicunt, omnes veritates revelatas, postquam historice innotuerunt, per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari seu reconstrui posse; *alii* veritates revelatas in duplicem classem distinguunt, quarum aliae fundamentum habeant in liberis Dei consiliis (v. g. Sacramenta), aliae in se sint necessariae ex ipsis rerum essentiis (e. g. mysterium SS. Trinitatis), quas ex principiis lumine rationis perspectis demonstrari posse affirmant.

2. Quoad *objectum formale* fidei theologicae Semirationalistae, inter quos praecipue Hermes, [2]) docent, omnem firmam persuasionem de Deo et de rebus divinis esse fidem illam, a qua fideles denominantur, etiamsi motivum amplectendi et tenendi veritatem non sit auctoritas Dei, sed intrinseca perspectio veritatis seu intrinsecus idearum nexus naturali lumine rationis perspectus, ita ut fides sit persuasio necessaria inducta rationibus cogentibus, quae necessitas assensus si desit, putant non aliud remanere, quam vanam credulitatem, etiamsi forte per accidens verum sit, quod creditur.

Ceterum jam Manichaei teste s. Augustino [3]) *prius volebant intelligere, ut postea, si liberet, crederent.* Abaelardus dixit: *Non credendum, nisi prius intellectum.* [4]) Imo haeretici omnes in eo differunt a catholicis, quod illis fidei ratio, ut ipsis placet, est perspicuitas; catholicis est auctoritas divina; haeretici sibi, catholici Deo innituntur. [5])

3. Quod *subjectum fidei* attinet, Semirationalistae paulo ante commemorati, quum rationem, qua inducamur ad credendam, repo-

---

[1]) Praesertim Frohschammer Athenäum B. I. S. 308.

[2]) Philos. Einl. §. 44.

[3]) De utilitate credendi cap. 1. n. 2.

[4]) Introd. ad Theolog. II. 3. Vid. s. Bernardus: Tract. in erroribus Abaelardi (al. epist. 190.) cap. 1. n. 1. Epist. 191.

[5]) S. Augustin.: De utilitate credendi cap. 9. n. 21. — Suarez: Lib. II. de gratia cap. 10. n. 5.

nant in ipsius veritatis credendae perspectione, consequenter duos alios statuunt errores: a) assensum fidei nullatenus a libera voluntate pendere, sed omnino necessarium esse, videlicet argumentis rationis humanae cogentibus productum, et b) gratiam divinam ad eliciendum fidei actum nullo modo esse necessariam. Imprimis in doctrina Hermesiana distinguitur „*fides cognitionis*“ i. e. fides, qua assensus praestatur veritati, et „*fides cordis*“ i. e. fides, quae per charitatem operatur. Fides cognitionis dicitur consistere „in consensu necessario, qui inducitur per argumenta pro veritatibus religionis christianae, et in necessaria (coacta) persuasione de veritate demonstrata.“ Fides autem cordis dicitur liberae voluntatis esse, consistens in omnimoda resignatione in Deum ac res divinas. [1] Porro Hermes docet, quoad fidem cognitionis, quum oriatur necessario, *nec sermonem esse posse de necessitate gratiae actualis;* porro illam fidem *ne mediate quidem salutarem* esse. [2]

Jam Semipelagiani distinxerunt inter fidem seu initium fidei et inter opera bona seu vitae sanctitatem; et cum ad initium fidei gratiam necessariam esse negarent, ideo haereseos damnati sunt ab universa Ecclesia.

B. Doctrina catholica.

I. Objectum materiale fidei divinae.

4. — Primarium objectum est ipse Deus, summa veritas, secundarium sunt veritates aliae omnes a Deo nobis revelatae. [3] Dicit Concilium Vaticanum Sess. III. cap. 3., cujus verba jam supra in definitione fidei allata sunt, fidem esse virtutem supernaturalem, qua — *a Deo revelata vera esse credimus.*

Ecclesia autem catholica de veritatibus revelatis nos infallibiliter certos reddit, enimvero Ecclesiae infallibilis auctoritas est proxima fidei regula, qua nobis omnimoda certitudine constat de veritatibus a Deo revelatis. Cf. Lib. I. §. 3. Quare Concilium Vatic. in eodem cap. 3. ulterius docet: „*Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali*

[1] Dogmat. III. §. 282. et seq.

[2] Dogmat. P. III. §. 285.

[3] Apposite s. Thomas observat: „Si vero consideremus materialiter ea, quibus fides assentitur, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia, quae tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum.“ 2. 2. q. 1. a. 1. De veritate q. 14. a. 8.

magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.“ In quibus verbis duo praesertim observanda: 1. dicitur, *fide divina et catholica* esse credenda. Distinguitur enim fides divina et catholica, et fides simpliciter divina. Porro a) fides divina et *catholica* dicitur, quae debet esse in omnibus fidelibus, fides communis et universalis omnibus, pro objecto habens id omne a Deo revelatum, quod ipse Ecclesiae suae commisit proponendum omnibus fidelibus. b) Fides simpliciter *divina* vocatur, quae debet esse in eo, cui revelationes privatae seu peculiares a Deo factae sunt, nec non in illo, ad quem hujusmodi revelationes diriguntur, dummodo proponantur cum sufficientibus argumentis; quales sunt revelationes s. Birgittae. Illi igitur soli revelationes privatas fide divina credere debent, quin ad eam propositio Ecclesiae essentialis vel necessaria sit. [1] Neque Ecclesia revelationes privatas tamquam fidei dogmata credendas omnibus fidelibus proponit; sed dum illas interdum approbat, solum declarat, nihil in ipsis contineri, quod fidei vel bonis moribus adversetur, imo illas esse pias et absque ulla superstitione recipi posse; quocirca salva fide ab eis recedere licet, dummodo cum debita moderatione, non sine ratione et citra contemtum fiat, ut P. M. Benedictus XIV. docet. [2]

2. Dicitur, *fide divina et catholica* ea omnia credenda esse, quae — *ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.* a) Sub *solemni Ecclesiae judicio* veniunt expressae Conciliorum aut Romanorum Pontificum definitiones; b) sub *ordinario et universali Ecclesiae magisterio* intelligitur magisterium totius Ecclesiae per orbem dispersae, nempe Romanus Pontifex et episcopi in unione et consensione cum ipso. Igitur non ea tantum, quae expressis Conciliorum aut Romanorum Pontificum decretis sunt definita, sed ea quoque credenda sunt, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a theologis catholicis ad fidem pertinere traduntur. Quod jam pridem P. M. Pius IX. in ep. ad arch. Monac. et Fris. die 31. Dec. 1863. datis edixit. Ratio autem evidens est; siquidem Ecclesiam docentem in universali et consentiente praedicatione do-

[1] Perrone: De virt. theolog. n. 190. 256. et 257. Schouppe: Elementa Theol. Dogm. Tom. II. Tr. XVIII. De fide n. 112. et 134.

[2] De Servorum Dei Beatif. etc. Lib. III. cap. ult. n. 15. — Lectu digna invenies in eph. *Der Katholik.* 1870. B. II. Ueber mystische Erscheinungen.

ctrinae de fide et moribus ita infallibilem esse constat, prout est in solemnibus judiciis seu definitionibus ejusdem doctrinae. — Jam vero per praefatam Concilii Vaticani declarationem proscribitur error supra n. 3. notatus illorum Theologorum, qui obsequium fidei limitandum esse dixerunt ad ea, quae expressis Conciliorum aut Romanorum Pontificum decretis sunt definita. [1])

5. — *Discrimen fidei theologicae a scientia naturali quoad objectum materiale.* Hoc objectum, ut vidimus, constituunt omnia a Deo revelata, inter quae utique etiam habentur veritates rationi perviae, ideo a Deo revelatae, quia paucis ex ratione innotescunt, [2]) porro quia sunt praeambula fidei, [3]) quia denique earum quoque fides ad salutem aeternam requiritur. [4]) Potissime autem et principaliter in revelatione divina continentur veritates supraratiouales, quae per rationem nec inveniri neque ipsa divina relatione ac fide cognitae per rationem perspici seu comprehendi possunt, seu sunt „*mysteria*, quae, docente Concilio, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt, et ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta manent, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino." Sess. III. cap. 4. Atque in revelatione divina vera et proprie dicta mysteria contineri, idem Concilium Sess. III. can. 1. *de fide et ratione* dogmatice definivit, errorem contrarium Semirationalismi supra n. 3. relatum solemniter damnando. — Exinde autem discrimen fidei theologicae a scientia rationali seu naturali evidens fit, cum ad scientiae rationalis seu naturalis ambitum ea tantum pertinent, ad quae naturalis ratio pertingere seu quae ratio humana cognoscere et perspicere potest ex principiis per se notis. Dicit Angelicus Doctor: „*Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, et per consequens visa: et ideo oportet, quaecunque sunt scita, aliquo modo esse visa.*" [5]) „*Deficit fides a scientia in eo, quod non habet visionem.*" [6]) Ideo P. M. Pius IX. in Syllabo n. 9. proscripsit errorem:

---

[1]) Praeclare non minus quam copiose veritatem contra adversarios propugnat cl. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit. I. B. 1. Abh. Hauptst. 2. Münster 1867. 2. Aufl.

[2]) S. Thom.; 2. 2. q. 2. a. 4., 1. q. 1. a. 1.

[3]) Idem 1. q. 2. a. 2. ad 1.

[4]) Hebr. 11. 6. „*Credere enim oportet accedentem ad Deum; quia est,*" seu existit; quamvis ipsa ratio hanc veritatem perspiciat.

[5]) 2. 2. q. 1. a. 5. c.

[6]) 1. 2. q. 67. a. 3. c. Praeclare s. Bernardus ait: „*Fides est voluntaria quaedam et certa praelibatio necdum pro-*

Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae.

II. Objectum formale fidei divinae seu theologicae.

6. — Hoc consistit in auctoritate Dei revelationis, qui nec falli nec fallere potest, ut definivit Conc. Vatic. Sess. III. cap. 3. verbis supra n. 2. relatis et can. 2. *de fide.* Haec Dei auctoritas est summa ipsius scientia et veracitas, pro qua nec falli neque fallere potest. Porro auctoritas Dei revelantis, nempe ipsius scientia et veracitas infinita, est motivum fidei theologicae, prout non solo lumine naturae, sed lumine revelationis cognoscitur, nec sufficit naturalis ejus cognitio ad eliciendum fidei theologicae actum, ut Theologi communiter docent, [1]) et exinde patet, quod causa debet esse proportionata effectui, ac proinde sicut actus fidei est supernaturalis, etiam motivum ejus debet esse supernaturale; et alioquin Deus eo ipso, quod aliquid revelat, implicite saltem, suam scientiam et veracitatem revelat.

Motivum fidei theologicae aliis verbis dici potest *testimonium Dei, verbum Dei* (1. Joa. 5. 9. 1. Thess. 2. 13.). Ideo enim credimus, quia movemur auctoritate Dei loquentis, auctoritas autem divina necessario inhaeret locutioni Dei, testimonio divino. Credimus veritates divinitus revelatas, et ideo eas credimus, quia novimus eas a Deo esse revelatas. Credimus verbum Dei, quia est verbum Dei. [2])

Auctoritas Ecclesiae formale objectum fidei theologicae non est, nisi in ea spectetur vel supponatur (ut supponi debet) Deus ipse auctoritate sua quasi loquens (Lib. I. §. 3.), ita ut saltem implicite fides in Deum resolvatur atque in Deo conquiescat. [3]) Atque ideo s. Augustinus considerans Ecclesiam, prout in ea est auctoritas divina proponens veritates fidei credendas, effatus est: „*Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas.*" [4])

7. — *Discrimen fidei theologicae a scientia naturali respectu motivi.* Scientiae hujusmodi ratio formalis, qua nempe scitur, est

---

palata veritatis. Intellectus est rei cujuscunque invisibilis certa et manifesta notitia." De Consider. Lib. V. cap. 3. n. 6.

[1]) Vid. Perrone: De virtut. theolog. n. 157. Ratisb. 1865.

[2]) Perrone op. c. n. 158. Schouppe op. c. Tom. II. Tr. XVIII. de fide n. 154. et 155. Kleutgen: Die Theol. der Vorzeit. III. B. 2. Th. Abth. 3. Hauptst. 2.

[3]) Vid. Suarez: De fide Disp. III. Sect. 10. n. 10.

[4]) Contra epist. Fundamenti cap. 4. n. 5.

naturalis evidentia veri seu ut dicere solent, intrinseca veritatis perspectio (die innere Einsicht in die Wahrheit), per efficaciam demonstrationis ex principiis rationis per se notis. Sic e. g. demonstrationi geometricae assentior, quia rem ita esse video seu perspicio. Ratio autem, qua proxime et praecipue inducimur ad credendum, est auctoritas Dei revelantis, nullatenus autem intrinseca rerum veritas naturali rationis lumine perspecta. Et haec veritas de fide est, definita a Conc. Vatic. Sess. III. cap. 3. supra n. 1. relato et can. 2. de fide, qui sic sonat: *„Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.“* Per hoc dogma exploditur error Semirationalismi et haereticorum omnium n. 3. commemoratus.

Facile autem dogmatica Concilii definitio ex fontibus revelationis probari potest: 1) quidem ex s. scriptura. Juxta Apostoli doctrinam oportet *captivari intellectum in obsequium Christi* 2. Cor. 10. 5., quae autem esset captivitas intellectus, si ideo veritatibus fidei assensum praeberet, quia eas perspicere autumaret? Idem dicit, fideles *accepisse verbum auditus Dei non ut verbum humanum, sed sicut est vere, verbum Dei* 1. Thess. 2. 13. i. e. credidisse verbum Dei et propter Dei verbum, ergo propter auctoritatem Dei revelantis. — 2) Ex Traditione. S. Leo ait: *„Divina est auctoritas, cui credimus.“* [1]) S. Augustinus confidenter dicit: *„Si Christo etiam credendum negant, nisi indubitata ratio reddita fuerit, christiani non sunt.“* [2]) S. Bernardus contra Abaelardum observat: *„Quid magis contra fidem, quam credere nolle, quicquid non posset ratione attingere?“* [3]) Sic et alii ss. Patres. [4]) Doctor Angelicus tradit: *„Fides innititur veritati divinae, tria autem praedicta* (sapientia, scientia et intellectus) *innituntur rationi humanae.“* [5]) Hinc est, quod jam P. M. Pius IX. in encycl. die 9. Nov. 1846. monuit: *„— cum sanctissima nostra religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime patefacta, tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex ejusdem Dei loquentis auctoritate*

[1]) Serm. 7. de Nativ. Domini.
[2]) De utilitate credendi cap. 4. n. 32.
[3]) Tract. de erroribus Abaelardi cap. 1. n. 1.
[4]) Vid. Denzinger: Vier Bücher von der Rel. Erk., II. B. S. 471—479.
[5]) 2. 2. q. 4. a 8. c.

omnem suam vim acquirere, neque ab humana ratione deduci aut perfici umquam posse.“

III. Subjectum fidei divinae.

8. — *Actus fidei theologicae est actus intellectus a Deo per gratiam illustrati, procedens ex imperio voluntatis a Deo per gratiam excitatae et adjutae.* Actus fidei est I. *actus intellectus,* seu subjectum fidei est intellectus, quia objectum fidei est veritas, quae spectat ad intellectum. Ita cum d. Thoma [1]) omnes Doctores catholici tradunt contra reformatores, qui dixerunt, fidem esse actum voluntatis, nempe fiduciam de divina misericordia propter Christi merita. [2]) Et Concilium Vaticanum Sess. III. cap. 3. docet, quod „plenum revelanti Deo *intellectus* et voluntatis obsequium fide praestare tenemur.“ — Sed actus fidei II. simul est *actus voluntatis,* nempe ex imperio voluntatis procedens, seu fidei subjectum est voluntas. Cum enim veritates fidei non sint evidentes, sed obscurae, intellectus non rapitur ad assentiendum illis; ac proinde requiritur quaedam pia affectio et obedientia voluntatis erga Deum revelantem, efficaci sed libero imperio intellectum inclinantis ad assensum veritatibus revelatis ob Dei revelantis auctoritatem praestandum. Ideo Concil. Vat. dicit, quod revelanti Deo intellectus et *voluntatis* obsequium fide praestare tenemur. Et Sess. III. can. 5. *de fide,* definivit: *„Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci, — anathema sit.“* Id ipsum confirmatur verbis Apostoli: *„Corde creditur ad justitiam.“* Rom. 10. 10. In eundem sensum ss. Patres et Theologi conveniunt. [3]) Qua veritate dogmatica excluditur error Semirationalismi negantis, assensum fidei a libera voluntate pendere, coll. n. 3. — Tandem III. ad actum fidei exigitur *gratia actualis intellectum illustrans, et voluntatem excitans atque adjuvans.* Quae assertio de fide est, jam a Conc. Trid. Sess. VI. can. 4. et rursus a Concilio Vaticano definita, quod Sess. III. cap. 3. docet: *„Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati. Quare fides*

[1]) 2. 2. q. 4. a. 2.
[2]) Prolixe Suarez: De fide Disp. V. Sect. 1.
[3]) Eorum multos refert Denzinger op. c. B. II. S. 529.—532.

ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando." Et can. 5. *de fide,* declarat: „*Si quis dixerit, — ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam necessarium esse; anathema sit.*" Quae Concilii oecumenici doctrina opponitur praesertim errori, quem Hermes tradidit coll. n. 3. Abstinemus a probatione veritatis ex fontibus revelationis, cum in Dogmatica habeatur.

9. — *Discrimen fidei divinae a scientia rationali quoad subjectum* ex praemissis facile colligitur: 1. assensus fidei christianae est liber, assensus scientiae non subjicitur libero arbitrio, sed est quodammodo necessarius ob internam veritatis perspectionem. [1]) 2. Ad fidem divinam Dei gratia necessario requiritur, ad scientiam ratio sola pervenire potest.

10. — Restat tantum gravis ponderis quaestio: *An de eadem veritate ab uno eodemque homine fides simul ac scientia haberi possit?*

Ad quam solvendam quaestionem veritates ordinis naturalis et veritates ordinis supernaturalis distinguere debemus.

1. Quod *veritates ordinis naturalis attinet, de his scientia simul atque fides haberi possunt,* quamvis non eodem, tamen diverso actu. Probatur 1., quia istae veritates non tantum ex ratione, sed etiam ex revelatione constant; quam ob rem tam fidei, quam scientiae objectum constituere possunt. Nec dicas, quod scientia evidentiam rei, fides autem obscuritatem habet, porro evidentia et obscuritas simul stare nequeunt. Nam reponendum, quod homo, cum libero arbitrio gaudeat, a rationibus internis, quibus res fit evidens, abstrahere et ex pia erga Deum affectione ob ipsius loquentis auctoritatem veritati assensum praebere, i. e. credere potest. — Probatur 2., quod hujusmodi veritates necessario etiam *debent* credi, ut patet ex verbis Apostoli: „*Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.*" Hebr. 11, 6., nec non ex doctrina ss. Patrum. [2]) Quodsi enim credi *debent,*

---

[1]) S. Thomas dicit: „Ipsum credere est actus intellectus assentientis veritati divinae ex imperio voluntatis motae a Deo per gratiam. Assensus scientiae non subjectus libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis." 2. 2. q. 9. c. et ad 2.

[2]) S. Augustinus: De Civitate Dei Lib. IV. cap. 20. docet, *officium fidei primum et maximum esse, ut in verum credatur Deum.* Idem asserunt *s. Cyrillus Hierosolymit.* in Catech. IV. n. 4. 5. et 6. 5. Joa. Chrysostomus et alii.

profecto, scientia non obstante, credi *possunt.* Idem praeterea Theologi *communius* tradunt. [1])

2. Quod autem veritates *ordinis supernaturalis,* nempe sic dicta mysteria fidei, attinet, duplex scientia distingui potest. a) *Alia* est, qua ex principiis solo rationis lumine perspectis ad mysteriorum existentiam demonstrandam, et eorum essentiam perspiciendam pervenire posse dicatur, acsi essent veritates non superrationales, sed rationales. Haec mere philosophica mysteriorum scientia jam rejecta est a P. M. Gregorio XI. in damnatione sententiae 96. Raimundi Lulli, rursus a P. M. Gregorio XVI. in encycl. die 15. Aug. 1832, et a P. M. Pio IX. in alloc. die 9. Dec. 1854.; [2]) denique reprobatur a Concilio Vaticano Sess. III. can. 1. *de fide et ratione,* ubi enuntiatur: „*Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.*" — b) *Alia* est scientia mysteriorum, quae progreditur ex principiis revelatis et fide creditis, atque inquirit, et ostendit, quomodo doctrinae fidei eo sensu, quo definitae sunt, in fontibus revelationis contineantur, — quae est theologia *positiva;* vel fidei dogmata ex theologia positiva ceu jam probata desumit, ut ea principiis rationis, quoad fieri potest, illustret, suadeat, confirmet ac tueatur, nexus mysteriorum penitius investiget et exponat, conclusiones, quae in illis delitescunt, deducat, sicque aliquam mysteriorum intelligentiam assequatur, — et haec est, theologia *speculativa* seu scholastica (Cf. Lib. I. §. 7. n. 2.). Haec mysteriorum scientia absit, ut ab Ecclesia proscribatur, ut potius semper magni ab ea habita sit (v. Lib. I. §. 6. n. 9.) Et Concilium Vaticanum Sess. III. cap. 4. expresse dicit: „*Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eam-*

---

[1]) Illos refert Denzinger: Vier Bücher von der Relig. Erkenntniss II. Band. S. 516. u. f. Praeprimis Suarez late hanc rem pertractat, si quidem ostendit: 1) Fidei actus cum habitu scientiae stare potest. Disp. III. Sect. 9. n. 4. et 5. — 2) Nec non et habitus fidei cum habitu scientiae *l. c.* n. 6. — 3. Actus fidei stare potest cum actu naturaliter evidenti et scientifico. *l. c.* n. 7. — 4) Quando demonstratio et auctoritas divina simul concurrunt, non producitur actus, qui simul habet formaliter evidentiam scientiae et fidei certitudinem. *ibid*, n. 10. et sq. Nec unus actus, qui fidem et scientiam eminenter contineat *ibid.* n. 13. et sq., sed duo actus distincti, unus fidei, alter scientiae *ibid.* n. 16.

[2]) Vid. Denzinger: Vier Bücher von der Rel. Erkenntniss II. B. S. 116.

que fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo."

11. — Pauca de divisione fidei subdimus. Fides dividitur:

1) In *habitualem* et in *actualem,* quam utramque supra jam definivimus.

2) In *explicitam* et in *implicitam.* Explicita fides illa est, qua aliquod mysterium in se ipso et propriis terminis expressum creditur, v. g. quod Deus est trinus in personis. Implicita fides illa est, qua veritas revelata creditur non in se ipsa et propriis terminis proposita, sed in alia veritate, in qua continetur, v. g. qui credit, quidquid Deus revelavit et Ecclesia credendum proponit, is credit implicite mysterium ss. Trinitatis, quia inter veritates a Deo revelatas, quas Ecclesia docet, continetur.

3) In *formatam,* quae dicitur etiam *fides viva,* et in *informem* quae dicitur etiam *fides mortua.* — Viva est, quae charitatem sibi conjunctam habet. Mortua est, quae charitate destituitur.

§. 3.

De motivis credibilitatis.

1. — Objectum formale seu motivum fidei divinae est auctoritas Dei revelantis, nempe infallibilis ipsius scientia et veracitas, ut superius §. 2. n. 6. probatum est. Ut autem propter auctoritatem Dei revelantis seu loquentis veritates fidei credere possimus, omnino certi esse debemus, Deum esse locutum seu veritates, quae tamquam revelatae proponuntur, Deum revera revelasse; id vero efficitur per *motiva credibilitatis,* quae idcirco praeambulum seu conditionem ad motivum fidei constituunt. *Motiva enim credibilitatis sunt argumenta certissime probantia, Deum esse locutum seu veritates, quas Ecclesia catholica ceu divinitus revelatas praedicat et proponit, revera esse a Deo revelatas, ideoque locutionem et verbum Dei.*

A. Errores.

2. — Valorem et necessitatem motivorum credibilitatis ad amplectendam veram fidem permulti nostra aetate inficiantur.

1. Inter Protestantes praesertim inveniuntur, qui externa criteria ad cognoscendum et probandum factum revelationis divinae idonea, ad quae miracula, prophetiae etc. pertinent, vel penitus rejiciunt, vel solum tamquam subsidia quaepiam fidei admittunt, fide

jam suscepta; atque illorum loco provocant ad *internam experientiam,* ad *sensum religiosum,* ad *testimonium spiritus,* ad *immediatam certitudinem fidei,* ad *indigentiam animi religiosi,* tamquam rationes et motiva, quibus homo inducatur ad religionem christianam ut veram et divinam amplectendam. [1])

2. Non desunt alii, Traditionalistae, qui autument facta illa supernaturalia, miracula et prophetias, non posse intelligi tamquam motiva credibilitatis, nisi fides jam praesupponatur, ideoque ex illis factum revelationis divinae homini, qui fidem nondum suscepit, demonstrari non posse; ac proinde fidem per divinam gratiam produci absque persuasione de revelationis existentia per motiva seu argumenta externa credibilitatis.

B. Doctrina catholica.

3. — Contra hos errores Concilium Vaticanum docet praesto esse argumenta, nempe signa externa, ex quibus evidenter credibilis redditur religio christiana tamquam divinitus revelata. Sic enim Sess. III. can. 3. *de fide,* definivit: „*Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.*" Et can. 4. „*Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse: aut miracula certo cognosci numquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.*" Porro idem Concilium cap. 3. ad argumenta seu criteria, quae christianam fidem et religionem *evidenter* credibilem reddere declarat, imprimis refert *miracula* et *prophetias;* ipsamque *Ecclesiam,* ob manifestas divinae suae institutionis notas et eximias dotes, quibus Christus Dominus eam insignivit, *magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis* esse dicit, ac veluti *signum levatum in nationes,* invitans eos, qui nondum crediderunt, ad fidem amplectendam, et certiores faciens fideles, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Atque ideo unusquisque ex tam multis, tam miris, tam splendidis argumentis luculentissime evinci potest et evinci omnino debet, Deum esse locutum seu Deum esse religionis christianae auctorem, ut eidem

---

[1]) Schleiermacher, Twesten, aliique, quos longo agmine producit vir doctissimus Denzinger: Vier Bücher von der Religiösen Erkenntniss, II. B. S. 291. etc.

rationabile obsequium fidei exhibeat. Ita P. M. Pius IX. in encycl. die 9. Nov. 1846. et Concil. Vatic. Sess. III. cap. 3.

4. — Argumenta seu motiva credibilitatis, quae Concilium Vaticanum docet, si accuratius examinentur, bifaria esse apparet. Nimirum *alia* evincunt, Deum veritates supernaturales hominibus revelasse, *alia* ostendunt, easdem veritates ab Ecclesia catholica, sola vera a Christo instituta Ecclesia, infallibili auctoritate custodiri et doceri.

Porro 1. argumenta, quae evidenter credibilem reddunt revelationem a Deo factam, in specie divinam christianae religionis originem, juxta Concilium Vatic. imprimis sunt miracula et prophetiae eventu comprobatae, „quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae relationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata", ut idem Concilium subjungit. Dein 2. argumenta, quae evidenter credibilem faciunt divinam Ecclesiae catholicae institutionem et legationem, sunt notae Ecclesiae verae (unitas, sanctitas etc.), ipsi soli manifeste convenientes; praeterea constantia et multitudo martyrum christianorum, admirabilis Ecclesiae propagatio, inexhausta ipsius in omnibus bonis fecunditas, invictaque constantia. Ita pariter docet Concilium Vaticanum, sapienter ideo dicens, *Ecclesiam catholicam per se ipsam divinae suae legationis testimonium irrefragabile* esse.

Facile autem patescit, omnia haec motiva credibilitatis ad id (licet diversimode) collineare, ut evincant, a Deo revelata esse, quaecunque Ecclesia catholica tamquam divinitus revelata hominibus credenda proponit. Etenim a) argumenta *primi* generis, quae probant, Christi religionem esse opus Dei, eo ipso probant, religionem, quam Ecclesia praedicat, esse divinam; non aliam enim, quam a Christo traditam religionem docet Ecclesia catholica, cui ipse doctrinam suam custodiendam et praedicandam commisit. Hinc Concilium Vatic. cap. 3. declarat, quod „*ad solam catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira sunt disposita,*" inter quae e. g. sunt miracula, quibus Christus et Apostoli suam praedicationem confirmarunt. b) Argumenta *secundi* generis, quae divinam Ecclesiae catholicae institutionem et legationem evincunt, simul commonstrant, religionem, quam Ecclesia catholica profitetur et praedicat, esse a Deo revelatam; quia ideo „Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit," ut sit „custos et magistra verbi revelati." Quapropter Conc.

Vatic. l. c. docet, quod „*Ecclesia per se ipsa — magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis.*" Quae cum ita sint, Ecclesia catholica merito dici potest complexus omnium motivorum credibilitatis respectu fidei christianae.

Et haec igitur motiva credibilitatis veluti externa sunt adminicula et adjumenta fidei, quibus secundum ordinariam divinae providentiae legem infideles in fidem inducuntur, et fideles in fide confirmantur. [1])

Obiter notamus, contra incredulos in veritatis catholicae demonstratione ab argumentis primi generis, contra heterodoxos ab argumentis secundi generis esse procedendum.

5. — Quod errores n. 2. praenotatos attinet, manifestum est, eos ut rejiciendos ita etiam periculis esse plenos. 1) Si enim repudientur vel suo valore exuantur criteria objectiva, quibus Deus suam revelationem veluti sigillis perennibus evidenter credibilem et necessario credendam demonstrat, et in re tanti momenti, cujus est religio et fides, solum ad *experientiam subjectivam, sensum internum* seu subjectivum appelletur: tunc consequens est, nullam religionem esse in se et objective magis credibilem prae altera, vel potius nullam in se et objective credibilem et veram ac necessario amplectendam; cumque experientia subjectiva, ad quam solam fit refugium, illusionibus pateat, et varia ac mutabilis sit: perinde infreni hominum licentiae in rebus religionis latissima porta aperitur. Unde etiam videmus, non paucos pro falsa religione, quam profitentur, ad experientiam suam, ad internum sensum et gustum provocare, omni religionis verae demonstratione contemta; multosque insuper eodem sub praetextu a religione vera ad falsam levitate horrenda transire, imo et ab omni religionis confessione et societate deficere.

2) Si motiva credibilitatis non possent intelligi, nisi jam fides praecedat, nec factum revelationis per motiva credibilitatis homini, qui fidem nondum suscepit, posset demonstrari: tunc fides vel nulla vel irrationabilis foret; quia ubi non constat, Deum esse locutum, credi non potest, nisi leviter et temere ob periculum deceptionis et erroris. Et quo jure ab incredulis exigere possemus, ut divinam revelationem admittant, si factum revelationis certis argumentis probari non deberet vel non posset? Verum quidem est, plures credi-

[1]) S. August. Lib. de Praedest. cap. 2. S. Bernardus: In Cantica. Serm. 59. n. 9. S. Thomas: 2. 2. q. 3. a. 1. ad 1.; q. 1. a. 4. ad 2. — Laymann: Theol. mor. Lib. II. Tr. I. cap. 3. n. 3. Sic et alii cath. omnes.

disse absque disquisitione et examine, subito a gratia divina illustratos et motos; sed hujusmodi conversiones extraordinaria via divinae providentiae evenerunt. — Ceterum S. Sedes saepius adductum errorem proscripsit. Ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. damnata est haec n. 21. propositio: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Approbante S. Sede subscribendae presbytero Bautain propositae sunt die 8. Sept. 1840. propositiones sequentes. Sub n. 3.: *Revelationis christianae probatio ex miraculis Christi desumta, quae testium ocularium sensus mentesque percellebant, vim suam atque fulgorem quoad subsequentes generationes non amisit. Hanc eandem probationem in traditione omnium Christianorum orali et scripta reperire est; qua duplici traditione illis demonstranda est, qui vel eam rejiciunt, vel quin admittant, requirunt.* Sub n. 6.: *Ratio cum certitudine authenticitatem revelationis per Moysem et Christianis per Jesum Christum factae probare valet.* Et P. M. Pius IX. in encycl. die 9. Nov. 1846. inter alia docet: *„Humana ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet, Deum esse locutum.“*

6. — Expositae contra diversos errores catholicae doctrinae non possum abstinere praeclara s. Augustini verba de motivis credibilitatis subjungere. Sic dicit: *„In Ecclesia enim Catholica, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci spiritales in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant: ceteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit: ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse catholica (vos Manichaei) non creditis; multa sunt alia, quae in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut dum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis Christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in catholica Ecclesia. — Apud vos autem, ubi nihil horum est, quod me invitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio.“* [1]) Non omnes tamen eodem modo, sed alii aliter ad fidem Christi amplectendam moventur, ut idem jam magnus Ecclesiae Doctor s. Augustinus observavit: *„Nam alios movit constantia Martyrum, alios specialiter sanctitas et innocentia praedicantium, alios operatio signorum, poena Ecclesiae persecutoribus divinitus, ut apparebat, inflicta.“*

* S. Augustinus: De fide eorum, quae non videntur (Op. Tom. VI.). De utilitate credendi (Op. Tom. VIII.). S. Thomas: Summa Theol. 3. q. 43. et 44. (ubi de miraculis Christi ceu motivis credibilitatis). Summa contra Gentes Lib. I. cap. 6. (de miraculis, vaticiniis, mirabili mundi conversione ad fidem christianam tamquam „convenientibus argumentis, quibus divina sapientia sui praesentiam et doctrinae et inspirationis veritatem ostendit.“). S. Alphonsus: Die Wahrheit des Christenthums I. B. Abh. 2. u. 3.; II. B. Th. 2. Regensb. 1845. — Lugo: De virtute fidei divinae Disp. V. De Ripalda: De ente supernaturali Tom. IV. Disp. VI. Inter recentiores: Denzinger: Vier Bücher von der Religiösen Erkenntniss II. B. S. 290 u. f. Würzb. 1857. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit III. B. Th. II. Abh. 4. Münster 1865. Hettinger: Apologie des Christenthums I. B. (der Beweis des Christenthums). Scheeben: Die Mysterien des Christenthums §. 105. Freiburg 1865.

§. 4.

De fidei theologicae certitudine et evidentia.

PROPOSITIO I.

Tanta est fidei theologicae certitudo, quanta ipsa Dei revelantis auctoritas.

1. — Res clara et certa est ex dictis de objecto formali fidei (§. 2. n. 6.) Cum fides namque auctoritate divina tamquam causa sua formali fundetur, ex eadem quoque certitudinem desumit. Ac proinde, cum Deus, infinite sapiens ac verax, nec falli neque fallere possit, certitudo, qua fides theologica gaudet, plane infallibilis est dicenda. Idem docent ss. Patres, [2]) et infallibili oraculo attestatur Concilium Tridentinum, dum de certitudine fidei dicit, quod *„ei non potest subesse falsum“*. [3]) Quare unusquisque omnino tutus exclamare cum Apostolo debet: *„scio, cui credidi, et certus sum.“* 2. Tim. 1. 12.

---

[1]) Libr. contra Epistolam Manichaei, quam vocant Fundamenti cap. 4. n. 5.

[2]) E. g. B. Cyrillus Jerosolymitanus dicens: „— te citra ullam dubitationem fides certum reddat.“ Catech. Mystagog. 4.

[3]) Sess. VI. cap. 9. Vide etiam cap. 12. et can. 13—16.

Corollaria:

2. — I. Fides non est *„aestimatio"* seu opinio, ut Abaelardus finxit. [1]) Non enim potest non certissimum esse omnemque errandi formidinem penitus excludere, quidquid Deus revelavit et dixit. Unde ab Apostolo fides definitur *„sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium."* Hebr. 11, 1. Dicitur *substantia*, i. e. subsistentia sive existentia rerum sperandarum, quia fides de rebus, quae sunt sperandae, nos adeo certos reddit, ac si jam coram nobis subsisterent. Subditur: *argumentum non apparentium*, quia fides est plena convictio earum rerum, quae nobis non videntur, i. e. quas nec sensu percipimus nec ratione comprehendimus. [2]) Merito itaque s. Bernardus refutationem Abaelardi his verbis concludit: *„Non est fides aestimatio, sed certitudo."* [3])

Imo II. *cognitio fidei certior est quavis cognitione naturali.* Hoc 1) constat ex utriusque indole. Fides namque nititur veritate divina, cognitio autem naturalis ratione humana. Atqui multo magis, Angelicus inquit, homo certior est de eo, quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione, quae falli potest. 2. Idem adnuit s. Joannes dicens: *„Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est."* 1. Joa. 5. 9. — 3) Consonant ss. Patres. Sic s. Basilius dixit, fidem *persuadere prae omnibus rationalibus methodis.* [4]) S. Chrysostomus ad verba: Fides est argumentum non apparentium — *„id est"*, inquit, *„majorem certitudinem de illis faciens, quam de his, quae videntur."* [5]) S. Augustinus scribit: *„Facilius dubitarem vivere me, quam esse veritatem, quae per ea, quae facta sunt, intellecta conspicitur."* [6]) S. Bernardus sic Abaelardum redarguit: *„Tu mihi subsibilas: fides est aestimatio? Tu mihi ambiguum garris, quo nihil est certius?"* [7]) —

---

[1]) Testatur hoc s. Bernardus sic scribens: „Nec mirum, si homo, qui non curat, quae dicat, irruens in arcana fidei, thesauros absconditos pietatis tam irreverenter invadit, atque discerpit; cum de ipsa pietate fidei nec pie nec fideliter sentiat. Denique in primo limine Theologiae, vel potius Stultiloquiae suae fidem definit *aestimationem.* Quasi cuique in ea sentire et loqui, quae libeat, liceat; aut pendeant sub incerto in vagis ac variis opinionibus nostrae fidei Sacramenta, et non magis certa veritate subsistant." Tractatus de erroribus Abaelardi cap. IV. n. 9. (alias epist. 190.).

[2]) Vide Estium et Cornelium a Lapide in h. l.

[3]) l. c.

[4]) Homil. in Psalm. 115.

[5]) Homil. 21. in ep. ad Hebr. 11.

[6]) Confess. Lib. VII. cap. 10. n. 16.

[7]) De erroribus Abaelardi cap. 4. n. 9.

4) Idem pariter post d. Thomam [1]) et s. Bonaventuram [2]) Theologi communissime tradunt. [3]) — 5) Denique P. M. Pius IX. in encycl. die 9. Novembr. 1846. pronuntiavit, *„nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius extare, nihil quod firmioribus innitatur principiis."*

* S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 4. a. 8. In Lib. III. Sent. Dist. 23. q. 2. a. 2., q. 3. a. 3. S. Bonaventura in Libr. III. Sent. Dist. 23. art. 1. q. 1. — Suarez: De fide Disp. VI. Sect. 5. Lugo: De virtute fidei divinae Disp. VI. per 3 Sectiones. Ripalda: De ente supernaturali Tom. IV. Disp. 6. (Ed. nov. Paris. 1871.) Denzinger: Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss III. Buch. n. XXIV. (2. Band. S. 500—507. Würzburg 1857.). Dr. M. Jos. Scheeben: Die Herrlichkeiten der göttl. Gnade nach P. Eus. Nieremberg S. J. frei bearbeitet III. B. 4. Hauptst. Freiburg 1864.

PROPOSITIO II.

Fidei nostrae evidentia, non quidem intrinseca, sed tamen extrinseca convenit.

3. — Pars I. Fidei nostrae non convenit *evidentia extrinseca*, id est, evidentia rerum, quae creduntur. Scilicet veritates fidei nobis obscurae, mysteria sunt ac perspici nequeunt.

Assertio haec pertinet ad doctrinam catholicam, definita in Conc. Vatic. Sess. III. cap. 4., ubi dicitur, divina mysteria, etiam fide suscepta, *ipsius fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta manere, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur.* Et fortius idem definitur can. 1. *de fide et ratione;* et probatur 1) ex s. scriptura. Equidem juxta s. Apostolum fides est *argumentum* (rerum) *non apparentium* (Hebr. 11. 1.); dicuntur autem res apparere, quae in se videntur; et Christus dixit: *„Beati, qui non viderunt, et crediderunt."* (Joa. 20. 29.) Vide etiam 1. Cor. 13. 12. 13.; 2. Cor. 5. 7.; 2. Petr. 1. 19. — Probatur 2) ex ss. Patribus. S. Ambrosius ait: *„Quam* (veritatem de divina generatione) *licet mens non queat humana plene rationis investigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur."* [4]) S. Augustinus: *„Quid est fides, nisi credere, quod non vides?"* [5]) In tractatu „de videndo Deo" [6]) hanc rem ex professo edisserit. S. Leo: *„Virtus fidei in eis, quae*

---

[1]) Summa Theol. 2. 2. q. 4. a. 8.

[2]) In Lib. III. Sent. Dist. XXIII. art. 1. q. 1.

[3]) Videatur Denzinger: op. saepe laudato pag. 502. et sq.

[4]) In Evangel. Luc. Lib. 9. n. 52.

[5]) Tract. 40. in Joa. n. 9. Cf. De Trin. l. 13. c. 1. Serm. 43. (alias 27. de verbis Apostoli) cap. 1. n. 1. Euchiridion cap. 8.

[6]) Epist. 147. (alias 112.)

visui non subjacent, constituta est.“ [1]) S. Gregorius M.: *„Quae apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem.“* [2]) — Probatur 3) ex Theologis, qui ss. Patribus unanimiter concinunt. [3]) — Probatur 4) ex propositione 96. Raimundi Lulli a Gregorio XI. damnata: *Omnes articuli fidei — — possunt probari et probantur per rationes necessarias, demonstrativas,* e v i d e n t e s.

4. — P a r s II. Fidei nostrae *evidentia extrinseca* seu evidentia credibilitatis convenit. Nimirum signis seu argumentis illis, quae superius (§. 3.) enumeravimus, evidenter probatur et intellectus convincitur, veritates fidei esse omnino credibiles atque credendas. Est doctrina Concilii Vaticani, quod Sess. III. cap. 3. loquitur de evidenti fidei christianae credibilitate.

Paucis eam probamus: 1) Ex s. scriptura. In Psalmo 92. 5. legitur: *„Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.“* Huc quoque verba Christi spectant: *„Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.* Joa. 15. 24. cf. 10. 37, 38. Hebr. 2. 3—4. — 2) Ex ss. Patrum testimoniis. Sic aliis omissis S. A m b r o s i u s scribit: *„Si viri boni dicerent, nefas putaremus, non credere. Deus asserit, probat filius, refulgens sol fatetur, tremens terra testatur.“* S. A u g u s t i n u s ex professo hac de veritate tractat in op. *De fide eorum, quae non videntur* n. 5—11. (Op. Tom. VI.) et: *De utilitate credendi* n. 33—36. (Op. tom. VIII.). Et prius jam E u s e b i u s Caesariensis in duobus operibus, quae inscribuntur: *„Praeparatio Evangelica“* (15 libris absoluta), et *„Demonstratio Evangelica“* (ex cujus operis 20 libris nonnisi 10 supersunt) evangelicae doctrinae veritatem et originem divinam accurate demonstrare adlaboravit. [4]) — Enuntiatam veritatem 3) ex unanimi Theologorum consensu probamus. Sane d. Thomas [5]) et Scholastici omnes, [6]) nec non Theologicae Apologeticae scriptores recentissimi illam profitentur. — De-

[1]) Serm. 69. c. 2.

[2]) Lib. 40. Homil. in Evang.; Homil. 26. n. 8. — Vide etiam Hom. 33. n. 7. Dialog. l. 4. c. 6. 7.

Alia videri possunt ss. Patrum effata apud D e n z i n g e r: Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss, Band II., 3. Buch n. XXX. S. 514—515.

[3]) V. D e n z i n g e r: l. c. pag. 515. 516.

[4]) Vide F e s s l e r: Institut. Patrologiae Tom. I. pag. 349. et sq.

[5]) 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2.; 3. q. 42. 43. et 44. Contra Gentes Lib. I. cap. 6.

[6]) In Prolog. Sentent.; ubi S c o t u s q. 2., late M e d i n a; Lib. II. de recta in Deum fide. B o s i u s: Tom II., De signis Ecclesiae, G r e g o r. d e V a l e n t i a; Tom. III. Disp. I. q. 1. punct. 4. S u a r e z: De fide Disp. IV. Sent. III. L u g o: De virtute fidei divinae Disp. V. integra.

mum 4) eandem doctrinam confirmamus ex auctoritate P. M. Pii IX. in Encycl. d. 9. Nov. 1846. sic loquentis: *„— quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio* l u c u l e n t i s s i m e e v i n c i *omnino debet, divinam esse Christi religionem et omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex coelorum Domino accepisse* (Chrys. Homil. 1. in Isai.)“

5. — Sic ergo probavimus, quod probandum assumpsimus, videlicet fidei theologicae non quidem intrinsecam, attamen extrinsecam evidentiam convenire. Utramque hanc veritatem eleganter complectitur s. A u g u s t i n u s his verbis: *„Habet fides oculos suos, quibus quodammodo* v i d e t, *verum esse, quod nondum videt, et quibus certissime videt, nondum se* v i d e r e, *quod* c r e d i t.*“* [1]) Rursus: *„*V i d e m u s *nos Ecclesiam,* c r e d a m u s *in Christum, quem non* v i d e m u s; *et tenentes,* q u o d v i d e m u s, *perveniemus ad eum, quem* n o n d u m v i d e m u s.*“* [2]) Similiter Doctor Angelicus dicit: *„Ea, quae subsunt fidei, dupliciter considerari possunt.* U n o *modo in speciali: et sic non possunt esse simul visa et credita,* sicut dictum est (in corp. art). A l i o *modo in generali, scilicet sub communi ratione* c r e d i b i l i s: *et sic sunt visa ab eo, qui credit.* N o n e n i m c r e d e r e t, n i s i v i d e r e t, e a e s s e c r e d e n d a, v e l p r o p t e r e v i d e n t i a m s i g n o r u m, v e l p r o p t e r a l i q u i d h u j u s m o d i.*“* [3]) Uterque ad fidei assensum praerequirit *videre,* hoc est evidenter cognoscere credibilitatem mysteriorum.

6. — Duo observa: 1. cum veritates, quas credimus, obscurae sint et quadam quasi caligine obvolutae, *obsequium fidei proficit ad Dei honorem et nostram salutem,* ut sapienter s. Alphonsus [4]) observat; quatenus supremae Dei auctoritati intellectum et voluntatem humiliter submittimus, simul atque meritum acquirimus. 2. Cum veritates fidei sint evidenter credibiles, *obsequium fidei rationabile* est. Conc. Vatic. Sess. III. cap. 3. In quam rem P. M. P i u s IX. in Encycl. d. 9. Novembr. 1846. sapienter monet: *„Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio*

[1]) Epistola 120. cap. 2. n. 8.

[2]) Serm. 238. n. 3.

[3]) 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. — Idem ait: „Intellectus convincitur ad hoc, quod judicet esse credendum his, quae dicuntur, licet *non convincatur per evidentiam rei;* sicut si aliquis propheta praenuntiaret in sermone Domini aliquid futurum et adhiberet signum, mortuum suscitando, *ex hoc signo convinceretur* intellectus videntis, ut cognosceret manifeste, *hoc dici a Deo,* qui non mentitur.“

[4]) Die Wahrheit des Christenthums I. Abth. cap. 1. n. 5. u. 6.

(nempe religionis) *decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet, Deum esse loquutum, ac eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat* (Rom. 13, 1.). *Quis enim ignorat, vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit?*"

* S. Augustinus in scriptis suis praelaudatis: Epistola 147. (al. 112.) (Op. tom. II.). De fide eorum, quae non videntur (Op. tom. VI.). De utilitate credendi (Op. tom. VIII.) S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 1. a. 4.; 1. 2. q. 67. a. 3. c.; in III. Libr. Sent. Disp. 24. a. 2. q. 1. (ubi ostendit, quod „objectum fidei est res divina non visa" — et „credens non videt id, quod credit.") — Suarez: De fide Disp. III. Sect. VII. (de „obscuritate objecti fidei"), Disp. IV. Sect. III. (de „evidentia credibilitatis mysteriorum fidei"). Card. Lugo: De virtute fidei divinae Disp. V. per 4 Sectiones (de evidentia credibilitatis requisita). Ripalda: De ente supernaturali Tom. IV. Disp. 12. (de obscuritate fidei). Disp. 6. Sect. 5. 6. et 7. (de evidentia credibilitatis). Paris. 1871. Ludov. Abelly: Medulla Theologica Pars. I. Cap. III. Sect. II. et VI. (Edit. noviss. Ratisbonae 1859.) — Inter recentissimos praeprimis Denzinger: Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss II. Band, III. Buch. n. XXVI. et XXVII. S. 508—511. n. XXX. S. 513—516. n. XXXIII. S. 525—527. Würzburg 1857. Dr. Hettinger: Apologie des Christenthums I. Band (Der Beweis des Christenthums) 10—12. Vortrag S. 414—551. Freiburg 1863. Perrone: Praelectiones Theologicae de Virtutibus fidei, spei et caritatis cap. IV. Propos. 2. et 5. pag. 61. et sq. Ratisbonae 1865.

§. 5.

De fidei theologicae proprietatibus.

PROPOSITIO.

Fides debet esse supernaturalis, universalis, super omnia firma, atque efficax.

1. — Fides debet esse 1. *supernaturalis,* quia est initium salutis, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad consortium filiorum ejus pervenire, ut Concilium Trid. Sess. VI. cap. 8. docet. Tunc autem actus fidei est supernaturalis, quando gratia Dei auxiliante ex pia affectione et obedientia erga Dei revelantis auctoritatem elicitur. Ideo ab Innocentio XI. damnata est haec n. 23. propositio: *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.*

Hinc *a*) assensus veritati revelatae solummodo ob aliquam rationem credibilitatis praestitus dici nequit actus fidei supernaturalis. [1])

b) Si quis aliqua menti humanae pervia non ideo, quia revelata sunt, sed solum propterea, quod ea perspiciat intellectu, admitteret, haec non fides esset, sed scientia; ut merito ennuntiavit Concilium Coloniense a. 1859. celebratum. [2])

2. *Universalis,* id est, ad omnes veritates divinitus revelatas et ab Ecclesia ceu tales propositas sese extendere debet. Ratio est *a*) quia omnes fidei articuli ab una eademque auctoritate suprema promanant; et *b*) quia ille, qui unum fidei articulum negat, neque quoad ceteros articulos fidem theologicam habere potest; quandoquidem unum articulum fidei rejiciendo simul rejicit Dei auctoritatem adeoque ceteros articulos, quos admittit, proprio vel aliorum judicio, non vero Dei auctoritati subnixus credit, itaque tantum opinionem vel fidem humanam habet. [3])

3. *Super omnia firma,* quia auctoritas Dei pro revelata veritate interposita meretur assensum super omnia firmum. Porro gratia De evehit et confortat tum voluntatem, ex cujus imperio fides elicitur, tum intellectum, qui propter Deum revelantem adhaeret veritati revelatae assensu firmissimo. Itaque unusquisque veritatibus revelatis et ad credendum per Ecclesiam propositis debet firmissime assentiri, firmius, quam si oculis videret, quia visioni oculorum potest subesse deceptio, non autem fidei divinae.

4. *Efficax* id est, bonis operibus sese exerere debet. „*Quid proderit, fratres mei,* dicit s. Jacobus, *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.*" Jac. 2. 14. et sq. Gal. 5. 6. 2. Petr. 1. 10.

5. *Constans,* ita ut nulla ex causa a vera fide deficiamus. Monet Apostolus, ne *simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Eph. 4. 14. Vid. Marc. 16. 16. Luc. 9. 26. Matth. 10. 33. In Symbolo Athanasii dicitur: „*Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*"

2. — Firmitatem et constantiam fidei divinae non pauci nostra aetate in discrimen vocant, quum asserere audeant, parem esse con-

[1]) Suarez: De fide Disp. IV. Sect. VI. Lugo: De virt. fidei div. Disp. I. Sect. VI.

[2]) Par. I. Tit. I. cap. 5. (Coloniae 1862).

[3]) Legas d. Thom.: 2. 2. q. 5. a. 3.

ditionem fidelium, atque eorum, qui fidem nondum susceperunt, atque eodem modo, quo post diligens examen de veritate religionis infidelibus liceat transire a religione falsa ad agnitam veram, universim etiam in catholicis fidelibus „justificari, ut ajunt, mutationes professionis religiosae"; imo commendant catholicis aeque ac heterodoxis suspensionem fidei, et *verum ac positivum dubium* de veritate religionis catholicae, donec demonstrationem de fide et religione secundum normas scientiae humanae ipsi absolverint.[1]) At vero assertio haec proscripta est a Concilio Vatic. Sess. III. cap. 3. et can. 6. *de fide,* qui sic sonat: *„Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, anathema sit."* Et merito quidem. Nam 1) qui religione falsa tenentur, per lumen gratiae moventur ad examen rationum futilium suae religionis, et rationum pro vera religione et fide pugnantium; et quo diligentius, divina illustratione implorata hoc examen instituerint, eo magis Deus ipsis tribuit gratiam, ut, dummodo cooperentur, ad veram fidem convertantur. Ex adverso autem Deus per gratiam suam fideles in semel agnita fidei veritate confirmat, non deserens, nisi deseratur. Praeterea praesto sunt motiva credibilitatis evidentis de veritate revelata, prout ab Ecclesia catholica proponitur et praedicatur. Quomodo ergo catholici justam causam habere possunt, fidem sub Ecclesiae magisterio susceptam vel mutandi vel in dubium revocandi? Porro 2) sicuti praeceptum divinum iis, qui ad veram fidem nondum pervenerunt, praescribit sedulam inquisitionem et ad sufficientem propositionem urget fidei susceptionem: ita sub reatu damnationis aeternae prohibet non tantum apertam negationem, sed dubium quoque deliberatum circa veritatem quancunque revelatam, quae sufficienter proposita est. *Dubium* et *fides* mutuo se destruunt: *Dubius in fide, infidelis est.* 3) Hujusmodi examen dubitativum, ut supponitur, ad absolutum Scepticismum et Indifferentismum perducit. Nonne Frohschammer principio, quo nihil pro concesso et certo supponitur (Princip der

---

[1]) Ita praesertim Hermes: Positive Einleitung in die Theol. S. 30. Philosoph. Einleit. S. 10.

Voraussetzungslosigkeit) utens eo devenit, ut rationem humanam dixerit imparem ad religionem veram cognoscendam?[1])

* Cyrillus Alexandrinus: Homilia 11. 24. 26. (Op. Tom. V. Par. II.). S. Augustinus: Lib. de fide et operibus (Tom. VI.). S. Franciscus Salesius: Theotimus Lib. II. cap. 14.

§. 6.

De necessitate fidei quoad habitum et actum internum.

PROPOSITIO I.

Fides habitualis a Deo infusa omnibus omni tempore necessaria fuit et est necessitate medii ad salutem.

1. — Est doctrina catholica, quae ab omnibus traditur et ex Concilio Tridentino Sess. VI. cap. 7. confirmatur. Ratio theologica haec est: Nemo potest ad Deum pervenire, nisi Deo sit acceptus. Porro Deo acceptus dici nequit, qui secundum intellectum non est ornatus habitu fidei, quemadmodum secundum voluntatem habitu spei et habitu caritatis: *„sine fide impossibile est placere Deo."* Hebr. 11. 6.[2])

PROPOSITIO II.

Actus fidei internus omnibus adultis ratione utentibus omni tempore necessarius fuit necessitate medii ad salutem.

2. — Haec assertio, quae absque errore in fide negari nequit, manifeste constat ex Conc. Vaticano, quod Sess. III. cap. 3. docet.

---

[1]) In opusc.: Das Recht der eigenen Ueberzeugung: „Da unter den verschiedenen Religionen und selbst unter den verschiedenen Confessionen — keine der *Wissenschaft* und damit dem Staate gegenüber sich unbedingt als göttliche Offenbarung und Auctorität sich erweisen und geltend machen kann; so bleibt für den modernen Culturstaat nichts übrig, als sich *bei dieser Ungewissheit* in Betreff der Wahrheit und des Rechtes allen in gleicher Weise gegenüber zu stellen. Daher muss *er* sich vor allem *unabhängig* machen, und sich rein auf sich selbst und auf die natürlichen Fundamente des menschlichen Lebens und Wirkens stellen." S. 99. Leipzig 1869.

[2]) Laymann: Theol. mor. Lib. II. Tract. 1. cap. 8. n. 3. Suarez cum aliis hanc rationem profert: „De habituali fide certum est, neminem salvari, nisi prius in vita mortali habitum fidei infusae obtinuerit: quia non potest salvari, nisi viator justificetur, et a peccato mundetur; justificatur autem formaliter per justitiam habitualem infusam: ergo sine hac justitia nemo salvatur. Sed habitus fidei est vel pars vel fundamentum hujus justitiae: ergo sine habitu fidei nemo salvatur." De fide Disp. XII. Sect. 1. n. 4. 5 et 7.

„*Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, aeternam vitam consequetur.*“ Necessitatem fidei ad justificationem pridem jam Conc. Trid. Sess. VI. cap. 7. et can. 3. definivit. — Facile probatur 1. ex s. scriptura. S. Paulus quippe ait: „*Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum* etc.“ Hebr. 11. 6.; — 2. ex unanimi ss. Patrum [1]) et Theologorum suffragio, [2]) si paucos tantum auctores excipias [3]).

Sed haec fidei necessitas accurate explananda est. Hinc dico:

3. — I. *Quilibet necessitate medii credere debet veritates fidei sufficienter sibi propositas.* Unusquisque enim tenetur media apprehendere ad salutem aeternam consequendam necessaria. Atqui fides est medium ad salutem aeternam obtinendam necessario requisitum. Ergo. Confirmatur verbis Domini: „*Qui non credit, jam judicatus est.*“ Joa. 3. 18. „*Qui non crediderit, condemnabitur.*“ Marc. 16. 16.

II. *Omnes necessitate medii implicite saltem omnia fidei dogmata credere debent.* Ratio in promptu est; si fides quidem ex una parte necessaria ad salutem, ex altera parte indivisibilis est; quod utrumque jam probatum est. Porro s. Joannes dicit: „*Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.*“ 2. Joa. 9. In Symbolo s. Athanasii haec habentur: „*Quicunque vult*

[1]) S. Ambrosius dicit: „*Fides est salutis nostrae pretium, sine quo non emitur regnum coelorum.*“ In Psalm. 37. S. Augustinus multus est in hac veritate edisserenda, ut in op. De peccatorum meritis Lib. II. cap. 9.; De correptione et gratia cap. 7. S. Bernardus ait, „*solam interdum fidem sufficere ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil.*“ Tract. ad Hug. seu epist. 77. cap. 2. n. 8. Similiter loquuntur s. Irenaeus, s. Basilius, s. Leo, s. Fulgentius, qui videri possunt penes Gregor. de Valentia: In 2. 2. Dist. 1. q. 2. Punct. 2.

[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 2. a. 3. ad 1.; q. 10. a. 1. ad 4. Sotus: De natura et gratia Lib. IV. Dist. 1. q. 2. a. 3. Suarez: De fide Disp. XII. Sect. II. n. 5. et sq. Gregorius de Valentia l. c. Lugo et alii.

[3]) Nempe Andreas Vega (Lib. VI. in Conc. Trid. cap. 20. et 21.) et nonnulli alii (etiam prius citatus Dominic. Sotus in Lib. II. de natura et gratia cap. 11., qui tamen postea retractavit) existimarunt, adultum invincibiliter ignorantem mysteria fidei posse salutem consequi *per fidem in voto*, si secundum rationem naturalem vivit, Deumque ut auctorem naturae cognoscit et amat. — Quibus tamen Theologis Suarez (Disp. XII. Sect. II. n. 10. et sq.) inter alia apte reponit: Fides secundum Synodum Tridentinam est fundamentum justificationis; jam vero fundamentum oportet in re ipsa poni, ut reliqua valeant in ipso fundari.

salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem. Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.“

III. *Quaedam fidei veritates etiam explicite credendae sunt necessitate medii.* Et quidem

a) Certum est, necessarium fuisse omni tempore, explicite credere Deum existentem atque Deum remuneratorem, praemia justis et supplicia improbis decernentem. Constat ex verbis Apostoli Hebr. 11. 6. „*Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit.*“ Idem tenent Theologi omnes. [1]) Accedit, quod ab Innocentio XI. damnata est propositio 22. sic sonans: *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

b) Certum est, quovis tempore adultis necessariam esse fidem explicitam in Deum hominum salvatorem, praescindendo a mediis, quibus salutis reparatio efficiebatur. Apertissime constat ex s. scriptura. „*Non enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri.*“ Act. 4. 12. Vide etiam Rom. 3. 24, 25. 1. Joa. 2. 2. Eadem veritas inter omnes ss. Patres constat, [2]) et a Theologis communiter tenetur. [3])

4. — Sed *quaestio est, an necessitate medii requiratur fides explicita in mysterium Incarnationis et mysterium ss. Trinitatis?*

R. Duplex datur sententia: 1. Alii negant, post Evangelii praedicationem requiri *explicitam* fidem in praedicta mysteria ex necessitate medii. Ratio eorum est, quia ante Christi adventum sufficiebat fides implicita illorum mysteriorum; ergo etiam post ejus adventum sufficere debet. Christus enim media salutis non mutavit. [4]) — 2. Alii *communius* affirmant, illorum mysteriorum fidem explicitam necessariam esse necessitate medii post Evangelii divulgationem, quamvis antea implicita illorum mysteriorum fides ad salutem

[1]) Doctor Angelicus scribit: „*Dicendum, quod illa duo explicite credere de Deo, omni tempore et quoad omnes necessarium fuit.*“ 2. 2. q. 2. a. 8. ad 2.

[2]) Plures refert Suarez op. c. Disp. XII. Sect. III. n. 11.

[3]) S. Thomas eam eloquitur: 2. 2. q. 2. a. 7. c. et ad 3.

[4]) Hanc sententiam tuentur Dominic. Sotus: In L. IV. Sent. Dist. V. q. unic. a. 2. concl. 2. Card. Gotti: Theol. Tom. II. Tract. 9. q. 2. Dist. 4. §. 1. n. 2. Card. de Lugo: De virtute fidei divinae Dist. XII. n. 91. Suarez: De fide Disp. XII. Sect. IV. n. 10. Laymann: Theol. mor. Lib. II. Tract. I. cap. 8. n. 5.; praeter alios recentissime Gury, Card. Gousset.

sufficiens fuerit. Hanc sententiam s. Alphonsus [1]) *probabiliorem* appellat. [2]) Eam probant ex s. scriptura, nempe ex verbis Domini: *„Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.“* Joa. 17. 3. Atqui Deus verus explicite credendus est, ut probavimus; ergo etiam missio et incarnatio Jesu Christi explicite credi debet. Porro incarnatio filii Dei haudquaquam cognosci potest absque explicita ss. Trinitatis notitia; quapropter hoc etiam mysterium explicite credendum est. — Ad rationem primae sententiae reponunt, statum legis novae esse perfectiorem, quam statum veteris ac naturalis legis, proindeque perfectiorem, nempe explicitam notitiam Christi et ss. Trinitatis requiri. [3]) — Haec sententia eo magis tenenda est, cum eidem Congregatio s. Officii in Responso die 3. Maji 1703. dato adhaereat, quod Responsum Benedictus XIV. in Rescripto Apostol. *Postremo mense* die 28. Febr. 1747. confirmavit. [4])

Verum enimvero, quomodo ad illorum mysteriorum cognitionem pervenire possunt, qui omni externo subsidio ad eorum notitiam sibi comparandam carent? Respondet d. Thomas: „— hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis in sylvis vel inter bruta animalia enutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime tenendum est, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.“ [5])

Pro praxi tamen advertendum, quod s. Alphonsus cum aliis tradit, videlicet, „quod si quis adeo sit rudis, ut ea mysteria per-

---

[1]) Theol. mor. Lib. III. n. 2.

[2]) Eandem sententiam fovent Gregor. de Valentia: In 2. 2. Dist. I. q. 2. P. 4. Sanchez: In Decal. Lib. II. c. 2. n. 8. Salmantic.: Tract XXI. c. 2. Punct. 2. n. 15. Antoine: De virt. theol. cap. 1. q. 2. Collet et alii; recentissime Scavini, Kenrick, Martin, Simar.

[3]) S. Thom.; 2. 2. q. 2. a. 7. et 8. s. Alph.: Th. m. Lib. III. n. 3. et alii.

[4]) Haec sunt praelaudati Pontificis verba: Quoad ea, quae ante Baptismum adulto credenda sunt; animadversione dignum est dubium seu quaestio ab Episcopo Quebec Sancti Officii Congregationi proposita, definita 3. Maji 1763. *Utrum, antequam adulto conferatur Baptizma, Minister teneatur ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius, an non sufficeret, si moribundus promitteret fore, ut ubi e morbo convalesceret, instruendum se curet, ut in praxim redigat, quod ei praescriptum fuerit?* Respondetur, *non sufficere promissionem, sed Missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis.*“

[5]) Quaest. 14. de Veritate art. 11. ad 1. Item La Croix: Lib. II. n. 12. Abelly, et alii.

cipere nequeat, tunc excusatur ratione impotentiae, et comparatur infantibus ac fatuis.“ [1])

PROPOSITIO III.

Internus fidei actus necessarius quoque est necessitate praecepti.

5. — Non desunt, qui comminiscuntur, ita independentem esse rationem humanam, ut ei fides imperari a Deo non possit. Quod commentum impiissimum condemnavit Concilium Vatic. Sess. III. can. 1. *de fide;* etenim, ut idem Concilium cap. 3. infert, *„quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur.“*

Constat de fidei praecepto ex s. scriptura: *„Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.“* 1. Joa. 3. 23. Nec aliter sentiunt ss. Patres, quibus Theologi omnes concordant. [2]) Amplius veritas praestituta confirmatur ex propositione 16. ab Innocentio XI. damnata: *Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se.*

De necessitate praecepti est, ut quaedam veritates explicite credantur (seu sciantur et credantur), et ut actus fidei frequenter eliciantur.

6. — I. Omnis fidelis, cum ad usum rationis pervenerit, praeter ea, quae scire debet necessitate medii, tenetur necessitate praecepti et sub mortali credere et scire saltem quoad substantiam: 1. Symbolum Apostolorum, 2. Decalogum, 3. Orationem Dominicam, 4. Sacramenta maxime necessaria, nempe baptizmum, poenitentiam et Eucharistiam, reliqua autem tunc, quando ea suscipere vult. — Porro 5. scire debet Ecclesiae praecepta; et 6. salutationem angelicam sub levi. Quae omnia intellige, nisi impotentia aut invincibilis ignorantia excuset. Ita omnes. [3])

7. — II. Quilibet fidelis adultus internos fidei actus frequenter elicere tenetur. Quae obligatio deducitur ex s. scriptura: *„Justus autem meus ex fide vivit.“* Rom. 1. 17. *„Vigilate et state in fide.“* 1. Cor. 16. 13. *„Cui* (diabolo) *resistite fortes in fide.“* 1. Petr. 5. 9.; etenim ex fide vivere, stare in fide, resistere diabolo per fidem,

---

[1]) Th. mor. Lib. III. n. 2. *v. Notant autem.*

[2]) Consuli possunt Suarez op. c. Disp. XIII. Sect. I. Lugo op. c. Disp. XIII. Sect. I.

[3]) Vid. s. Alph.: Th. m. Lib. III. n. 3. H. A. Tract. IV. n. 3.

impossibile est absque actuali ejusdem exercitio. Probatur eadem obligatio ex propositionibus sequentibus ab Apostolica Sede damnatis. Propositio I. ab Alexandro VII. reprobata: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis, ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Propositio 17. ab Innocentio XI. proscripta: *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Propositio 65. ab eodem damnata: *Sufficit illa mysteria* (ss. Trinitatis et Incarnationis) *semel credidisse.*

Praeceptum fidei eliciendae obligat per se et per accidens.

1. Urget *per se* a) post usum rationis completum, ad vitam christianam incipiendam, b) in mortis periculo ad animam cum Deo intime conjungendam, eamque contra tentationes diabolicas firmiter muniendam, c) saepius per vitae decursum ad Deum fideliter amplectendum et mores christianae religioni conformandos; equidem saltem semel in anno, juxta alios singulis mensibus fides elici debet.

2. Urget *per accidens* a) urgente gravi tentatione, quae aliter vinci nequit, b) quando implendum est praeceptum, quod fidem requirit e. g. Confessionis, Communionis, c) post lapsum in haeresin aut fidem negatam. [1])

Ceterum ad implendum hoc praeceptum sufficiunt generatim actus *impliciti* in eis, qui cognitionem sufficientem veritatum fidei habent, et christiane vivunt. Illi enim obligationi satisfaciunt, dum signum crucis formant, Crucifixum adorant, Missam devote audiunt aliosque religionis actus fide sincera exercent. Attamen enixe admonendi sunt fideles, ut explicitos fidei actus saepe eliciant, nostra praesertim luctuosa aetate, qua perniciosissimi errores verbis scriptisque impune pervulgantur et perversionis periculum fere ubique prominet.

Praeterea parochi ruri animarum curam gerentes meminerint eorum, quae P. M. Benedictus XIV. in Constit. *Etsi minime* a. 1742. sapienter sancivit, nimirum ut *post Missam die festo celebratam, statim ante aram provoluti, clara et intelligibili voce, dictos virtutum* (fidei, spei et caritatis) *actus eliciant, et praeire populo verba ab ipsis prolata devote reddituro satagant; hoc enim puncto fideles sensim illos memoriae mandabunt, et assuescent nedum festis, sed aliis etiam diebus in pia exercitatione versari.* [2])

---

[1]) S. Alph.: Lib. III. n. 7. H. A. Tract. IV. n. 13.

[2]) In quibusdam Dioecesibus actus virtutum theologicarum singulis diebus dominicis et festis post concionem a sacerdote et populo elici solent.

8. — Quaeritur 1. *An absolvi possit, qui ignorat necessaria necessitate medii?*

Resp. 1. Nec licite nec valide absolvi potest, qui ignorat, Deum existere, eumque remuneratorem esse boni et mali, atque hominum salvatorem sensu n. 5. explicato. Ita omnes. Ratio est, quia ille ex defectu medii necessarii est incapax justificationis adeoque etiam absolutionis.

Resp. 2. Nec licite nec valide absolvi potest, qui mysteria ss. Trinitatis et Incarnationis ignorat, quia horum fides explicita necessaria est necessitate medii. Confirmatur ex prop. 64. ab Innocentio XI. damnata: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium ss. Trinitatis et Incarnationis D. N. Jesu Christi.* [1]) Hinc et ille, qui confessionem sacramentalem in statu talis ignorantiae peregit, eam repetere debet. [2])

Confessarius poenitentem, quem praedictorum mysteriorum ignarum deprehendit, quantum opus est, ante absolutionem instruere debet. Prudenter s. Alphonsus verbis s. Leonardi a Portu Mauritio observat: *Bonum non est consilium, dimittere similes ignaros, ut ab aliis haec doceantur, quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens erit, breviter eos docere praedicta mysteria principalia, efficiendo pariter, ut secum efforment actus fidei, spei, charitatis et contritionis, obligando tamen eos, ut imposterum perfecte instrui se faciant circa cetera mysteria scitu necessaria de necessitate praecepti.* [3])

Quaeritur 2. *An absolvi possit, qui ignorat necessaria necessitate praecepti?*

Resp. *Disting.*: ignorantia haec est vel inculpabilis vel culpabilis. In priori casu absolvi potest, dummodo de obligatione monitus verum propositum, scitu necessaria addiscendi, manifestet: secus, si tale propositum desideretur. In posteriori casu tunc absolvi potest, si de negligentia doleat, deque culpa sua se accuset, nec non serio promittat, operam se daturum ad illa probe addiscenda: secus ab-

---

[1]) Neque absolvi posset a confessario, qui probabiliter censeret, mysteria praefata non esse explicite credenda necessitate medii coll. n. 4.: quia ubi agitur de valore Sacramenti, posthabita opinione probabili tutius eligendum. Lib. I. §. 80. n. 2. Vid. S. Alph.: H. A. Tract. IV. n. 3. La Croix: Th. mor. Lib. II. n. 20.

[2]) S. Alph.: Th. mor. Lib. III. n. 2.

[3]) Praxis Confess. cap. 2. n. 22.

solvi nequiret, cum voluntarie perseveraret in ignorantia culpabili adeoque non esset dispositus ad absolutionem suscipiendam. Confirmantur haec Constitutione Benedicti XIV. *Etsi minime* §. 12.

Quid faciendum Confessario cum poenitente rudi, qui constitutus est in mortis articulo? Si ignorantia respicit ea, quae scitu necessaria sunt necessitate medii, Confessarius eum docere debet, quae respiciunt vitam futuram, remunerationem aeternam, praeterea mysteria ss. Trinitatis et Incarnationis et Passionis Domini; (et ad talem poenitentem absolvendum satis esset, ut hic Confessario mysteria proponente, eliciat actus fidei), praeterea Confessarius curare debet, ut Dei gratia opitulante, in eo excitetur dolor peccatorum cum proposito posthac non peccandi; cum aliter non sit capax absolutionis. — Si vero ignorantia respicit ea, quae scitu necessaria sunt necessitate praecepti, confessarius non debet impendere tempus ad eum de his instruendum, si nimis defatigaretur; sed potius ad dolorem excitet et adjuvet in eliciendis actibus fidei, spei et charitatis. Nam adhuc valet absolutio, si ipsum praeteritae negligentiae poeniteat simul promittentem, se velle necessaria discere, si forte convaluerit. [1])

* S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 2. a. 5. — 8. De veritate q. 14. a. 11. In Libr. III. Sent. Dist. XXV. q. 2. a. 1. et 2.; q. 2. 3. et 4. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. III. n. 1. 2. et 3. H. A. Tract. IV. n. 3. et 13. — De Lugo: De virtute fidei divinae Disp. XII. et XIII. La Croix: Theologia moralis Lib. II. n. 7—18. n. 20. et 29. Laymann: Theologia moralis Lib. II. Tract. I. cap. 8. et 9. Sporer: Theolog. mor. super Decalogum P. II. cap. II. Sent. 1. 2. et 3. Reuter: Theologia moral. Tom. II. Tract. I. n. 31. —40. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VIII. Disp. I. cap. 3. a. 2. §. 1. Perrone: Praelectiones Theologicae de virtutibus fidei, spei et caritatis cap. VI. et cap. VII. (Ratisbonae 1865).

Casus.

9. — *Adalbertus parochus adducitur ad Judaeum morti proximum simulque tam rudem, ut nec Deum remuneratorem sciret neque de eo quidquam capere possit; nihilominus tamen illum baptizari volentem baptizat, ac paulo post mortuum sepelit ritu Ecclesiae.*

Quaeritur: An recte egerit Adalbertus baptizando adultum Judaeum sine praevia instructione?

Resp. *Aff.*, quia coll. n. 6. juxta sententiam communem illi rudes, qui veritates fidei necessarias necessitate medii percipere nequeunt, comparantur infantibus et fatuis, adeoque ratione impotentiae excusantur ab illis veritatibus sciendis. Sic s. Franciscus Xaverius baptizavit Japonem prae senio jamjam moriturum, quamvis

---

[1]) Scavini: Tom. II. pag. 642.

tam stupidus esset, ut nec sciret, Deum existere, nec ulterioris instructionis capax esset. Praestat tamen (si mora permittat) in ejusmodi casu actum fidei cum tali homine rudi elicere, cum actibus spei, caritatis et doloris de peccatis. [1])

§. 7.

De necessitate fidei quoad actum externum.

PROPOSITIO.

Praeceptum fidei, quatenus negativum, prohibet quacunque de causa fidem negare, ut affirmativum exigit fidem externe profiteri, quoties Dei honor vel proximi utilitas exposcit.

1. — Catholicam hanc doctrinam disertissima illa Christi verba evincunt: „*Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est. Qui autem negaverit me, coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.*“ Matth. 10. 32. 33. „*Qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum.*“ Luc. 9. 26. Hinc Apostolus: „*Corde,* inquit, *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*“ Rom. 10. 10. Id etiam intelligitur ex ipsa rei natura. Etenim a) fidem negare, perinde est ac mentiri et quidem in gravissimo religionis negotio cum maxima Dei injuria, cui commoda et bona terrena praeferuntur. b) Fidem non profiteri, dum id postulat Dei honor et salus proximi, vergit in gravem violationem charitatis, quam Deo et proximo debemus. Hinc professio fidei necessaria habetur, si secus notabiliter imminueretur existimatio de Deo et fide, sequeretur contemptus religionis, scandalum et perversio aliorum; vel etiam, si secus magnus honor Deo, vel magna utilitas proximo cessaret. [2])

2. — Quibus addendum, quod jure Ecclesiastico generali, praeter baptizandos (qui scilicet tenentur vel per se, si sint adulti, vel per patrinos, si infantes) fidem exterius profiteri tenentur, et quidem per se ipsos, non autem per procuratores: 1. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et episcopi ante literas propriae provisionis expeditas. 2. Provisi de Canonicatu vel dignitate in Cathedrali (et hanc professionem emittere debent etiam in Capitulo) addita poena, ut alioquin non faciant fructus suos. [3]) 3. Provisi de beneficio cu-

---

[1]) Voit: P. I. n. 354.

[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 3. a. 1. S. Alph.: Lib. III. n. 11.

[3]) Con. Trid. Sess. 24. cap. 12. de Ref.

rato, inter duos menses a die possessionis coram episcopo vel ejus Vicario generali vel officiali. 4. Omnes promovendi in Doctores, magistros, regentes, professores cujusvis scientiae liberalis, ex Decreto Pii IV. 5. Omnes, qui in Synodum dioecesanam convenire debent. 6. Haeretici ad Ecclesiam redeuntes, qui tenentur et haeresin abjurare et fidei professionem emittere.[1])

Regulae speciales.

3. — **Regula I.** *Falsam fidem simulare numquam licet, veram dissimulare quandoque permissum, imo et necessarium est.* — Ratio 1mi, quia fidei falsae se ostendere sectatorem, esset veram fidem externe negare, quod intrinsece et absolute malum est coll. n. 1. Hinc merito damnati sunt Libellatici, qui quippe obtinuerunt libellos securitatis, quibus significabatur, illos idolis sacrificasse, quod tamen verum non erat. — Ratio 2di, quia non semper urget praeceptum fidem confitendi coll. n. 1., quocirca ex gravi causa, secluso scandali periculo, religionem signis externis non manifestare seu potius occultare, licitum, imo nonnunquam et necessarium est, ne videlicet vel fidem vel nosmetipsos gravi periculo exponamus aliter agendo. Ita omnes.[2]) Et afferri possunt verba Christi monentis: „*Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.*" Matth. 7. 6.

Hinc 1. catholicus tenetur ad fidem suam candide profitendam, cum apud publicum magistratum constitutus de sua religione interrogatur, quia tergiversatio vel silentium interrogati videretur esse fidei negatio; alioquin debito honore Deus fraudaretur et grave scandalum in adstantibus oriretur. Sic quoque habet communis ss. Patrum doctrina.[3]) Et confirmatur eo, quod Innocentius XI. damnavit sequentem sub n. 18. propositionem: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno.*

Si vero quis a persona privata de fide interrogetur, licite potest fidem occultare v. g. dicendo, se nolle respondere, se jure non interrogari; siquidem in tali casu non urget praeceptum.[4])

[1]) Scavini: Tom. II. pag. 644. 645. S. Alph.: n. 11. Resp. 3.

[2]) Consulantur prae ceteris d. Thomas: 2. 2. q. 3. a. 2. Suarez: De fide Disp. XIV. Sect. III.

[3]) Sic e. g. s. Augustinus scribit: „*Qui metu potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem, quam Deum.*"

[4]) S. Alph.: Lib. III. n. 13.

2. Cum non sciscitaris de fide, nedum licet, sed saepe expedit ad Dei honorem et utilitatem proximi tegere fidem, ut si latens inter infideles plus boni efficere valeres, vel ex professione publica religionis plus mali sequeretur, v. gr. turbae, neces, exacerbatio tyranni.[1]) S. Eusebius episc. Samosatenus tempore Constantii imperatoris Ariani sub habitu militari incognitus ecclesias visitabat, ut in fide catholica illas confirmaret. Sic Martyrol. die 21. Junii.

3. Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est ex gravi causa.[2]) S. Rutilius (ut legitur in Martyrol. die 2. Aug.) saepius de loco in locum persecutionem fugit, et periculum interdum pecunia redemit.

4. Non peccat contra fidem, qui per loca haereticorum transiens timore gravi damni (non tamen solius vexationis) carnes manducat die prohibito ad fidem dissimulandam. Secus vero si carnes comederet, licet metu mortis, ad id in odium Ecclesiae catholicae impulsus.[3])

5. Graviter peccat contra fidem, qui etsi fidem interne teneat, tamen genua flectet coram idolo vel alia signa quaecunque religionis falsae exhibeat.

4. — **Regula II.** *Nefas est, vestibus aut signis infidelium uti, quae alium finem non habent, quam falsam religionem profiteri; aliis autem uti vestibus vel signis licet.* — Ratio primi est, quia sic agere perinde foret, ac falsam religionem simulare, veramque negare. Ratio secundi est, quia hoc fidei nullo modo adversatur, ac per se prorsus indifferens apparet. Sic omnes.[4]) Confirmari potest exemplo s. Sebastiani, qui in aula imperatoris Diocletiani fidem christianam celavit sub chlamyde militari, ut christianos commodius adjuvare valeret. — Hinc e. g. non licet uti veste talari Turcarum sacerdotibus propria, ut Congregatio s. Officii 1530. declaravit; nihil autem impedit, quominus quis ad itineris securitatem utatur vestibus, quae Turcis sunt communes.[5])

5. — **Regula III.** *Tempore persecutionis fugere (vel se abscondere) Christiano licitum, imo quandoque necessarium est.*[6]) — Ratio facile

[1]) Idem n. 14.

[2]) Idem n. 14.

[3]) Idem n. 15.

[4]) Prolixe hoc de argumento disputant Suarez: De fide Disp. XIV. Sect. V. Lugo: De virtute fidei divinae Disp. XIV. Sect. V.

[5]) S. Alph.: Lib. III. n. 15.

[6]) Hanc veritatem inficias ivit Tertullianus asserendo, cuicunque atque in

patet. Nimirum 1) fugere *licitum* est, quia is, qui tyrannum fugit, fidem non negat, imo vero eo ipso fidem confitetur, cum exilium eligat, ne tyranno consentiat.[1]) 2) Fugere quandoque *praeceptum* est, tunc enim, quando bono publico expedit, ut quis vitam suam conservet, vel aliquis lapsum timet, quia tale periculum mediis licitis praecaveri debet. — Attamen Pastor fidelium, ut episcopus, parochus, fugere nequit, si ejus praesentia requiratur ad prospiciendum honori Dei et fidelium saluti; quia tunc praeceptum charitatis et justitiae eum obligat, ut maneat. E contra vero non tenetur manere, si vita ipsius necessaria est fidelium saluti, et si per alium gregi sufficienter providere potest. Hoc innuit ipse Dominus, dum ait: „*Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit; et lupus rapit et dispergit oves.*“ Joa. 11. 11—13. Observat enim Angelicus Doctor, dixisse Christum: *Fugit et dimittit oves,* quia si pastor interdum fugit, ut se in commodius tempus reservet, et interim non dimittit oves, sed per alios illis sufficienter providet, non se gerit ut mercenarius, neque contra obligationem delinquit.[2])

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 3. a. 1. et 2. In Libr. III. Sent. Dist. XXIX. a. 8. q. 9. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. III. n. 11—16. — Suarez: De fide, Disp. XIV. Sect. I—V. Lugo: De virtute fidei divinae Disp. XIV. tota. Laymann: Theologia moralis Lib. II. Tract. I. cap. II. Sporer: Theol. mor. super Decalogum P. II. cap. 11. Sect. 4. Reiffenstuel: Theologia moralis pluribus Addition. aucta a P. Kresslinger Tom. II.

quolibet casu nefas esse ad persecutionem declinandam fugam arripere. — Generatim licitam, imo et praeceptam esse fugam ad declinandam persecutionem, constat ex s. scriptura. Christus enim dixit: „*Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.*“ Matth. 10. 23. Porro ipse persecutoribus suis fugiendo se subduxit Matth. 2. 13., Joa. 8. 59.; 10. 39. 40.; 11. 53. 54. Cujus exemplum imitati sunt Apostoli, s. Paulus 2. Cor. 11. 32. 33., s. Petrus Act. 12. Quod idem ante Christi adventum fecerunt Prophetae, ut Elias 3. Reg. 18. Denique idipsum multi Ecclesiae Praesules, ut s. Polycarpus, s. Cyprianus, s. Athanasius factis confirmarunt.

[1]) Hinc s. Cyprianus in libro de lapsis: „*Qui interim cedit, non fidem negat, sed tempus exspectat, nam forte, qui non secedit, negaturus remansit.*“

[2]) Lect. III. in Joan. — Alio loc tradit: „— ubi subditorum salus exigit personae pastoris praesentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus pastor animam suam ponere tenetur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia pastoris per alium provideri: tunc licet pastori *vel propter aliquod commodum Ecclesiae vel personae periculum corporaliter gregem deserere.*“ 2. 2. q. 185. a. 5. c.

Tract. IV. Disp. II. Quaest. 4. n. 39—52. Collet: Tractatus de universa Theologia morali Tom. V. Tr. de Decalogo cap. 1. Par. I. Sect. 2. Scavini: Theol. mor. universa Tom. II. Tract. VIII. Disp. I. cap. 3. art. 2. §. II. Perrone: Praelectiones Theologicae de virtutibus fidei, spei et caritatis cap. 8.

B. De vitiis fidei oppositis.

§. 8.

De his vitiis in genere.

1. — Virtuti fidei theologicae vitia alia opposita sunt per excessum, alia per defectum.

1. Per excessum contra fidem divinam peccatur *temera credulitate,* qua ex cordis levitate creduntur res tamquam ad fidem et religionem christianam spectantes, quin tales sint, ut e. g. si quis leviter credit privatas revelationes valde suspectas et dubias, assentitur opinioni cujuscunque doctoris quolibet fundamento destitutae. Qua de re sollicite monet s. Apostolus Paulus: „*Omnia probate, quod bonum est, tenete.*“ 2. Thess. 5. 21., et s. Apostolus Joannes: „*Carissimi, nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint; quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.*“ 1. Joa. 5. 1.[1])

2. — II. Per defectum contra fidem divinam peccatur *infidelitate,* quae est carentia verae fidei. Haec duplex est: negativa et positiva seu contraria.

Infidelitas *negativa* (materialis) est carentia fidei in eo, cui numquam vel non satis est annuntiata vera religio.

Infidelitas *positiva* seu contraria (formalis) est carentia fidei in eo, qui auditui fidei repugnat vel fidem ipsam contemnit.[2])

3. — Praecipuae infidelitatis species sunt: Paganismus, Judaismus et haeresis. Videlicet infidelitas, quae adversatur fidei nondum susceptae, est *Paganismus,* quo etiam Mahometismus spectat; infidelitas, quae renititur fidei christianae susceptae in figura, est *Judaismus;* infidelitas repugnans fidei susceptae in veritatis manifestatione, est *haeresis.* Ita d. Thomas.[3])

[1]) S. Augustinus ait: „Credere autem tunc est culpandum, cum vel de Deo indignum aliquid creditur, vel de homine facile creditur.“ De utilitate credendi cap. 11. n. 25.

[2]) S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 1.

[3]) 2. 2. q. 10. a. 5.

Ad haeresin revocatur *apostasia* hoc tamen discrimine, quod haeresis est error ex parte tantum fidei contrarius, apostasia autem est totalis defectio a fide.[1]) Hinc apostasiae rei sunt non tantum, qui suscepto baptismo transeunt ad Judaismum vel Mahometismum, sed illi etiam, qui rejecta divina revelatione rationalismum vel naturalismum vel pantheismum vel materialismum tenent, item qui omnis confessionis expertes se dictitant omnemque religionem penitus abjiciunt. Inter quos certo pessimi illi sunt, qui sectae francomuratoriae se adscribunt, cujus scopus in eversione christianismi consistit.

Ab haeresi distinguendum est *schisma*, quod quippe in subtractione malitiosa ab obedientia capiti Ecclesiae debita consistit. Haeresis per se fidei, schisma charitati repugnat. Hinc, quemadmodum qui caret fide, etiam charitate destituitur: ita pariter quicumque haereticus est, etiam schismaticus est; sed non vice versa. Sicut autem amissio charitatis subinde perducit ad amittendam fidem: ita quoque schisma viam ad haeresin sternit, unde s. Hieronymus ait: *„Nullum schisma est, quod non sibi aliquam haeresin confingat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.“* [2])

PRINCIPIA.

4. — **Principium I.** Infidelitas negativa non est peccatum. Etenim peccatum reperiri nequit, ubi ignorantia est invincibilis, qualis subest infidelitati negativae, ut ex ejus charactere liquet coll. n. 2. Quapropter jure meritoque a s. Pio V. et Gregorio XIII. damnata est propositio 67. Baji, quae sic legitur: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.* [3])

---

[1]) S. Thomas ait: „apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quandam circumstantiam aggravantem.“ 2. 2. q. 12. a. 1. ad 3. Huic sententiae Suarez, Lugo, Canus aliique adhaerent. Nonnulli autem contenderunt, apostasiam esse speciem distinctam infidelitatis. Cf. Lugo: De virtute fidei divinae Disp. XVIII. Sect. IV. n. 10. et sq.

[2]) S. Thom. 2. 2. q. 39. a. 1. c. et ad 3.

[3]) Ad rem d. Thomas: „Infidelitas in iis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis poenae, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quae sine fide remitti non possunt, non autem damnantur ob infidelitatis peccatum: unde Dominus dicit Joa. 15. *„Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.“* 2. 2. q. 10. a. 1. c. Quibus conformiter pronuntiavit *Concilium Prov. Coloniens.* 1859. Par. I. Tit. VII. cap. 27.: „Deus igitur ita illuminabit et movebit infideles, ut, si his motibus obsequantur ad fidem quocunque demum modo pertingant. Si non obsequantur, peccant Deo non obediendo legemque violando naturalem; infidelitas ipsa tamen nondum erit peccatum, cum nesciant se resistendo illis gratiae motibus fidei beneficio privandos esse.“

Principium II. Infidelitas positiva seu contraria peccatum est, quia contemptum continet divinae veritatis et auctoritatis.[1]) Et majus quidem quodammodo est omnibus aliis peccatis, quatenus per infidelitatem homo maxime a Deo elongatur, siquidem primus accessus ad Deum fit per fidem testante Apostolo Hebr. 11. 6.[2])

Quod singulas infidelitatis species attinet, Judaismus culpabilior est, quam Paganismus, haeresis autem utroque gravius peccatum est[3]); unde s. Petrus: *„melius,* inquit, *erat illis* (haereticis), *non cognoscere viam justitiae, quam post cognitionem retrorsum converti.“* 2. Petr. 2. 21.

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 10. a. 1. 2. 3. 5. et 6.

§. 9.

De infidelitatis speciebus.

A. De Paganismo et Judaismo.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Nefas est, paganos aut Judaeos ad amplectendam fidem, licet sufficienter sibi propositam, vi externa compellere. Sic fert doctrina Ecclesiae catholicae, quae numquam non tenuit ac voluit, persuasione, non coactione utendum esse ad ethnicos et Judaeos convertendos.[4])

Communiter tamen tradunt cum d. Thoma.[5]) infideles compelli posse a fidelibus, ne fidem impediant vel blasphemiis vel malis persuasionibus vel etiam apertis persecutionibus; idcirco Christi fideles frequenter contra infideles jure bella moverunt.

2. — **Principium II.** *Ritus infidelium a principibus christianis nunquam approbari vel foveri, sed tolerari tamen aliquando possunt,* si nimirum per eorum prohibitionem vel majora mala inducerentur vel majora bona impedirentur. Facilius autem Judaei in ritibus suis tolerantur, quia exinde magnum hoc bonum provenit, quod testimo-

---

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 1.

[2]) Idem: 2. 2. q. 10. a. 3.

[3]) Idem: 2. 2. q. 10. a. 6.

[4]) Consuli possunt s. Thomas: 2. 2. q. 10. a. 8. et 12. Suarez: De fide Disp. XVIII. Sect. III. n. 4. Lugo: De virt. fidei div. Disp. XIX. Sect. II. §. II.

[5]) S. Th. 2. 2. q. 10. a. 8.

nium fidei nostrae habemus ab hostibus. Ita s. Thomas[1]) et alii communiter.

3. — **Principium III.** *Non licet cum infidelibus communicare in sacris,* i. e. in iis, quae ad religionem praecise pertinent, nempe in eorum dogmatibus, ritibus superstitiosis, quia hoc esset profiteri infidelitatem. Unde Apostolus: *„quae par fideli cum infideli?"* 2. Cor. 6. 15. In profanis autem et politicis rebus cum iis communicare licet, modo absit periculum perversionis.[2])

In specie quod attinet *communicationem fidelium cum Judaeis,* tum ad tuendam christianae religionis dignitatem, tum ad vitandum perversionis periculum, ab Ecclesia statutum est: 1) ne christiani cum Judaeis habitent, 2) ne eorum conviviis intersint, 3) ne eorum azymis vescantur, 4) ne communi balneo utantur, 5) ne iisdem famulentur, aut eosdem ut medicos adhibeant, 6) ne mulieres christianae lactent judaeorum infantes sive in eorum domo, sive in domo propria.[3])

Attamen secluso quolibet scandali et perversionis periculo probabiliter non est lethale, imo nulla est culpa, si id fiat ex rationabili causa.[4]) Item non peccat, qui ex mera curiositate synagogas visitat sine scandalo et salutis discrimine.

§. 10.

B. De haeresi.

1. — *Haeresis est error intellectus pertinax contra fidem in eo, qui fidem suscepit.*[5]) Unde ad haeresim proprie dictam seu *formalem* requiritur 1) ex parte intellectus error *contra fidem*, id est, contra doctrinam, quae pertinet ad dogmata catholica; 2) ex parte voluntatis *pertinacia*, quae generatim in eo consistit, quod quis non vult judicium suum submittere Ecclesiae; — non requiritur necessario, ut quis acriter et mordicus errorem suum tueatur.

Quodsi error intellectus contra fidem absque dicta voluntatis pertinacia habeatur: tunc haeresis vocatur *materialis.*

2. — Hinc 1. haereticus non est, qui rejicit doctrinam, quae non est de fide; vel qui exterius tantum fidem negat, licet graviter peccet contra fidem.[6])

---

[1]) 2. 2. q. 10. a. 11.
[2]) Voit: Theol. mor. De fide n. 372. Scavini: Theol. mor. univ. Tom. II. Tract. VIII. Disp. I. cap. 4. art. I. p. 654.
[3]) C. Nullus c. Omnes c. Judaei. Pius IV. Constit. *Cum omnes*, et S. Congr. Inquis. die 15. Mart. 1612.
[4]) S. Alph. l. III. n. 18.
[5]) S. Alph. l. c. n. 19.
[6]) Idem l. c.

2. Est haereticus formalis, qui positive dubitat de aliquo fidei articulo ab Ecclesia jam definito, judicans illum esse incertum; si quidem judicium suum non vult Ecclesiae subjicere.[1])

3. Nemo est haereticus formalis, quamdiu paratus est, judicium suum Ecclesiae submittere, aut nescit, contrarium tenere veram Christi Ecclesiam, esto quod ex ignorantia etiam culpabili et crassa sententiam suam mordicus tueatur.[2])

4. Quicunque in diversis sectis nascuntur, si valide sunt baptizati, fidem infusam habent et ad veram Christi Ecclesiam, nempe catholicam pertinent. Tunc vero catholici esse desinunt et haeretici formales fiunt, cum dubitant de sua religione, nec volunt ulterius inquirere, vel dum veritatem erroribus sectae contrariam agnoscunt et non amplectuntur, imo sectae erroribus pertinaciter inhaerent.[3])

3. — Haeresis est *interna*, si mente latet, *externa*, si ore vel facto manifestatur. Haec porro, nempe externa, audit *occulta*, quae nemini vel paucis innotescat, *publica*, quae compluribus cognita est.

4. — In haereticos ab Ecclesia variae poenae statutae sunt. Poena principalis in apostasiae et haereseos crimen decreta vi Constitutionis Pii IX. *Apostolicae Sedis* a. 1869. est excommunicatio latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservata. Nam in Articulo I. hujus Constitutionis enuntiatur, praedictae censurae subjacere *„omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocunque nomine censeantur, et cujuscunque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores."* Itaque excommunicationem latae sententiae speciale modo Romano Pontifici reservatam incurrunt 1. *omnes apostatae,* quales etiam sunt Rationalistae, ceterique superius §. 8. n. 3. memorati, *et omnes haeretici, cujuscunque sectae existant,* nempe illi, qui sectae cuicunque haereticorum formaliter aggregati sunt; requiritur tamen a) ut apostasia et haeresis sit formalis, atque b) ut sit externe manifestata coram uno vel altero homine, quamvis manifestatio notoria non evaserit (externa non publica). Eidem censurae innodati sunt 2. *eis credentes,* haeresi vel apostasia eorum cognita, licet alicui sectae non sint adscripti, porro *eorumque receptores, fautores, ac generaliter quilibet eorum defensores,* cum illos esse haereticos vel apostatas cognoverint.

---

[1]) Idem l. c. Lib. VI. n. 302.
[2]) Idem l. c.
[3]) Perrone: de baptismo n. 126. Vid. S. Aug.: De civitate Dei Lib. XVIII. cap. 5.

Aliae poenae in haereticos statutae in jure canonico sunt sequentes: 1. Irregularitas, quam etiam haereticorum filii incurrunt; 2. Privatio jurisdictionis spiritualis; 3. Inhabilitas ad beneficia obtinenda, quae statim incurritur. Item privatio beneficiorum, si jam fuerint obtenta, sed post sententiam saltem criminis declaratoriam; 4. Privatio sepulturae ecclesiasticae.

Quod schismaticos attinet, hi quoque subjacent excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae; quod ex Art. III. ejusdem Constitutionis Pii IX. *apostolicae Sedis* constat.

PRINCIPIA.

5. — **Principium I.** Princeps catholicus in regno suo catholici nominis publicum sectarum immigrantium cultum omnibus, quibus commode potest, modis impedire debet, tam ob scandalum et periculum fidei in subditis catholici nominis praecavendum, quam ob ipsius reipublicae damnum propellendum. Si enim minora vitia permittere non potest, quanto minus ea, quae veram religionem oppugnant? Ubi vero haereses novas impedire non valet sine graviori damno publico, cultus et conscientiae libertatem tolerare potest, tamquam minus malum ad evitandum majus, quod alioquin sequeretur. Sic fert doctrina communis. [1])

Apostolica Sedes numquam non absolutam cujusvis religionis cultusque libertatem atque aequalitatem reprobavit. S. P. Pius VI in epistola ad Cardinalem la Rochefoucault ceterosque praelatos Conventus Constitutionis in Gallia data haec edicit: „*Eo consilio decernitur ex illa conventus constitutione, in jure positum esse, ut homo in societate constitutus omnimoda gaudeat libertate, ut turbari scilicet circa religionem non debeat, in ejusque arbitrio sit de ipsius religionis argumento quidquid velit opinari, loqui, scribere, ac typis etiam evulgare. Quae sane monstra ab illa hominum inter se aequalitate, naturaeque libertate derivari ac emanare declaravit. Sed quid insanius excogitari potest, quam talem aequalitatem libertatemque inter omnes constituere? — Nunc alia ratione nomen illud* l i b e r t a t i s *expendamus, discrimenque inspiciamus, quod intercedit inter homines, qui extra gremium Ecclesiae semper fuerunt, quales sunt infideles et judaei, atque inter illos, qui se Ecclesiae ipsi per susceptum Baptizmi Sacramentum subjecerunt.* P r i m i *etenim constringi ad catholicam obedientiam profitendam non debent, contra vero* a l t e r i *sunt cogendi. Id quidem discrimen solidissimis, prout solet, rationibus exponit s.* T h o m a s A q u i n a s, *ac multis ante saeculis* T e r t u l l i a n u s *exposuit in libro Scorpiaci adversus Gnosticos, et paucis ante annis, Benedictus XIV. in opere: De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione. Atque ut magis adhuc hujus argumenti pateat ratio, videndae sunt duae celeberrimae, ac pluries typis editae s. Augustini epistolae, una ad Vincentium Cartennensem, altera ad Bonifacium comitem, per quas non veteres tantum, sed et recentes haeretici plane refelluntur. Quare manifeste perspicitur, aequalitatem et libertatem a conventu nationali jactatam, in illud, ut jam, probavimus, recidere, ut catholica subvertatur religio, cui propterea dominantis titulum in regno, quo polita semper est, detrectavit.*"

[1]) Consulantur s. T h o m a s: 2. 2. q. 10. a. 11. G r e g o r i u s de V a l e n t i a: Tom. III. Disp. I. q. 10. Punct. 7. M o l i n a: Tr. II. de jure et justitia, Disp. 335. Card. L u g o: De virtute fidei divinae Disp. XIX. Sect. II. §. IV. n. 120. et sq., qui propositam sententiam vocat „regulam communem et verissimam." B e c c a n u s: Duell. de primatu regio Lib. III. cap. 8. S c h r a d e r: De unitate Romana Lib. I. n. 41—44. Friburgi 1862. Recte doct. T o s i observat: „Es können Verhältnisse eintreten, in welchen der Staat klug und gerecht handelt, wenn er — mit Beobachtung der nöthigen Vorsichtsmassregeln eine grössere oder kleinere Anzahl von Culten freigibt. Dass sich die Sache so verhalte, beweist das Beispiel des hl. Vaters selber, welcher in Rom innerhalb der zu diesem Zwecke bestimmten Gebäude und Räumlichkeiten jüdischen, schismatisch-griechischen und verschiedene Formen des protestantischen Gottesdienstes ohne irgend eine Behinderung stattfinden lässt." Vorlesungen über den Syllabus S. 218. Wien 1868.

Gregorius XVI. in encycl. *Mirari vos* haec sapienter edicit: „*Atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte, absurda illa fluit ac erronea sententia, seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet* l i b e r t a t e m c o n s c i e n t i a e. *Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa atque immoderata libertas opinionum, quae in sacrae et civilis rei labem late grassatur, dictantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in Religionem promanare. At quae pejor mors animae, quam libertas erroris? inquiebat Augustinus.*"

Gloriose regnans Pius IX. in Syllabo sequentes sententias huc spectantes condemnavit.

77. *Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscunque cultibus exclusis.*

78. *Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.*

79. *Enimvero falsum est, civilem cujusvis cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.*

6. — **Principium II.** Nefas est catholico cum haereticis communicare in sacris, quia hoc esset fidem simulare. In profanis autem et civilibus rebus cum haereticis communicare licet, dummodo absit perversionis periculum, et haeretici non sint nominatim excommunicati adeoque vitandi.

Hinc. 1. „Catholicis regulariter non licet haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptizmis et matrimoniis interesse: absolute autem non licet nec per se, neque per alios fungi officio patrini in baptizmis, quae haereticorum filiis ab haereticis ministrantur." Sic s. Offic. 10. Maji 1770. Illicitum autem non est, ex mera curiositate haereticorum templa visitare, eorumque conciones et cantus auscultare; item, eorum funera humanitatis causa comitari, vel

convivio nuptiali interesse; in his quippe communicatio in sacris non obtinet. Sed absit scandalum et fidei periculum.

2. Si princeps sub poena omnes jubeat haereticorum conciones audire, ei obtemperare non licet; quod confirmatur ex rescripto Pauli V. ad Anglos: *Non licet vobis haec facere sine detrimento divini cultus ac vestrae salutis.*

3. Illicita per se sunt matrimonia mixta, quae quippe Ecclesia nunquam non reprobavit „tum ob flagitiosam in rebus divinis communionem, tum ob impendens catholico conjugi perversionis periculum pravamque sobolis institutionem," ut habetur in Instructione Romae data 23. Maji 1841. ad Austriae episcopos. Porro Ecclesia ejusmodi matrimonia ex gravi tantum causa omnique tum conjugis catholici tum sobolis oriundae periculo semoto permittit. Hinc graviter peccat persona catholica, quae absque dispensatione matrimonium attentat cum persona acatholica.[1])

4. Haereticis famulari, dum manifestum subest perversionis periculum, non licet. Idem pariter dicendum, si famulus ab impletione praeceptorum Ecclesiae impediatur plerumque, secus vero, si raro tantum impediatur.[2]) In praxi in hujusmodi servitio vix aberit periculum indifferentismi pro famulo catholico, ideo enixe ille monendus, ut quam primum commode possit, dominum haereticum relinquat.

7. — **Principium III.** Disputatio privata cum haereticis ad tuenda dogmata catholica vitari debet, nisi sit urgens necessitas et spes fructus; secus enim religio catholica facile despectui exponeretur, atque haeretici in suis erroribus confirmarentur.[3])

Publica vero disputatio cum haereticis plane fieri nequit absque expressa Summi Pontificis licentia, *quia* (ut S. C. C. die 8. Martii

---

[1]) Plenam doctrinae de matrimoniis mixtis expositionem invenies in opere eruditissimo: Das Eherecht der kathol. Kirche nach seiner Theorie und Praxis von Dr. Johann Kutschker. Wien 1857. IV. B. 7. Absch. 11. Hauptst.

[2]) La Croix: Th. m. Lib. II. n. 104. Voit: Th. mor. n. 380.

[3]) Imo ex jure ecclesiastico hujusmodi disputationes sub poena excommunicationis ferendae sententiae laicis sunt interdictae, cap. 2. §. 2 de haeret. in 6. Quod tamen intelligunt extra casum urgentem, ut Scavini animadvertit. Porro Reuter: P. II. Tract. I. n. 3. dicit: „Imo putatur lex in locis, ubi haeretici grassantur, abrogata quoad privatas et familiares conferentias. Illae enim in curribus, navibus, ab iter agentibus, et in mensis absque scrupulo fieri solent, sciuntque hoc, nec contradicunt Praelati. Manet tamen obligatio legis naturalis, ubi periculum est, ne quis fidelis vacillet, aut fides vilipendatur." Idem arbitratur Reiffenstuel: Tom. II. Tract. IV. n. 44. aliis quoque pro sua sententia citatis.

1658. advertit) *plerumque vel ob loquacitatem, audaciam, aut circumstantias populi acclamantis, veritas falsitate praevalente opprimitur.* Recte igitur res tanti ponderis judicio Apostolicae Sedis committenda est.

8. — **Principium IV.** Ob periculum perversionis in fide et moribus illicita est lectio librorum de religione perverse tractantium. Sed hoc de argumento gravissimi momenti explicatius agendum est.

Casus.

9. — *Celsus oecumenicum characterem Concilii Vaticani, ideoque etiam dogma de infallibilitate Romani Pontificis e cathedra loquentis negat. — Caesarius dubium fovet, num doctrina a Concilio Vaticano definita de infallibili magisterio Romani Pontificis in s. scriptura et Traditione revera contineatur. — Cleonicus assensum in dogma praedictum suspendit, donec illud, ut dicit, ratione sua perspexerit. Quaeritur, an viri illi sint haereseos rei?*

Resp. *ad 1.* Concilium aliquod oecumenicum esse revera tale, credendum est fide divina. Cum enim definitiones dogmaticae Concilii oecumenici fide divina credi debeant, in antecessum infallibilis auctoritas, adeoque oecumenicus character Concilii fide divina credatur oportet. Porro ad magisterium Ecclesiae, potissime vero ad Romanum Pontificem pertinet infallibiliter judicare, Concilium esse oecumenicum, id quod certissime constat, si Papa Concilium ceu oecumenicum adprobat et confirmat. Cum enim Ecclesiae magisterium infallibile sit in declarando vero sensu dogmatum revelatorum, eo ipso infallibile est in declarando vero sensu suae auctoritatis et infallibilitatis, quae quippe pertinet ad dogmata revelata, adeoque in judicio de omnibus, in quibus ipsi competat infallibilis auctoritas, ergo etiam, an Concilium sit oecumenicum ac proinde infallibilitatis charismate gaudeat. Et sicuti infallibilitas Ecclesiae et Romani Pontificis fide divina est credenda propter auctoritatem Dei revelantis: ita declaratio Ecclesiae vel Romani Pontificis de oecumenico charactere Concilii fide divina credenda est propter auctoritatem Ecclesiae vel Pontificis infallibilem divinitus revelatam. — Jam vero, ut ad casum propositum veniamus, Sanctissimus Pater Concilium Vaticanum tamquam oecumenicum convocavit, ejusdemque acta confirmavit; quae quidem ratio sola plene sufficiens est ad illud Concilium ceu vere oecumenicum habendum; praeterea autem omnes simul episcopi orbis catholici illud agnoscunt. Quapropter qui negat Concilium Vaticanum esse oecumenicum ac legitimum, non amplius catholicus, sed haereticus est. Unum autem peccatum committit, qui oecumenicum Concilii hujus characterem et infallibilitatem Summi Pontificis vel alios adhuc fidei articulos expresse negat; quia est unum objectum fidei formale coll. §. 2. n. 6. Et qui unum fidei articulum, e. g. infallibilitatem Romani Pontificis rejicit, nec quoad ceteros fidem theologicam habere potest §. 5. n. 1.

Ad 2. Concilium Vaticanum dogma de Romani Pontificis infallibilitate ut divinitus revelatum (sicut quodvis dogma est) definivit. Qui vero dubitat, an haec doctrina in s. scriptura et Traditione contineatur, eo ipso dubitat, an sit a Deo revelata. Porro dubitans, num doctrina, quam Ecclesia tamquam divinitus revelatam proponit credendam, sit revera a Deo revelata, se non submittit Ecclesiae, sed contra Ecclesiae auctoritatem sentit, atque auctoritati Dei per Ecclesiam manifestatae resistit, hinc pertinaciter errat in materia fidei, adeoque haereticus formalis est.

Ad 3. Qui pertinaciter assensum in dogma fidei ab Ecclesia definitum suspendit, haereticus est, ut patet, eoque magis, si nec umquam credere vult propter auctoritatem Dei revelantis et Ecclesiae, quae quoad nos est regula proxima credendorum, sed propter aliquam rationem naturali lumine intellectus perspectam. Cf. §. 2. n. 6. et 7.

10. — *Quid de iis censendum, qui literas consensus et adhaesionis direxerunt ad magistros seu duces eorum, qui se veteres catholicos appellant? Quomodo peccarunt, et an sunt excommunicati?*

Resp. Peccarunt 1. graviter contra fidem, et a) quidem haeresi formali externe manifestata, si interne consenserunt erroribus illorum, ad quos literae scriptae sunt, b) negatione fidei catholicae, si ficte consensum declararunt, e. g. ex metu et respectu humano. Peccarunt graviter 2. contra obedientiam Ecclesiae debitam seditione, tumultum enim literis istis publicatis contra Ecclesiae supremam auctoritatem excitarunt vel concitare intenderunt. Peccarunt 3. graviter contra charitatem proximi, nempe a) scandalo, quod multis per notorias illas literas dederunt, b) cooperatione ad peccata, quae a magistris illis et ducibus neohaereticorum patrantur; dum eisdem per actum adhaesionis vel adulationis et gratulationis favebant, eorumque malam voluntatem fovebant. Peccarunt consequenter 4. contra virtutes, quae a ducibus neohaereticorum violantur, quia ad eas violandas cooperati sunt, nempe haeresi et schismate contra fidem et charitatem. Etenim illi sunt h a e r e t i c i ob negatam pertinaciter infallibilitatem Romani Pontificis e cathedra loquentis, s c h i s m a t i c i, quia excutere attentant jugum regiminis Romani Pontificis et de rebus religionis disponunt ad instar supremae auctoritatis independentis. An qui praedictas literas scripserunt, vel eisdem subscripserunt aliter adhuc peccaverint, ex tenore illarum speciali eruendum foret, ut e. g. si blasphemias in Christi Vicarium vel Ecclesiam continuerint. — Quod quaestionem attinet, an sint excommunicati, responsum distinctione necessaria facta in promptu est ex dictis n. 4.

11. — *An licitum est, sacerdotum, qui veterem fidem se docere fingunt, concionibus interesse? An neohaeretici ad munus patrini in Baptismo et Confirmatione admitti possunt? An permissum est parti uni catholicae cum altera in praedicta haeresi obfirmata matrimonium contrahere?*

Resp. De his omnia valent, quae respectu aliorum haereticorum praeceptum naturale et divinum prohibet catholicis coll. n. 6. S. Congr. Inquis. die 17. Sept. 1871. laudavit episcopos Bavariae „tum ex eo, quod hujusmodi haereticos a patrini munere in baptismo et confirmatione rejiciendos esse declaraverint, tum magis, quia eosdem nuptiis catholico ritu celebrandis non esse admittendos sanxerint, nisi praemissis monitionibus et hortationibus ad effectum eos removendi ab haeresi.“ Et adjecit, quod si contingat, ut una pars catholica et altera in praedicta haeresi obfirmata nuptias contrahere velit, episcopi praevio parochorum recursu se gerant ad formam instructionis de matrimoniis mixtis jam pridem datae.

§. 11.

De lectione librorum prohibitorum.

1. — „Falsa, temeraria, Apostolicae Sedi injuriosa, et fecunda malorum in Christiano populo ingentium doctrina illorum est, qui nedum censuram (ecclesiasticam) librorum veluti gravem et onerosam rejiciunt, sed eo etiam improbitatis progediuntur, ut eam praedicent

a recti juris principiis abhorrere, jusque illius decernendae habendaeque audeant Ecclesiae denegare.“ Sic Gregorius XVI. in epist. encycl. die 15. Augusti 1832.

Ecclesiae praesulibus, et praeprimis Romano Pontifici, jus competere, lectionem pravorum librorum fidelibus prohibendi, ex s. scriptura, ex perpetua Ecclesiae consuetudine, atque ex ipsa rei, de qua agitur, natura firmissime evincitur.

1. Ex s. scriptura. Etenim ex his verbis: „*Pasce agnos meos, pasce oves meas*“ Joa. 21. 15. „*Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*“ 1. Petr. 5. 2. „*Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*“ Act. 20. 28., liquido patet omnibus episcopis, et praecipue eorum capiti, Romano Pontifici, divinitus collatam esse potestatem, oves Christi ad bona pascua ducendi, et consequenter a malis noxiisque arcendi, sive verbis, sive scriptis illa exhibeantur; profecto enim scripta veluti pascua sunt spiritualia.

2. Ex perpetua Ecclesiae consuetudine, inde jam a tempore Apostolorum vigente. Legitur enim Act. 19. 19.: „*Multi autem ex his, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus.*“ Apostolorum exemplo inhaerentes subinde Ecclesiae praesules haereticorum scripta condemnare penitusque aboleri consueverunt. Sic Patres Concilii Nicaeni (325.) libros Arii damnarunt et comburendos esse decreverunt. Concilium Ephesinum (431.) omnia Nestorii scripta prohibuit, demum Concilium Chalcedonense (451.) scripta Eutychetis diris devovit. Et ita porro alia Concilia, multique Pontifices quoad haereticorum libros egerunt, ut multis ostendit s. Alphonsus. [1])

Majori vigilantia opus erat, cum typis inventis libri summa celeritate ubique divulgari coeperunt. Ideo Concilium Lateranense V. (a. 1515.) sanxit, ne deinceps ullus liber typis imprimatur, nisi ab episcopo aut fidei quaesitoribus probatus fuerit. Praeterea ad pravos libros jam editos eliminandos Paulus III. a. 1522. in Bulla: *Licet ab initio* Congregationi generalis Inquisitionis, pravos libros prohibendi curam imposuit. Utque librorum damnationes ad fidelium notitiam possent pervenire, Paulus IV. a. 1557. Indicem librorum prohibitorum ab inquisitoribus confici jussit, quem Pius IV. annuente

[1]) Dissertatio de justa prohibitione et abolitione librorum, in op. Theol. mor. Lib. III. Tract. III. in Appendice.

Concilio Tridentino ampliavit et cum ejusdem regulis ab omnibus fidelibus ubique observari jussit, die 24. Martii 1564. *Dominici gregis.* Postbac, cum libri perniciosi magno numero undique spargerentur, atque Congregatio generalis Inquisitionis ad eos examinandos non amplius sufficeret: s. Pius V. anno 1566. Congregationem Indicis instituit, quae in id unice incumberet, ut opera fidei et moribus perniciosa indicaret et in catalogum referret. Tandem Clemens VIII. a. 1594. Indicem aliquibus declarationibus auctum denuo per totum orbem catholicum publicari jussit.

3. Ex ipsa rei natura. Quot enim mala ex libris, qui fidei et bonis moribus officiunt, dimanent, vix verbis exprimi potest. Quocirca, si libros hujusmodi interdicendi potestas Ecclesiae non competeret, aut fideles hac in re gravissima ipsi obedire non obstringerentur, nec Christus Ecclesiae suae satis providisset, neque fideles evidenti periculo ruinae spiritualis efficaciter subtraherentur.

2. — Juxta regulas Indicis prohibiti sunt 1. omnes libri haeresiarcharum, etiamsi de religione non tractent; 2. aliorum quoque haereticorum libri, qui de religione ex professo tractant; permittuntur vero horum haereticorum libri, qui agunt de rebus profanis, e. g. de historia, modo legitime examinati et probati fuerint. Imo s. Alphonsus absolute dicit, non esse prohibitos libros haereticorum, qui de alia materia, quam spirituali tractant, sed absque ullo errore.[1]) Praeterea 3. legere non licet scripta cujusvis auctoris (sive haeretici sive non haeretici) ob haeresim aut falsi dogmatis suspicionem damnata et prohibita. Interdicuntur etiam versiones Bibliorum sacrorum, nisi (ut Clemens VIII. ex Decr. s. Congr. Ind. 15. Junii 1557. declaravit) *fuerint ab Apostolica Sede approbatae aut editae cum adno-*

[1]) Theol. mor. Lib. III. Appendix de prohibitione librorum cap. 4. *Resolvuntur* n. X. — Nonnumquam etiam quoad libros haereticorum de religione tractantes exceptio dari potest. Perrone scribit: „Libri haereticorum de religione tractantes hoc ipso, quod ab haereticis prodierint, interdicti sunt. Attamen quandoque exceptiones habentur ab hac regula, cum videlicet agitur de nonnullis operibus de religione tractantibus editis ab heterodoxis, quae communi consensu innoxia sunt, quandoque etiam rei Christianae et Catholicae utilia; exemplo sint: Tractatus de religione Hugonis Grotii, Systema theologicum Leibnitii, Historia Innocentii III. ab Hurter adhuc acatholico edita, item Vita s. Gregorii VII. a Voigt exarata, Epistola Cobbet circa ita nuncupatam reformationem Anglicanam, aliaque ejusmodi. Haec enim omnium Catholicorum manibus teruntur, quin Ecclesia ea improbet, imo vero quandoque haec ipsa Romae vulgata sunt, ac legitima auctoritate probata fuere." Praelect. Theol. de Virt. fidei, spei et charit., n. 617. pag. 225. Ratisbonae 1865.

tationibus desumptis ex sanctis Patribus vel ex doctis catholicisque viris. Libri obscoena tractantes absolute prohibentur, quamvis non inveniantur in Indice descripti. Omnes pariter libri vetiti sunt, qui de astrologia, divinatione, sortilegiis tractant, tamquam de haeresi suspecti.

3. — Quod attinet sanctionem prohibitioni librorum adjunctam, in regula 10. Indicis statuitur, quod si quis libros haereticorum, qui duces sunt, nec non aliorum haereticorum, qui de religione ex professo tractant, vel cujusvis auctoris scripta ob haeresim vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit aut habuerit, excommunicationem (nulli tamen reservatam) ipso facto incurrat; qui vero libros alio nomine interdictos legerit aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio episcoporum severe puniatur. His addendum, quod insuper multi reperiuntur libri per Apostolicas literas Summorum Pontificum prohibiti vel sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae, vel sub poena excommunicationis non reservatae, vel sub nulla expressa censura.

Verum recentissime P. M. *Pius IX.* per Constitutionem *Apostolicae Sedis* die 12. Octobr. 1869. (in qua generatim censurae aliae abrogatae, aliae temperatae, aliae innovatae sunt, ita ut nonnisi insertae huic ipsi Constitutioni robur exinde habeant) censuram quoad libros prohibitos inflictam ad pauciores casus restrinxit, in Articulo II., in quo *excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae* subjacere declarat *„omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes."*

Itaque sub *poena excommunicationis latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae* prohibiti sunt libri duplicis classis: 1. *libri apostatarum et haereticorum* seu libri conscripti ab eis, qui formaliter coaptati sunt in sectas, et eo magis earum duces. Hos et non alios sub apostatis et haereticis hic loci intelligi, colligitur ex art. I. ejusdem Constitutionis, in quo fit distinctio inter haereticos et inter eos, qui illis credunt, nempe damnatis haereticorum erroribus adhaerent, quin ad eorum sectas formaliter pertineant. Hinc sub praedicta censura non comprehenduntur libri exarati ab eis, qui licet apostatis vel haereticis credunt seu favent, tamen eorum sectis formaliter non sunt adscripti. Porro requiritur ad censuram incur-

rendam, a) ut libri talium auctorum *haeresim propugnent*, qua nota excludi videntur libri apostatarum vel haereticorum, qui haeresim simpliciter propalant, non propugnant; et adhuc requiritur, b) ut sint veri nominis *libri;* quare concio vel epistola haeretici seorsim edita, atque ephemerides haereticorum, quae haeresim propugnant, quousque libri formam non prae se ferunt, sub indicata censura non sunt prohibitae. [1]) Ratio est, quia lex, quae poenam decernit, strictae interpretationis est. Sed lectio ephemeridum, quae commenta fidei et moribus perniciosa continent, prohibita est jure naturae ob periculum perversionis; nec non illarum emptio, ubi nulla suppetit rationabilis causa, interdicta est jure naturae ob cooperationem in causam pravissimam. — Sub poena excommunicationis latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae interdicti sunt 2. *libri cujusvis auctoris* (sive haeretici, sivi non haeretici) *per Apostolicas literas nominatim prohibiti.* Hinc ad censuram incurrendam requiritur a) ut libri sint prohibiti non per sola Decreta Indicis librorum, sed *per Apostolicas literas* seu eas, quae immediate a Romano Pontifice prodeunt (quando in ipsis literis dicitur, *de Apostolicae nostrae potestatis plenitudine*) sive in forma Brevis, sive Bullae, sive epistolae encyclicae, sive quavis alia forma; et insuper requiritur, b) ut *libri nominatim prohibiti* sint seu per suos proprios titulos assignatos. Haec porro dispositio respicit non tantum libros futuros prohibendos, sed comprehendit etiam praeteritos per Apostolicas literas nominatim prohibitos sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae, cum nulla temporis distinctio adjecta sit. [2]) — Denique observandum, quod praefatam censuram incurrunt non tantum libros modo designatos sine auctoritate Sedis Apostolicae scienter *legentes*, sed etiam *eosdem libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes,* ut in praefato articulo expresse declaratur.

Igitur vigore hujus constitutionis cessant censurae pro libris prohibitis antea latae, et sola valet excommunicatio latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservata, eaque pro illis tantum libris, qui modo sunt memorati. Vix autem observare necesse est, quod lex Indicis quoad reatum culpae tota quanta in suo vigore manet, ita ut sine gravi culpa legi non possint libri in Indicem relati

[1]) S. Alph. Lib. III. Appendix de prohibitione librorum n. VII.

[2]) Explicatio haec desumta est ex eruditis Commentariis, quos in Constitutionem *Apostolicae Sedis* dedit cl. *Petr. Avanzini* in ephem.: Acta Sanctae Sedis etc. Vol. VI. Fasc. 65. Appendix III. pag. 113. et seq. Romae 1871.

vel alio modo ab Apostolica Sede prohibiti, quamvis censura non incurratur, nisi in casibus designatis.

4. — Sine *facultate legitima* libri prohibiti nec legi neque retineri possunt; sed juxta praeceptum Pii IV. aut Inquisitoribus aut episcopo tradi debent. Sufficere autem communiter dicunt, si hujusmodi libri quocunque modo destruantur, quia etiam sic agendo non retinentur, et Benedictus XIV., cum aliquos libros damnasset, eosdem aut consignari (episcopo) aut concremari jussit. [1])

Licentia legendi libros interdictos ordinarie impetranda est a Pontifice Romano, vel a Congregatione Indicis vel a Congregatione Inquisitionis; nam facultas permittendi competit ei, cujus est prohibere. Episcopi tamen vi Facultatum quinquennalium potestate delegata hanc licentiam sacerdotibus concedendi gaudent.

Nec quis absque legitima facultate legere potest prohibitos libros, si nullum ex eis periculum sibi imminere putet. Recole dicta Lib. I. §. 96 n. 2. Non improbabiliter tamen, dicit s. Alphonsus [2]), ex justa epikia excusari poterit vir pius et doctus, qui ex necessitate legit librum vetitum ad convincendum haereticum, si non pateat recursus Romam vel ad proprium episcopum. Porro multi sunt libri vetustiores ab Ecclesia olim propter aetatis errores justissime damnati, qui in praesentia veluti documenta historica errorum, qui pro tempore invaluerunt, considerantur; jam hujusmodi libri, longe sublato quovis perversionis periculo, non amplius existimantur saltem viris ecclesiasticis et theologiae cultoribus prohibiti, ut doctiss. Avanzini, theologus Romanus, merito censet. [3])

Denique observandum, quod lectio librorum, qui fidei et morum puritatem violant, non tantum a jure ecclesiastico, sed a jure etiam naturali interdicta est illis, quibus offendiculo esse potest. [4]) Quapropter etiam viri qui facultate legendi libros prohibitos pollent, si subversionis periculum experiantur, lectionem omittere ex lege naturae obstringuntur. [5])

5. — Nullum dubium, quin omnes episcopi sint potestate praediti, libros pravos proscribendi et sub poena prohibendi in suis dioe-

[1]) S. Alph.: Th. m. Lib. III. Appendix de prohibitione librorum cap. 4. *Resolvuntur* n. XI. H. A. Tract. III. n. 62.

[2]) Appendix de prohibitione libr. cap. 4. *Resolvuntur* n. II.

[3]) Op. supra cit. pag. 132.

[4]) S. Alph. op. c. cap. 4. n. XXXI. cum aliis.

[5]) Idem op. c. cap. 1. n. XII. Perrone: Prael. theol. de virt. fidei etc. n. 623. pag. 227.

cesibus. Leo XII. per mandatum die 26. Martii 1825. editum locorum Ordinarios excitavit, ut *propria auctoritate pravos libros studeant e manibus fidelium evellere;* idemque mandatum Pius IX. in circulari epistola per s. Congregationem Indicis die 24. Aug. 1864. emissa innovavit, volens, ut episcopi non solum jure proprio, sed etiam *tamquam Sedis Apostolicae delegati* ad librorum prohibitionem procedant, „ad Apostolicum vero Judicium ea deferantur opera vel scripta, quae profundius examen exigant, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum Supremae Auctoritatis sententia requiratur.“

Hoc jus et officium episcopis competit non tantum quoad *libros* proprie tales, sed etiam quoad *„libellos“* perniciosos et „publicas et ad hoc confectas *ephemerides*, ut non litteratis modo et scientibus virus insinuent, sed rudioris cujusque et infirmi populi fidem, simplicitatemque corrumpant,“ ut in laudata epistola dicitur. [1])

Ubi libri vel ephemerides judicium Ordinarii non subierunt, fideles monitis confessarii obsequi debent. Ad episcopos Helvetiae interrogantes: *An fideles, salva conscientia legere possint ephemerides vel libros, qui censuram Ordinarii non subierunt.?* S. Congr. Inquis. a. 1832. respondit: *Recurrant ad Confessarium.* Ipse Confessarius vero diligenter prae oculis habeat gravissimum monitum sancti Alphonsi: *In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi.* [2]) Ideoque Confessarius, ubi sibi visum sit, ob perversionis periculum vel etiam ob cooperationem peccaminosam et scandalum, poenitenti obligationem ex lege divina naturali oriundam sub ipsa denegatione absolutionis injungat, ephemerides perniciosas vitandi.

---

[1]) Apposite Avanzini: „Aetate, qua vivimus, neque potest S. Sedes de omnibus libris, qui eidem judicandi deferantur, judicare propter magnum eorum numerum neque saepe expedit; namque non expedit, ut libri vel libelli aut ephemerides, quae perniciosae reputantur in aliqua dioecesi vel provincia, per judicium S. Sedis denuntientur Universo Orbi, ex quo potius celebritatem acciperent. — Officium Ordinariis incumbit, prohibendi suis dioecesanis harum ephemeridum lectionem per positivum praeceptum, si periculum perversionis adsit, cui si opus sit, possunt adjungere quoque ecclesiasticas censuras. Vel saltem, si per praeceptum ejusmodi pravas ephemerides prohibere non existiment, tenentur declarare, vetitas easdem esse jure naturae.“ Op. c. Append. III. pag. 185. 186. Ipse ss. Pater die 30. Junii 1871. epistolam ad Card. Urbis Vicarium direxit, ut prohibitam declaret lectionem ephemeridum, quae ab impiis hominibus Romae evulgantur; quod Em. Card. Urbis Vicarius die 6. Julii 1871. effecit, et ephemerides sub gravi prohibitas singillatim adnotavit. Vid. Avanzini op. c. Vol. VI. pag. 340—347.

[2]) De prohib. libr. cap. 5. n. VIII.

* S. Alphonsus: Dissertatio de justa prohibitione et abolitione librorum nocuae lectionis (Theol. mor. Lib. III. Tract. 3. in Appendice. — Avanzini: Commentarii in Constitutionem *Apostolicae Sedis*, in ephem. Acta Sanctae Sedis in Compendium opportune redacta et illustrata Vol. III. Append. III. Romae 1871.

§. 12.

Praeclara utiliaque ss. Patrum de fide divina eloquia.

„Quam indignum, ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus.“ S. Ambrosius: Lib. I. de Abraham cap. 3. n. 21.

„Et portae inferi non praevalebunt adversus eam. A praeteritis et de futuris crede. Si enim, cum paucis constaret Ecclesia, et nova secta esse videretur, novaque haberetur doctrina, ac tot bella ubique committerentur, non praevalerunt, neque vicerunt: multo magis (vincet Ecclesia), cum universum orbem, et omnem locum, et gentes omnes comprehenderit.“ S. Joa. Chrysostomus: Quod Christus sit Deus n. 11.

„Nihil esse deterius potest, quam velle divinas res humana ratione discernere atque metiri. Ita enim ex fidei fundamento decidit, longo errore jactatur vagus, et a luce deseritur.“ S. Joa. Chrysostom.: Homil. II. in ep. 2. Timoth. „Hi, qui novitatibus student, nusquam erroris finem invenient, sed nova semper commenta et corrupta dogmata proferent: ea in animo est erroris vis, ut sisti non queat.“ Idem: Homil VIII. in ep. 2. Timoth.

„Neque ex eo, quod res divina fide percipiuntur, idcirco ab earum indagine in totum cessandum est, sed conandum potius, ut ad mediocrem saltem earum notitiam advehamur, quae sit tamquam in speculo et aenigmate, sicuti Paulus (1. Cor. 13. 12.) ait.“ S. Cyrillus Alexandr.: In Joa. 6. 70. Lib. IV. cap. 4.

„Satanas transfigurat se velut angelum lucis (2. Cor. 11. 14.) et de scripturis ipse saepe divinis laqueum fidelibus parat. Sic haereticos facit, sic eviscerat fidem, sic jura pietatis impugnat. Ergo non te capiat haereticus, quia potest de scripturis aliqua exempla proferre. — Utitur et diabolus testimoniis scripturarum (Matth. 4. 6.), non ut doceat, sed ut circumscribat et fallat.“ S. Ambrosius: Expos. in Luc. Lib. IV. n. 26.

„Quod mens credit, lingua non taceat.“ S. Gregor. M.: Lib. XIII. in Job. cap. 23. n. 23. „Rectam fidem recta subsequi debet operatio.“ Idem: Lib. I. in Ezech. Homil. 9. n. 4.

„Fides est origo virtutum, fides bonorum operum fundamentum; fides est totius humanae salutis exordium. Per cujus semitae lineam quisquis caute non graditur, erroris laqueo, necesse est, capiatur. Et qui non novit ambulare per fidem, nequaquam pertingere valebit ad speciem.“ S. Petrus Damiani: Opusc. I. de fide cath., Prol.

„Accepimus ab Apostolo (Ephes. 3. 17.), habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Unde videtur non incongrue intelligi posse, tamdiu Christum in nobis vivere, quamdiu vivit fides. At postquam fides nostra mortua est, quodam modo Christus mortuus est in nobis. Porro fidei vitam opera attestantur, sicut scriptum est: *Opera, quae dedit mihi Pater, ipsa testimonium perhibent de me.* Joa. 5. 36. Nec discrepare videtur ab hac sententia, qui fidem sine operibus mortuam asserit in semetipsa. Sicut enim corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus: ita et fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur et sentit: vita vero fidei charitas est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis: *Fides, quae per dilectionem operatur.* Gal. 5. 6. Unde et refrigescente charitate, fides moritur, sicut corpus anima recedente. Tu ergo, si videris hominem in bonis operibus strenuum, et fervore conversationis hilarem, vivere in eo fidem non dubites, indubitata tenes vitae illius argumenta. Sed sunt nonulli, qui cum spiritu coeperint, heu! carne postea consummantur; scimus autem, quia jam tunc non permaneat in eis spiritus vitae, quia scriptum est: *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.* Gen. 6. 3. Quod si non permaneat spiritus, haud dubium, quin excidat charitas, quae nimirum diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.“ S. Bernardus: In tempore Resurrect. Serm. II. n. 1.

Sectio II.

De spe theologica et vitiis oppositis.

Agendum 1. de spei theologicae natura et actibus, 2. de spei necessitate, et 3. de vitiis huic virtuti oppositis.

§. 13.

De spei theologicae natura et actibus.

1. — *Spes theologica est virtus supernaturalis, per quam desideramus et cum fiducia expectamus aeternam beatitudinem et media ad illam consequendam necessaria.*

Actus spei theologicae sunt: 1. *Amor Dei, ut summi boni nostri,* seu *amor concupiscentiae erga Deum,* quo videlicet Deum nobis cupimus, quia est summum bonum nostrum, seu beatitudo nostra, coll. Lib. I. §. 15. n. 4. 2. *Exspectatio certa,* quod Deum ut summum bonum nostrum seu beatitudinem nostram consequemur per gratiam et auxilia Dei.[1]) — Spei theologicae actus concomitans est *timor,* ne illo summo bono excidamus. Etsi enim spes nostra certissima sit intuitu promissionis divinae; quia tamen promissio nobis non est facta absolute, sed requirit nostram cooperationem et perseverantiam, de quibus nemo absolute certus esse potest (Eccli. 9. 1. 2. Philipp. 2. 12.): hinc in homine spes firma de gratiis et auxiliis Dei conjuncta esse debet cum timore humili de nostra sufficiente cooperatione: inde ne desperemus, hinc ne praesumamus, sed ut hortatur Apostolus, cum metu et tremore salutem nostram operemur[2]). Concil. Trid. Sess. VI. cap. 13.

2. — *Objectum materiale* spei, idque primarium est aeterna beatitudo nobis promissa, seu Deus ipse fruendus[3]); secundarium sunt reliqua omnia nobis promissa, tamquam media ad Deum ultimum finem nostrum consequendum, imprimis bona et media supernaturalia, remissio peccatorum, gratiae auxilia etc., tum etiam naturalia et temporalia, quatenus ad finem nostrum ultimum consequendum necessaria et utilia sunt, quae quippe omnia a Deo nobis proventura, sicuti fide supernaturali credimus certo: ita spe supernaturali speramus certo. Ita omnes.[4])

---

[1]) Ad rem La Croix: „Sperare est optare sibi aliquod bonum et confidere, se illud obtenturum: ex quo patet, quod spes nostra ad Deum includat duos actus: primus est desiderium boni, quod optamus a Deo; secundus est quaedam confidentia et erectio animi sibi quasi spondentis, quod bonum illud desideratum sit obtenturus a Deo; hinc s. Thomas 1. 2. q. 25. a. 1. c. dicit, spem supra desiderium addere quendam conatum et quandam elevationem animi ad consequendum arduum; idemque innuit Trident. Sess. 6. c. 6. dicens peccatorem per spem erigi ad veniam consequendam.“ Th. mor. Lib. II. n. 118.

[2]) Leg. s. Gregor. M.: Lib. XX. Mor. cap. 5. n. 13, ubi ostendit, quod „Ecclesia in praedicatione spem miscet et metum.“ S. Bernardus: In Cant. Serm. 54. n. 9.—12. docens, esse timendum praesente gratia, amplius amissa gratia, longe plus recuperata gratia. Egregie s. Petrus Damiani infert: „*Quia spes multum praesumit, et timor diffidit nimis, utrumque jungere non moreris, ut in communi faciant, quod divisa non possunt. Disce sic sperare ut timeas: sic timere, ut speres.*“ Serm. 52. de S. Mich. Arch. Vid. etiam S. Bonavent. in III. Sent. Dist. 26. a. 1. q. 5.

[3]) Hinc Apostolus Hebr. 6. 19. dicit, spem intrare usque ad interiora velaminis. Doctor Angelicus ait: „*Non enim minus aliquid a Deo sperandum est, quam sit ipse.*“ 2. 2. q. 17. a. 2.

[4]) Confidere aliquo modo possumus in nostris bonis operibus, quatenus ea

Objectum formale spei, quoad amorem concupiscentiae est bonitas Dei infinita, quatenus nos in aeternum beatos reddere potest [1]); quoad exspectationem fiducialem beatitudinis aeternae est infinita Dei misericordia, omnipotentia et fidelitas in promissione, quod nobis ob merita Christi daturus est gratiam et gloriam aeternam. Hebr. 10. 23. Nimirum bonitas divina nos allicit et movet ad Dei fruitionem desiderandam, omnipotentia, misericordia et fidelitas in promissione nos excitat et movet ad Dei fruitionem cum fiducia exspectandam, et maxime quidem fidelitas (ut recte s. Alphonsus [2]) observat, quia beatitudinem coelestem et media ad hanc consequendam necessaria cum certa fiducia non valeremus sperare, si Deus fidelissimus illa nobis non promisisset.

3. — Novatores saeculi XVI. malum dixerunt actum, quo quis aeternam retributionem prosequitur. Idem placitum adoptarunt Jansenistae. Porro Michael Molinos, Quietismi systematis auctor, blateravit, eum, qui Deum diligit, nec de praemio neque de poena, nec de paradiso neque de inferno debere cogitare. Contra hos amoris concupiscentiae erga Deum honestas et bonitas pertractanda venit.

PROPOSITIO.

Amor concupiscentiae, quo Deum prosequimur ut summum bonum nostrum, honestus est, atque salutaris; ideoque virtuosum est operari intuitu beatitudinis solius.

4. — Doctrina enuntiata de fide est. Etenim Concilium Trident. contra reformatores definivit: „*Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu mercedis aeternae bene operatur, anathema sit.*" Sess. VI. can 31. Praeterea Innocentius XI. die 20. Novembr. 1687. propositiones Michaelis Molinos doctrinae huic adversas proscripsit, et Alexander VIII. die 7. Decembr. 1690. propositionem 10. et 13., quarum utraque errorem reformatorum instauravit, censuris confixit.

Dogma hoc catholicum breviter sic vindicamus: 1) Deus nos ad coelestem beatitudinem consequendam creavit atque redemit

ex Dei gratia proficiscuntur, ideoque et ipsa Dei dona sunt, ac media a Deo misericorditer ordinata ad vitam aeternam, sicut docet s. Augustinus: De gratia et libero arbitr. cap. 6., et Concil. Trid. Sess. VI. c. 16. Vid. Laymann: Lib. II. Tr. II. cap. 1. n. 7. S. Alph.: Lib. III. n. 21.

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 17. a. 8. La Croix: Lib. II. n. 120. 121. Voit, Reuter et alii.

[2]) Lib. III. n. 21. Fortius adhuc idem tradit in opusc. Vom Gebete. II. Th. cap. 4. (Regensb. 1843. 9. B. asc. Werke, S. 359.).

Numquid ergo eandem beatitudinem appetere, et ad illam obtinendam operari, malum esse potest? — 2) Christus Dominus dicit: „*Quaerite primum regnum Dei.*" Atqui quaerere regnum Dei non est, nisi Deum amare et desiderare efficaciter ut bonum summum nostrum. Praeterea nos docuit orare: „*Adveniat regnum tuum.*" Et Apostolus monet: „*Quodcunque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus; scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis.*" Coloss. 3. 23. 24. — 1. Cor. 9. 25. Apoc. 2. 10. — 3) Merito igitur Ecclesia Deum exorat his pulcherrimis precibus: „*Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis; da populis tuis id amare, quod praecipis, id desiderare, quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.* [1])"

5. — Insipide adversarii objiciunt, amorem concupiscentiae erga Deum esse pure *mercenarium*, ideoque reprobandum. Enimvero amor mercenarius ille dicitur, quo quis alium diligit propter solam mercedem aut commodum proprium tamquam finem ultimum. At vero qui ex amore concupiscentiae erga Deum operatur, intendit quidem mercedem seu retributionem aeternam, sed tantum ut finem proximum, ita ut finis ultimus vel formaliter vel virtualiter sit gloria Dei: proponit sibi coelestem beatitudinem assequendam, quatenus Deus eam tribuit ad gloriam suam; Deum non ad se, sed semetipsum ad Deum, ut finem ultimum refert. [2]) — Non tamen inficiandum, amorem concupiscentiae *posse* mercenarium esse; puta, si quis diligeret Deum propter solum bonum suum, et ita affectus esset, ut si a Deo nihil speraret, eum nullo modo diligeret; — talis namque Deum ad semetipsum tamquam finem ultimum perverse referret, commodum suum Dei gloriae praeponeret, ideoque mortaliter peccaret. [3])

* S. Franciscus Salesius, quo nemo perspicacius pulchriusque hoc de argumento disseruit, in opere non satis commendando: Theotimus Libr. II. cap. 15. 16. et 17. De Ripalda: De ente supernaturali Tom. III. Lib. II. Disp. 22. Sect. 1. 2. et 3. Collet: Tractatus de universa Theologia morali

[1]) Domin. 4. post Pascha.

[2]) S. Thomas ait: „Non enim Deus ordinatur ad aliud, sicut ad finem; sed ipse est finis ultimus omnium": 2. 2. q. 27. a. 3. c. Sylvius: „Licet amore concupiscentiae sibi ipsi tamquam subjecto ac etiam propter seipsum, hoc est, propter suam perfectionem ab eo consequendam, Deum diligat; non tamen propter se, tamquam finem, Deum diligit: sed ipsum Deum, tamquam finem ultimum, amat, quem cupit adipisci et quo desiderat frui, unde et seipsum in Deum ordinat velut in suum ultimum finem." Comm. in 1. 2. q. 109. a. 3. Suarez: „Amore concupiscentiae Deus non amatur amanti, tamquam ultimo fini, sed tamquam subjecto; nam ultimus finis est ipse Deus." De spe, Disp. I. Sect. III. n. 7. Vid. s. Francisc. Sales.: Theotim. Lib. II. cap. 17. Scheeben: Natur und Gnade. S. 191.

[3]) S. Alphons.: Theol. mor. Lib. VI. n. 441. Obj. III. S. Bernardus: Epist. 11. n. 3. et sq. Perbene S. Franc. Sales.: „*Die Seele, die Gott nur um ihrer selbst willen liebt, die liebt sich selbst, wie sie Gott, und Gott, wie sie sich selbst lieben sollte.*" Op. cit. II. B. 17. Cap. Videri etiam potest Laymann: Th. mor. Lib. II. Tr. III. cap. 2. n. 4.

Tom. V. De spe, Sect. 3. (pag. 465—478. Parisiis 1757.). Perrone: Praelectiones theologicae de Virtutibus fidei, spei et caritatis P. II. cap. IV. Propos. 3. Ratisbonae 1865. pag. 271—282.).

§. 14.

De necessitate spei theologicae.

PROPOSITIO I.

Spes habitualis a Deo infusa tam parvulis quam adultis necessaria est ac semper fuit necessitate medii ad salutem.

1. — Haec est doctrina catholica, quae tenetur ab omnibus Doctoribus, et expressis verbis traditur a Concilio Tridentino, quod Sess. VI. cap. 7. docet: *„Fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit."* Ratio theologica haec est: Nemo potest ad Deum pertingere, eumque possidere, nisi ipsi acceptus sit. Atqui Deo acceptus dici nequit, qui secundum voluntatem non est ornatus habitu spei, ut et charitatis, quemadmodum secundum intellectum habitu fidei.

PROPOSITIO II.

Spes actualis seu aliquis spei actus omnibus adultis rationis usu pollentibus necessarius semper fuit necessitate medii ad justificationem et salutem.

2. — Haec pariter doctrina catholica est. Constat ex s. scriptura: *„Spe salvi facti sumus."* Rom. 8. 24., ex doctrina ss. Patrum [1]), praeprimis autem ex Concilio Tridentino, Sess. VI. cap. 6. ubi inter dispositiones ad justificationem adultorum requisitas post fidem illico subdit spem. Ratio est, quia homo ad Deum pervenire non potest, nisi propriis actibus in ipsum tendat; hoc autem sine spe fieri nequit.

PROPOSITIO III.

Actus spei necessarius quoque est necessitate praecepti.

3. — Eo ipso, quod spes necessaria est necessitate medii, etiam necessaria dicenda est necessitate praecepti naturalis, quia lex na-

[1]) S. Gregorius M.: Lib. II. in Ezech. Hom. V. n. 16. S. Anselmus: „Quantum est utile studium annitendi ad summum bonum, tantum necessaria est spes pertingendi." Monolog. cap. 74.

turalis praecipit, ut adhibeantur media, quae ad finem obtinendum necessaria sunt. — De praecepto autem positivo divino nos dubitare non sinunt divinae literae, quae toties spem inculcant. Apostolus dicit: *„Praecipe — neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo."* 1. Tim. 6. 17. Vid. Coloss. 1. 4. 5.; Rom. 8. 24.; Hebr. 6., 18. 19.; 8. 12.; 10. 23.; 13. 6. 1. Petr. 1. 13. et al. Hinc s. Augustinus: *„De fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe."* [1])

Praeceptum eliciendae spei obligat per se et per accidens.

Obligat *per se:* 1. initio usus rationis, quando nempe aeterna beatitudo sufficienter proposita est tamquam finis, ad quem unusquisque tendere debet; — 2. in periculo mortis, ut homo contra tentationes validior fiat, et in Deum suum ultimum finem consequendum erigatur; — 3. saepius in vita, secundum alios semel in anno, juxta alios singulis mensibus.

Obligat *per accidens:* 1. quando ex praecepto eliciendus est actus alicujus virtutis, e. g. religionis, quae sine praevio actu spei exerceri non potest; — 2. quando quis versatur in periculo desperationis; — et 3. quando urget tentatio contra aliam virtutem, et periculum consentiendi adest, nisi animus actu spei muniatur. [2])

§. 15.

De vitiis huic virtuti oppositis.

1. — Vitia haec sunt duplicis generis; alia quippe amori concupiscentiae erga Deum seu desiderio beatitudinis coelestis, alia exspectationi fiduciali ejusdem beatitudinis et mediorum repugnant.

2. — I. Desiderio beatitudinis opponitur per defectum: *hujus saeculi affectus,* quo terrena magis, quam coelestia desiderantur; per excessum: *affectus inordinatus felicitatis coelestis,* quo ex taedio vitae et laboris beatitas aeterna appetitur. Prior affectus est peccatum mortale, si in terrenis finis ultimus reponitur. [3]) Posterior non excedit peccatum veniale, nisi adsit rebellio expressa contra providentiam divinam. — Duo notanda sunt:

[1]) Tract. 83. in evang. Joannis.

[2]) Tunc actus spei eliciendus est ratione praecepti tentationem illam superandi; quare non elicere tunc actum spei, minime erit distinctum peccatum ab eo, quod committitur succumbendo tentationi. Sanchez: Lib. II. cap. 33. n. 4.

[3]) S. Alph.: Lib. III. n. 20.

1. Vitam longam desiderare, aut bonum aut malum est, prouti vel ex bono vel malo motivo desiderium illud procedit.

2. Licite sibi aliquis mortem optat: *a*) quando mori desiderat, ut ingens malum spirituale vel temporale evadat [1]), prouti si graviter timeat lapsum in peccatum; porro si vitam experiatur morte amariorem Eccli 30. 17. (sic enim Elias 3. Reg. 19. 4. petivit mori ad evitandas Jezabelis insidias), vel etiam, si ob Ecclesiae persecutiones Deique offensas acerbissima afflictione prematur (ut s. Praxedes, quae cum Christianorum stragem sub Marco Antonino imperatore jam ferre non posset, Deum precata est, ut si mori expediret, se e tantis malis eriperet.) Eo magis mortem desiderare licet, *b*) quando quis mori cupit, ut in coelo Deum perfecte diligat et glorificet; imo tale desiderium est actus perfectus charitatis. Vide inferius §. 19. n. 4. Nefas tamen est, in hujusmodi casibus mortem efficaciter desiderare, aut procurare, imo vero voluntas plene submitti debet voluntati divinae.

3. — II. Exspectationi fiduciali beatitudinis aeternae per defectum desperatio, per excessum praesumptio adversatur.

Desperatio est diffidentia obtinendi beatitudinem et media ad eam consequendam necessaria. Est peccatum mortale, si sit perfecta et proprie dicta; secus, si sit imperfecta, ut saepe accidit in tristitia et impatientia.

Praesumptio est fiducia inordinata beatitudinem obtinendi, et dupliciter committi potest: 1. praesumendo de propriis viribus, quasi per se sufficientibus ad aeternam salutem adipiscendam: hoc modo Pelagiani praesumptionem commiserunt: — et 2. praesumendo de divina misericordia Christique meritis, quasi de his solis, et non de propria simul cooperatione penderet salus aeterna; et talis *a*) praecipue erat praesumptio Novatorum, quippe qui tantum propter merita Christi absque bonis operibus salutem obtinendam esse delirarunt, a Concilio Tridentino Sess. VI. cap. 9. ideo merito profligati; talis quoque *b*) dicenda praesumptio eorum, qui ideo peccant, vel differunt poenitentiam usque in finem vitae, quia facile veniam a divina misericordia se obtenturos esse sperant. [2]) — Praesumptio ex natura sua est peccatum lethale, attamen leve esse potest ex parvitate materiae, ut si quis ob spem veniae peccata tantum venialia committit.

---

[1]) S. Alphons.: Lib. III. n. 30. sub 2. La Croix: Lib. II. n. 186.

[2]) Secus vero dicendum, si quis peccaret ex passione, sperando concomitanter, peccatum illud postea sibi remitti. S. Alph.: Lib. III. n. 21.

Desperatio et praesumptio haeresim adnexam habent, si procedant ex judiciis haereticis v. g. Deum non posse aut nolle salvare, solas naturae vires aut solum Dei gratiam absque bonis operibus sufficere ad salutem. Sunt praeterea peccata in Spiritum sanctum.

Pejor est desperatio, quam praesumptio, magis enim illa, quam haec Dei benignitati adversatur, *quoniam magis proprium est Deo misereri et parcere, quam punire, propter ejus infinitam bonitatem.* Sic Angelicus Doctor. [1])

* S. Augustinus: Serm. 157. (alias 23. de verbis Apostoli, Rom. 8. *Spe salvi facti sumus.* S. Anselmus: Oratio IX. (de misericordia Dei nunquam desperandum). S. Bernardus: In Psalm. 90. Serm. 1. (Op. Tom. III.). S. Bonaventura: Compendium Theol. veritatis, Lib. V. cap. 22. S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 17.—22. — S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. III. n. 20. et 21. — Laymann: Theologia moralis Lib. II. Tract. II. cap. 2. Sporer: Theologia moralis super Decalogum, Tom. I. Tract. II. cap. 4. Reuter: Theologia mor. Tom. II. Tr. I. n. 65.—70. Elbel: Theologia moralis Tom. I. P. II. Confer. 6. Voit: Theologia moralis P. I. n. 384.—387. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VIII. Disp. II. cap. 2.

Casus.

4. — *Antonius turpi peccato deditus tandem ob gravia monita confessarii aliquamdiu ab hoc peccato abstinuit. Sed relapsus in pristinam consuetudinem deinceps libidini fraena laxat, ideo quidem, quia cum jam debeat peccatum illud confiteri, unam eandemque operam esse dicit, sive ut semel, sive ut pluries commissum illud confiteatur. Posthac a confessario excitatus, ut ab hoc vitio abstineat, illico respondet: Non possum amplius.*

Quaeritur: An poenitens ille in primo casu praesumptione, in altero desperatione peccaverit?

Resp. ad 1. *Neg.*, quia non ob Dei misericordiam audacius peccavit. Attamen satis ostendit, se male esse dispositum, cum a peccato plus deterreatur per pudorem seu difficultatem confitendi, quam per aliud motivum bonum et laudabile. [2]) Si vero peccata auxisset praetextu, quod Deus tam facile pluribus peccatis, quam uni ignoscit, tunc ex praesumptione peccasset. [3])

Resp. ad 2. Si non desperat de divino auxilio, sed de propriis viribus, utpote ob inveteratam consuetudinem bene conscius propriae fragilitatis, non peccavit desperatione contra spem theologicam. Hinc potius ut pusillanimis, quam desperabundus tractandus est. Diffidat suis viribus, sed confidat in adjutorio divinae gratiae, per quam omnia possumus, nec non in infinita Dei misericordia, *qui dives in omnes, qui invocant illum.* Rom. 10. 12.

5. — *Marcus opibus augendis supra modum deditus, perpetuo in hoc mundo vivere cupit. Tum autem periculoso morbo decumbens actum spei dicere recusat, dicens,*

---

[1]) 2. 2. q. 21. a. 2. c.

[2]) La Croix: Lib. II. n. 127. Voit: P. I. n. 393.

[3]) S. Alph.: Lib. III. n. 21.

peccata sua innumera deleri confessione et poenitentia non posse. Quaeritur: An et quomodo contra spem deliquerit?

Resp. Peccavit contra utrumque actum spei theologicae, videlicet 1. contra desiderium beatitudinis coelestis peccavit, et mortaliter quidem, cupiendo in hoc mundo perpetuo vivere, coll. n. 2.; — 2. contra fiduciam beatitudinem obtinendi graviter peccavit duplici modo: a) desperando de venia peccatorum, et b) actum spei non eliciendo, ad quid quippe in his circumstantiis absolute tenebatur coll. §. 14. n. 3.

§. 16.

Cohortatio s. Bernardi ad spem christianam.

Tu es, Domine, spes mea. Psalm. 90. 9. „Quidquid igitur agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es, Domine, spes mea. Haec mihi omnium promissionum causa, haec tota ratio meae exspectationis. Praetendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et aestus, jejunare bis in sabbato dicat, postremo non esse sicut ceteros hominum glorietur: mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Sperent in aliis alii, forte hic in scientia literarum, hic in astutia saeculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat: propter te omnia detrimentum feci, et ut stercora arbitror, quoniam tu es, Domine, spes mea. Speret qui vult in incerto divitiarum: ego vero ne ipsa quidem nisi abs te victui necessaria spero, nimirum verbo tuo confidens, in quo abjeci omnia: „Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis." Matth. 6. 33. Nempe tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Ps. 9. 14. Si mihi praemia promittuntur, per te obtinenda sperabo; si insurgant adversum me proelia, si saeviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversum spiritum concupiscat; in te ego sperabo.

Fratres, hoc sapere, ex fide vivere est, nec alius ex sententia dicere potest: *Quoniam tu es, Domine, spes mea,* Ps. 64. 23. nisi cui intus sit persuasum a Spiritu, ut (quemadmodum monet Propheta) jactet cogitatum suum in Domino, sciens quod enutriendus sit ab eo, juxta illud quoque Petri Apostoli: *„Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, ipsi enim cura est de vobis."* 1. Petr. 5. 1. Ut quid enim, si haec sapimus, ut quid cunctamur abjicere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias; et huic uni tam solidae, tam perfectae, tam beatae spei, tota devotione animi, toto fervore spiritus inhaerere? Si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quaere aliud in quo speres. Sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu? Attamen hujusmodi dictum intelligas volo. Si decreverit salvare, vita in voluntate ejus est: si praemia aeterna largiri, licet ei, quod vult facere. An vero de facilitate jam non dubitas, sed ipsa tibi est suspecta voluntas? Plane et voluntatis testimonia credibilia facta sunt nimis: *„Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis."* Joan. 15. 13. Denique quando in se speranti desit illa majestas, quae tam studiose monet in se sperari? Haec non derelinquit sperantes in se. *„Adjuvabit eos,* ait, *et liberabit eos; et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos."* Ps. 36. 40. Quare? quibus meritis? audi quod sequitur: *„Quia speraverunt in eo."* Dulcis causa, attamen efficax, attamen irrefragabilis. Nimirum haec est justitia, sed quae ex fide est, non ex lege. *„De quacumque tribulatione,* inquit, *clamaverint ad me, exaudiam eos."* Ecce, numera tribulationes. Secundum multitudinem earum consolationes ejus laetificabunt animam tuam; dummodo ad alium non convertaris: dummodo clames ad eum: dummodo speres in eum: nec humile aliquid vel terrenum, sed altissimum ponas refugium tuum. Quis speravit in eo, et confusus est? Facilius est coelum et terram transire, quam verbum ejus evacuari." [1])

Sectio III.

De Charitate et vitiis oppositis.

§. 17.

Notiones praeviae.

1. — Amare generatim est, velle alicui bonum. [2]) Hinc amor est affectus voluntatis, quo quis alicui bonum vult.

Bonum potest aliquis sibi vel alii velle: hinc duplex amor distinguitur: amor concupiscentiae et amor benevolentiae. 1. *Amor concupiscentiae* est ille, quo aliquid vel aliquem diligimus tamquam *nobis bonum,* nempe propter bonum et commodum, quod nobis volumus: ut si dives amat divitias propter utilitatem, mercenarius dominum propter mercedem, pauper divitem propter eleemosynam. 2. *Amor benevolentiae* dicitur amor, quo aliquem diligimus tamquam *bonum*

---

[1]) In Psalm. *Qui habitat.* Serm. IX. 5. et 6.

[2]) S. Thomas: 1. q. 20. a. 1. ad 3., a. 2., et alias.

in se, cui ideo bonum volumus, seu eum diligimus, quia in se est diligibilis propter suam bonitatem et perfectionem, et ideo ipsi bonum volumus. Hinc amor concupiscentiae intendit bonum amantis vel alterius cujusdam; amor benevolentiae intendit bonum amati. [1]) Amor mutuus benevolentiae dicitur amicitia.

Amor benevolentiae efficit unionem spiritualem inter amantem et amatum, tam mente quam corde: *mente,* quatenus cogitatio amantis est defixa in amatum, et ipsi quasi inhaeret; *corde,* in quantum amans bona vel mala amici dilecti reputat sicuti sua, voluntatem amici veluti suam, ita ut proprium sit amicorum, in eodem gaudere et tristrari, atque idem velle et nolle. [2])

Amor est vel *affectivus* vel simul *effectivus,* prouti in corde tantum sistit, vel etiam in opera prodit; videlicet bonum alicui vel tantum vult, vel simul operatur. Porro *bonum alicui velle,* duplicem actum habet, quatenus ille, qui alteri bonum vult, sibi complacet seu *gaudet* de bono, quod ille habet, et ipsi *desiderat* bonum, quod non habet.

2. — His ad consulendum claritati in exponenda charitatis virtute necessario praemissis, modo considerabimus indolem charitatis, quae est amor benevolentiae erga Deum et vera amicitia hominis cum Deo, praetermittentes amorem concupiscentiae erga Deum, de quo jam §. 10. disputavimus.

§. 18.

De charitatis notione, objecto materiali et formali.

1. — *Amor benevolentiae erga Deum seu charitas est amor supernaturalis infusus, quo Deo bonum volumus propter seipsum, nobis vero et proximo propter Deum.*

Objectum materiale charitatis primarium est Deus, ut summa bonitas seu perfectio in se spectata, secundarium nos ipsi et proximus.

Objectum formale ejusdem virtutis est rursus Dei bonitas seu perfectio absoluta et propter se amabilis, lumine supernaturali cognoscibilis. Etenim amore concupiscentiae Deus diligitur ut summum bonum nostrum, amore autem benevolentiae Deus diligitur ut summum bonum in se, nulla commodi nostri ratione habita, ita ut eum

[1]) Suarez: De spe, Disp. I. Sect. 3. n. 5. La Croix: Theol. mor. Lib. II. n. 146. Voit: P. I. n. 407. q. 1.

[2]) S. Thomas 1. 2. q. 28. a. 2.

quoque diligeremus, licet nihil boni, retributio nulla, inde nobis proveniret. Est doctrina communis Patrum et Theologorum. [1])

Ubi advertendum, non tantum perfectiones Dei simul sumtas, sed singulas etiam perfectiones divinas objectum formale charitatis constituere, quia propter singulas perfectiones Deus est infinite amabilis. [2]) Hinc actus charitatis est, Deum diligere ob suam erga nos misericordiam, benignitatem, liberalitatem etc. monente Apostolo: „*Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*“ 1. Joan. 4. 19.

Diligere Deum ob beneficia accepta vel accipienda, est amor concupiscentiae; amare Deum ob infinitam ipsius bonitatem, ad quam cognoscendam et amandam beneficia divina inducunt, est charitas. [3])

Bonitas Dei igitur est motivum, propter quod Deum charitate diligimus, et eadem bonitas simul motivum est, ex quo nos et proximum diligimus, quia nempe divina bonitas a nobis et proximo participatur, atque ideo in nobis proximoque quodammodo relucet et resplendet, quatenus ad Dei imaginem conditi, Christi sanguine redempti, gratiae et aeternae beatitudinis capaces sumus.

2. — Unde conjicitur, una eademque specie esse charitatem, qua Deum propter se, nosque et proximum propter Deum amamus, siquidem, ut diximus, unum idemque objectum formale seu motivum

[1]) S. Augustinus scribit: „*charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum.*“ De doctr. christ. Lib. III. cap. 10. n. 16. Quid autem sub voce „*frui*“ intelligat, in eod. op. Lib. I. c. 4. explicat his verbis: „*Frui est amore alicui rei inhaerere propter seipsum.*“ S. Bernardus ait: „*Causa diligendi Deum, Deus est.*“ Liber seu Tractatus de diligendo Deo cap. 1. n. 1. S. Thomas: „*Dicendum, quod charitate diligitur Deus propter se ipsum. Unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter a charitate, scilicet divina bonitas, quae est ejus substantia.*“ 2. 2. q. 23. a. 5. ad 2. „*Bonum alicujus in seipso diligitur, cum amando aliquem volo, quod ipse bonum habeat, etiam si nihil* (boni) *inde mihi accidat.*“ Quaest. disp. de spe, q. 1. a. 3. „*Homo habens charitatem, etiam operaretur, si nulla retributio sequeretur.*“ In Lib. III. Sent. Dist. 18. q. 1. a. 5. Similiter s. Bonaventura in Lib III. Sent. Dist. 17. a. 1. ad 4. Suarez scribit: „*Amatur Deus ex charitate, tamquam finis ultimus, cui bonum volumus, ad nullum alium finem et commodum hoc referendo.*“ De Charitate Disp. II. Sect. 1. n. 1. Lessius: „*Amor amicitiae in Deum est affectus, quo cupimus Deo omne bonum tam intrinsecum, quam extrinsecum, nulla commodi nostri ratione habita, sed solum, ut ipsi Deo bene sit.*“ De Summo bono. Lib. II. c. 5.

[2]) Voit n. 397. Reuter: Par. II. n. 75. Schouppe et alii.

[3]) Vid. Deharbe S. J.: Die vollkommene Liebe Gottes etc. S. 139. etc. Regensb. 1856.

est, propter quod tum Deum, tum nos et proximum amemus. Ita omnes.[1])

3. — Distincte modo agemus 1. de charitate erga Deum, 2. de charitate erga nosmetipos, et 3. de charitate erga proximum.

Caput I.

De charitate erga Deum.

Et quidem 1. de actibus charitatis erga Deum, 2. de ejusdem ad amorem concupiscentiae relatione, 3. de charitate, quatenus est vera hominis cum Deo amicitia, 4. de necessitate charitatis, et 5. de vitiis charitati erga Deum oppositis.

§. 19.

De actibus charitatis erga Deum.

Charitas seu amor benevolentiae erga Deum tam in affectu quam in opere consistit; quare duplici sub hoc respectu ejusdem actus explicandi veniunt.

A. De amore affectivo benevolentiae erga Deum.

1. — Hic amor duos principales continet actus: 1. gaudium de bonis divinis, et 2. desiderium bonorum divinorum. Ratio ex indole amoris benevolentiae patet. Qui namque alium benevolo animo diligit, et gaudet de bonis, quae ille habet, et illi cupit seu desiderat bona, quae non habet. Ita Theologi communiter cum Angelico Doctore.[2])

2. — I. *Gaudium,* ut est actus benevolentiae in Deum, referri potest tum ad intrinseca, tum ad extrinseca bona divina.

---

[1]) S. Apostolus Joannes scribit: *„Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est."* 1. Joan. 4. 12. S. Augustinus expresse dicit: *„Ex una igitur eademque charitate Deum proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum."* De Trin. Lib. VIII. cap. 8. n. 12. S. Thomas hoc de argumento agit 2. 2. q. 25. a. 1.

[2]) Sic scribit: *„Amor est prima affectio appetitivae potentiae, ex qua sequitur et desiderium et gaudium. Et ideo habitus virtutis idem est, qui inclinat ad diligendum et ad desiderandum bonum dilectum et ad gaudendum de Deo."* 2. 2. q. 28. a. 4. c. Vide etiam 1. 2. q. 25. a. 2.; q. 28. a. 6.

Itaque 1) quoad *bona Dei intrinseca* actus benevolentiae est, gaudere de infinitis Dei perfectionibus in se spectatis, videlicet, quod Deus est sanctissimus, sapientissimus, benignissimus, beatissimus etc., et magis quidem de hisce bonis divinis gaudere, quam de bonis propriis, quia plus Deum, quam nosmetipsos diligere debemus. Ita communiter doctores.[1]) Hunc amoris actum innuit divinus Salvator Apostolis dicens: *„Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me est."* Joan. 14. 28. id est, ab humana miseria et vilipensione ascendo in coelum, ad divinam felicitatem, exaltationem et gloriam, ad dexteram Patris; hinc me sincere diligentes de meo discessu gauderetis. Tali gaudio delectantur angeli et sancti in coelis, qui plus gaudent de gloria Dei, quam de gloria sua, magisque volunt Deum esse beatum, quam seipsos esse beatos, atque ideo sibi maxime congratulantur de beatitate sua, quod in hac conglorificatur bonitas divina. Sic communiter tradunt Doctores.[2]) Ejusdem amoris actus est ille, quem s. Augustinus

---

[1]) D. Thomas ait: „De Deo potest esse spirituale gaudium dupliciter, uno modo secundum quod gaudemus de bono divino in se: alio modo, secundum quod gaudemus de bono divino, prout a nobis participatur. Primum autem gaudium melius est, et hoc procedit principaliter ex charitate; sed secundum gaudium procedit etiam ex spe, per quam exspectamus divini boni fruitionem." 2. 2. q. 28. a. 1. Pulcherrime s. Franciscus de Sales scribit: „Ueberhaupt ruft die Seele, die in der Uebung dieser Liebe des Wohlgefallens lebt, ohne Unterlass: Es genügt zu meiner Glückseligkeit, dass Gott Gott ist, dass seine Güte unendlich, seine Vollkommenheit unermesslich ist. Mag ich leben oder sterben, gleich gilt mir beides, da mein innig Geliebter ewiglich ein glorreiches Leben lebt. Nimmermehr vermag es selbst der Tod, die Seele zu betrüben, die da weiss, dass ihre höchste Liebe lebt." Theot. 5. B. 3. K.

[2]) S. Bonaventura ait: *„Non dubito, imo certus sum, quod plus gaudent angeli et animae sanctae de magnificentia honoris Tui, quam de magnificentia gloriae suae."* Op. Stimuli amoris p. 3. c. 17. S. Thomas observat: *„Ibi etiam anima congratulatur Deo, non propter se, sed propter Deum. Tanta enim puritate anima afficitur in congratulatione Dei, quod potius vult ipsum esse beatum, quam se ipsam esse beatam; imo anima fidelis mallet eligere beatitudine se semper carere, quam Deum alicujus beatitudinis et perfectionis defectum habere."* Opusc. 63. De beatitud. c. 7. in puncto 3. S. Alphonsus ait: „Wohl freuen sich die Heiligen wegen ihrer Glückseligkeit im Himmel: aber die höchste Freude der Heiligen besteht darin, dass sie die unendliche Glückseligkeit ihres geliebten Herrn erkennen, denn sie lieben Gott unendlich mehr als sich selbst. Jeder aus ihnen wäre, um dieser Liebe zu Gott willen, gern bereit, sein eigenes Glück ganz aufzuopfern, und alle erdenklichen Qualen zu leiden, wenn es ihm dadurch möglich gemacht würde den kleinsten Theil der Seligkeit, deren Gott geniesst, ihm dadurch noch erst zu erwerben. Da nun jeder Heilige sieht, dass Gottes Güte unermesslich und seine Glückseligkeit ewig ist, so findet er in dieser Betrachtung seine eigene vollkommene Beseligung." Die christl. Tugenden 16. Cap. n. 11. S. auch n. 6. Sic et alii.

elicuisse legitur: Domine Deus, sic Te diligo, ut si ego Deus essem et Tu Augustinus, vellem ego esse Augustinus, ut Tu Deus esses. [1]) Pari affectu inflammatus s. Bonaventura ait: *„Magis gaudeo, magis approbo, amplius totis artubus et visceribus concupisco, me totum exponere et impendere Tuo honori, me de me Tuae satisfacere voluntati pro Te, quam etiam quantumcunque coelestibus et divinis deliciis jucundari. Si enim propter Te, mi Domine, lacerarer et passiones et mortes quascunque ad Tui honorem reciperem, eas magis approbarem, magis diligerem, et de his magis gauderem, quam de quacunque delectatione, quam etiam in patria possem habere, nisi forte illa delectatio tantum aut plus cederet ad Tui honorem; et hoc etiam non ratione delectationis, sed ratione Tui honoris optarem."* [2]) S. Franciscus Salesius sic precatur: *„Magis gaudeo de infinitis perfectionibus Tuis, Domine, quam si eaedem meae essent; gaudeo, quod nihil in mundo eas Tibi auferre vel minuere valet."*

2) Quoad *bona Dei extrinseca* actus benevolentiae est, gaudere de gloria Dei externa, nempe de divinis perfectionibus externe manifestatis, ut est gaudere, quod Deus mundum mirabiliter condidit, et mirabilius reformavit, quod fortiter et suaviter disponit omnia, mira sapientia et potentia regit Ecclesiam, „ipsiusque providentia in sui dispositione non fallitur;" porro gaudere de externa gloria, quae Deo a creaturis rationalibus advenit, nempe quod ab angelis et sanctis perfecte diligitur et glorificatur in coelo, ab hominibus fidelibus et piis amatur et collaudatur in terra etc.

3. — Ex gaudio de bonis divinis procedit *laus Dei* [3]), qua imprimis s. scripturae abundant.

4. — II. *Desiderium*, ut est actus benevolentiae erga Deum respicere potest tum intrinseca tum extrinseca bona divina.

1) Quoad *bona Dei intrinseca* elici nequit desiderium *absolutum* seu desiderium, Dei perfectiones aliquo modo augendi, quia Deus est infinite perfectus nihilque boni ipsi accrescere potest, juxta verba prophetae: *„Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges."* Ps. 15. Elici tamen potest desiderium *conditionatum*, ut s. Franciscus Salesius post Angelicum Doctorem advertit, quatenus nimirum, si possibile foret, ut ex nostris operibus aliquid boni Deo accresceret, omnes vires intenderemus ad ipsius perfectionem vel beatitudinem augendam. [1]) En exemplum talis desiderii a s. Francisco prolatum: *„Domine, Tu es Deus meus, immensae plane bonitatis, qui nec meorum bonorum, nec alterius cujusdam boni indiges. Si tamen possibile foret, et ego possem cogitare, Te boni alicujus indigere, numquam id Tibi desiderare desinerem, atque vitam meam, existentiam meam et mea omnia impenderem ad illud Tibi procurandum."* [2])

2) Quoad *bona Dei extrinseca* desiderium profecto elici potest, desiderium, inquam, Dei honorem et gloriam tum in nobis tum in aliis jugiter promovendi.

Quare a) dum spectamus Dei gloriam *in nobis* promovendam, actus benevolentiae est, desiderare, ut tum actibus ad Dei voluntatem rite compositis, tum passionibus secundum ejus voluntatem patienter toleratis Deo placeamus ipsiusque honorem augeamus. [3]) Quo desiderio inflammatus s. Franciscus Seraphicus exclamavit: *Deus meus et omnia mea!* s. Franciscus Salesius suspiravit: *Domine, vel diligere vel mori!* — Porro actus charitatis est, et valde quidem perfectus, desiderare Dei possessionem in coelo propter ipsius gloriam, ideo nempe principaliter, ut Deum ibi perfectius diligamus et aeternas ipsius laudes cantemus, exemplo s. Apostoli dicentis: *„Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo."* Phil. 1. 23. [4]) — Denique actus charitatis, isque perfectissimus, est desiderium sincerum et ardens, patiendi et moriendi pro Deo, si quidem tunc sine admixtione proprii commodi, imo non obstante gravi naturae incommodo solum Dei beneplacitum quaeritur. [5]) Vid. Joan. 15, 13. Quo modo

---

[1]) Vide S. Franc. Sal. Theot. Lib. V. Cap. 6.

[2]) Stimuli amoris p. 3. c. 17.

[3]) Dicit s. Augustinus: *„Nemo laudat, nisi quod ei placet."* Enarr. in Ps. 148. n. 3. *„Nulla tibi major causa et melior et firmior dari potuit, quare laudes Deum, nisi quia bonus est." Ergo: „Laudate Dominum, quoniam bonus est."* In Ps. 134. n. 4. Eleganter de Deo laudando per multa capita disserit s. Franc. Sal. in op. Theot. Lib. V. cap. 8—12.

---

[1]) Nempe d. Thomas ait: *„Si esset possibile, quod ex nostris operibus aliquid Deo accresceret, habens charitatem multo plura faceret propter beatitudinem ei conservandam, quam propter eam sibi adipiscendam."* In Lib. III. Sent. Dist. 29. q. 1. a. 3. ad 4. Fuse s. Franc. Sal.: Theotim. Lib. V. cap. 6.

[2]) Theotim. Lib. V. c. 6. Similiter in Serm. 3. de festo omnium Sanctorum.

[3]) Angelicus ait: *„amans amore amicitiae reputat bona amici, sicut sua, et voluntatem am ci, sicut suam."* 1. 2. q. 28. a. 2. c.

[4]) S. Alph.: Th. m. Lib. III. n. 24. cum aliis communiter. Vide etiam Deharbe: Die unvollkommene Liebe S. 197. u. f. Regensb. 1856. Quodsi Deus desideretur aeternam nobis reddens felicitatem, omnemque repellens miseriam, erit virtus amoris concupiscentiae.

[5]) S. Franc. Sal. ait: „Leiden und Trübsale Gottes wegen lieben, diess ist *der eigentliche Gipfel der Liebe*; denn hier ist nichts liebenswürdig, als der göttliche Wille allein; überdiess ist hier der Widerspruch unserer Natur gross, und man verlässt nicht bloss alle Freu-

s. Theresia solebat suspirare: *Domine, aut pati, aut mori;* s. Maria Magdalena de Pazzis illud frequenter in ore habebat: *Domine pati, non mori.* S. Joannes de Cruce semel interrogatus a Christo, quid praemii pro tot laboribus ad Dei gloriam susceptis posceret, respondit: *Domine pati et contemni pro te.* [1]) B. Carolus Spinola aliique Martyrium pro Christo subeundum suspirarunt.

b) Dum spectamus Dei gloriam *in aliis* promovendam actus benevolentiae erga Deum erit, sincere desiderare, ut homines Deum non cognoscentes vel non diligentes ad ipsius cognitionem et dilectionem perducantur, utque illi, qui Deum amant, amore ampliori eum prosequantur, sicque omnes et credendo et diligendo Deum glorificent. Quo quidem desiderio succensus propheta exclamavit: „*Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.*“ Ps. 118. 53. „*Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*“ ibid. v. 136. „*Confiteantur Tibi populi, Deus: confiteantur Tibi populi omnes,*“ Ps. 66. 4. Eodemque desiderio inflammatus s. Ignatius de Loyola in haec verba frequenter prorupit: *O Domine, si homines Te nossent!* et s. Alphonsus sic precari solitus est: *Domine fac, ut omnes Te noscant, omnes Te diligant!*

5. — Amor benevolentiae potest etiam actus elicere circa malum, divino bono contrarium, qui sunt: 1. *tristitia* de peccatis a nobis commissis, quia Deum summum bonum offendimus, seu amor dolorosus de eo, quod Deo per ipsius offensam malum voluimus; qui actus gaudio de bono divino respondet [2]); et 2. *timor filialis,* ne Deum, summum bonum, peccato offendamus, sicque ipsi malum velimus, qui actus desiderio boni divini respondet. [3])

B. De amore effectivo benevolentiae erga Deum.

6. — Amor benevolentiae effectivus generatim in eo consistit, quod amans amato bonum non modo velit, sed etiam *operetur* coll. §. 17. n. 1., seu ex iis, quae habet et potest, amato communicet. Unde porro quaeritur, utrum possibile sit, Deo bonum aliquod communicare et operari? — Sane fieri nequit, ut bonum aliquod *internum* Deo accrescat, infinite enim perfectus, sibi sufficientissimus est; at vero crescere potest Dei gloria *externa*, et ad eandem amplificandam

---

den, sondern man empfängt auch Mühen, Plagen.“ Op. c. 9. B. 2. Cap.

[1]) Offic. divin. in ejus festo die 24. Novembr. Lect. 6.

[2]) S. Thomas: 2. 2. q. 28. a. 1. et 2.

[3]) Suarez: Tract. de charitate Disp. II. Sect. 1. n. 5.

augendamque utique multa, gratia ipsius auxiliante, operari possumus, imo et operari debemus juxta verba scripturae: „*Afferte Domino gloriam et honorem; afferte Domino gloriam nomini ejus.*“ Ps. 28. 2., hincque quotidie oramus: *Sanctificetur nomen tuum.* Ideo effectivus amor benevolentiae relate ad Deum consistit in *zelo* divini honoris, quo adlaboramus, ut mandatorum vel et consiliorum observatione, divinae voluntatis non in prosperis tantum, sed in adversis quoque rebus fideli impletione, sedulo virtutum exercitio, Deus in nobis aliisque magis magisque glorificetur. [1]) Et id quod jam per se satis patet, insuper ex multis s. scripturae effatis confirmatur. Idemque ss. Patres frequenter fidelibus observandum proponunt. Audiatur unus pro ceteris, s. Basilius dicens: „*Quid est proprium ejus, quae erga Deum est, charitatis? Servare mandata ipsius eo animo, ut gloria illi detur.*“ [2]) Itaque actus charitatis sunt omnes actus, quibus conformitatem nostrae voluntatis cum divina voluntate elicimus, porro omnes virtutes exercitae ad Deo complacendum, omnesque actus, quibus nos Deo offerimus totosque ipsi resignamus. [3]) Huc spectant s. Ignatii pulcherrimae preces: „*Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam meam, meum intellectum, et omnem voluntatem meam. Quidquid habeo et possideo, mihi largitus es: id Tibi totum restituo, ac Tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem Tui solum cum gratia Tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.*“ [4])

* S. Augustinus: Serm. 350. (al 39.) (Op. Tom. V.). S. Anselmus: Lib. Meditationum, Med. 14. (alias Manuale ad excitandum Dei amorem) Meditat. 15—18. (amor Dei excitandus beneficiorum consideratione). S. Bernardus: Liber seu Tractatus de diligendo Deo, ad Haimericum S. R. E. Cardinalem et Cancellarium. (Op. Tom. II.) S. Thomas: 2. 2. q. 23. a. 2—5.; q. 27. a. 1—4.; q. 28. et 29. S. Bonaventura: Stimulus amoris (opusc. in tres partes distributum). S. Alphonsus: Die wahre Braut Jesu Christi, cap. 6. S. Franciscus Salesius: Theotimus L. 5. c. 8. Ripalda: De ente superu. Tom. IV. Disp. 36. Sect. 5. Suarez: Tr. de charitate Disp. II. Sect. 1. Deharbe: Die vollkommene Liebe Gottes in ihrem Gegensatze zur unvollkommenen. §. 2. S. 20. u. f. Regensburg 1856. Scheeben: Natur und Gnade,

---

[1]) Vide d. Thomas: 1. 2. q. 28 a. 4., ubi ostendit, *zelum* esse effectum amoris, subjungens! „— *aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea, quae sunt contra honorem vel voluntatem Dei, repellere secundum posse conatur.*“

[2]) Moral. reg. 53. c. 22.

[3]) S. Alph.: H. A. Tract. IV. n. 13. et alias.

[4]) Vide *Exercitia spiritualia*, Notis illustrata a P. Rothan. S. J. Ratisb. 1855. p. 310. et seq., ubi invenies egregiam praehabitae oblationis dilucidationem.

cap. 3. §. 5. S. 185. u. f. Mainz 1861. Die Herrlichkeiten der göttlichen Gnade. III. B. 6. Hauptst. V. B. 7. Hauptst., 2. Aufl. Freiburg 1864. Jocham: Moraltheologie, I. Th. S. 457. u. f. Sulzbach. 1852.

§. 20.

De comparatione amoris benevolentiae ad amorem concupiscentiae.

PROPOSITIO I.

Amor benevolentiae est amor perfectus, imperfectus amor concupiscentiae.

1. — Sic omnes scholae magistri cum Doctore Angelico tradunt. Ratio autem doctrinae propositae secundum d. Thomam haec est: Amor dicitur perfectus, quo aliquem secundum se diligimus, utpote cui volumus bonum; sicut diligimus amicum. Imperfectus amor est, quo diligimus aliquid non secundum se, sed ideo, quia bonum nobis inde provenit; sicut diligimus rem, quam cupimus. Atqui amore benevolentiae Deum diligimus propter semetipsum, scilicet ut summum bonum *in se,* adeoque est amor perfectus; amore autem concupiscentiae Deum diligimus ut summum bonum *nostrum,* seu conveniens nobis, proindeque amor est imperfectus.[1]) Amor benevolentiae semper *charitas* simpliciter dicitur, siquidem charitas, ut Angelicus observat, addit supra amorem perfectionem quandam amoris, in quantum id, quod amatur, magni pretii aestimatur, ut ipsum nomen designat.[2])

Hujus amoris, nempe charitatis, praestantiam praedicat s. Bernardus sequentibus verbis: „*Amor iste* (benevolentiae) *merito gratus, quia gratuitus. Justus est, quoniam qualis suscipitur, talis et redditur. Qui enim sic amat, haud secus profecto quam amatus est, amat; quaerens et ipse vicissim, non quae sua sunt, sed quae Jesu Christi; quemadmodum ille nostra, vel potius nos, et non sua quaesivit. Sic amat, qui dicit: Confitemini Domino, quoniam bonus* (Ps. 117. 1.). *Qui Domino confitetur, non quia sibi bonus est, sed quoniam bonus est, hic vere diligit Deum propter Deum, et non propter se ipsum. Non sic amat, de quo dicitur: Confitebitur Tibi, cum benefeceris ei*“ (Ps. 48. 19)[3]). Juxta eundem Doctorem melifluum amor concupiscentiae ad amorem benevolentiae ducit.[4])

---

[1]) 2. 2. q. 17. a. 8. Vide etiam q. 23. a. 1.; q. 26. a. 3. ad 3.

[2]) 2. 2. q. 26. a. 3. c.

[3]) De diligendo Deo cap. 9. n. 26.

[4]) Epist. 11. n. 8. Epist. 18. a. 2.

PROPOSITIO II.

Amor benevolentiae bene simul cum amore concupiscentiae relate ad Deum consistere potest.

2. — Est doctrina communis[1]) et certa. Ratio est, quia Deus est tum summum bonum in se, tum summum bonum pro nobis, quare duplici sub respectu diligibilis est, scilicet amore benevolentiae et amore concupiscentiae. Adde, quod Deus utroque hoc amore etiam diligi debet, quandoquidem finis noster supremus ex una parte est gloria Dei, quam exoptat benevolentiae amor, et ex altera parte beatitudo nostra aeterna in Deo consistens, quam concupiscentiae amor desiderat.[2])

3. — Rectus tamen ordo exposcit, ut amor concupiscentiae, utpote imperfectus, amori benevolentiae, qai est perfectus, subordinetur; quod manifeste docet Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 11. asserens, justum in operibus suis intueri mercedem aeternam, in primis autem intendere, ut glorificetur Deus.

Uterque amor conjunctus sic e. g. elici potest: *Amo Te, o Deus, quia me creasti et redemisti, me continuo conservas, protegis et innumeris cumules beneficiis, amo Te, quia aeternam mihi in coelis beatitudinem largiri vis; sed magis ideo Te amo, quia Tu Deus es, ob infinitas perfectiones omni amore dignissimus, summum bonum, in Te ipso, sanctissimus, benignissimus, sapientissimus, pulcherrimus; et ideo gaudeo de Tuis perfectionibus quam maxime, gaudeo et exulto, Te in coelo et in terra incessanter laudari et glorificari. Utinam cessent omnia hominum peccata, omnes Te cognoscant et diligant, utinam in omnibus fiat Tua sanctissima voluntas, et fiat semper, quod Tibi maxime est placitum.*

---

[1]) S. Bernardus ait: „*Ob duplicem causam Deum dixerim propter seipsum diligendum; sive quia nihil justius; sive quia nihil fructuosius diligi potest;*“ quod mox explicat verbis: „*et ob suum meritum, ut qui tantum nos amat, et ob nostrum commodum et praemium Deus est summe diligendus.*“ Libr. de diligendo Deo cap. 1. n. 1. Vide etiam seq. praesertim cap. 7. S. Bonaventura tradit: „— *Amor concupiscentiae non repugnat amori amicitiae* (seu benevolentiae): *imo quanto magis quis Deum desiderat recte tanto magis ad honorem ejus anhelat.*“ In Lib. III. Sont. Dist. 27. a. 2. q. 2. S. Thomas scribit: „*Duplex est dilectio; una concupiscentiae, qua diligimus illud, quod nobis volumus et desideramus; alia amicitiae, qua diligimus illud, cui bonum volumus. Utraque dilectione „„Diliges Dominum Deum tuum.“*“ Opusc. de dilect. Dei et proximi.

[2]) S. Alph.: Die Braut Christi, cap. 6. P. 1. n. 3.

PROPOSITIO III.

Non datur amor benevolentiae adeo purus, ut omni tempore sibi sufficere valeret sine intuitu mercedis aeternae.

4. — Propositio haec pertinet ad doctrinam catholicam, ut patet ex decisione Innocentii XII. *Cum alias* die 12. Mart. 1699., qui quippe condemnavit doctrinam contrariam, ab archiep. Cameracensi Fenelon propositam sicque sonantem: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.*

Veritas proposita argumentis probatur sequentibus: *Primum* est, quia nullus status, etiam perfectorum et sanctorum, liber reperitur a tentationibus eoque minus ab aerumnis, quibus sane humana fragilitas succumberet, nisi spe coelestium bonorum suffulciretur. Quod confirmatur exemplis Sanctorum, qui quippe adversitatibus pressi consideratione beatitudinis coelestis sese excitarunt ad Deum fideliter diligendum, ut Moses (Hebr. 11. 26.), David (Ps. 118. 112.), Paulus (2. Tim. 1. 12.). Hinc merito s. Bernardus: „*Nescio*, inquit, *si a quodam hominum ille gradus* (charitatis) *in hac vita apprehenditur, ut se, scilicet homo diligeret tantum propter Deum. Asserant hoc, si qui experti sunt; mihi, fateor, impossibile videtur.*„ [1]) Argumentum *alterum* est, quia ex assertione contraria omnino sequitur exclusio spei theologicae, quae tamen virtus, ut certo certius constat, ad salutem necessaria, et ex divino praecepto saepius elicienda est coll. §. 14.

5. — Attamen elici possunt *actus* purae benevolentiae, quibus nimirum Deus ut summum bonum in se absque ullius commodi ac praemii intuitu amatur. Sic communissime docent Theologi [2]) contra Bossuetum, qui arguendo Fenelonii errorem, in oppositum incidit errorem, asseverans non dari „amorem desinteressatum," i. e. amorem, qui omnem excludat respectum ad bonum proprium. Doctrina

---

[1]) Epist. 11. n. 8.

[2]) Hoc clare docet d. Thomas: 2. 2. q. 17. a. 8. c., idemque praeter alios edisserunt Honoratus Tournelly: De Sacr. Poenit. q. 4. a. 1. concl. 3. Reiffenstuel: Theol. mor. Tom. II. Tract. IV. Dist. 6. q. 1. Addit. 2. Voit: Theol. mor. P. I. n. 407. q. 1.

igitur praedicta facile probatur: 1. Ex ss. Patribus, e quorum numero unum sufficiet adduxisse s. Bernardum, sic loquentem: „*Non sine praemio diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus sit.*" [1]) 2. Ex natura rei. Saepe enimvero hominem diligimus, quin ullam ab eo exspectemus mercedem. Quare igitur non possumus Deum amare, quin remunerationem ab eo appetamus?

Dices: Amor purus, excludens scilicet desiderium coeli, damnatus est ab Innocentio XII. in propositione supra relata. — R. Propositio illa damnata loquitur de *statu habituali* amoris excludentis spem beatitudinis, non autem de *actu* hujusmodi amoris; ergo non rejicitur doctrina, quae affirmat, dari *actus* purae benevolentiae. Et idipsum irrefragabili testimonio confirmat S. P. Benedictus XIV., quippe qui in celeberrimo suo opere: De Beatificatione Servorum Dei etc. Lib. II. cap. 31. n. 7—10. actum purae benevolentiae cujusdam Servi Dei in scriptis ab ipso relictum, quo Deum sine intuitu ullius praemii amare studuit, sine haesitatione adprobavit et a propositionibus Fenelonii damnatis vindicavit.

Actum hujusmodi amoris sequentes s. Francisci Xaverii preces exprimunt:

O Deus, ego amo Te,
Nec amo Te, ut salves me,
Aut quia non amantes Te,
Aeterno punis igne: —
— — — — — —
— — — — — —
Sed sicut Tu amasti me,
Sic amo et amabo Te,
Solum quia rex meus es,
Et solum, quia Deus es.

* S. Alphonsus: Die Uebung der Liebe zu Jesus Christus cap. 16. — Lud. Habert: Theologia dogm. et moralis Tom. III. Tract. de virtutibus Theolog. P. II. cap. 3. q. 3. (Augustae Vindel. 1751. pag. 644. 645. Collet: Continuatio Praelectionum Theolog. Honorati Tournely. Tom. V. De spe Sect. 2. n. 79—92. (Parisiis 1757. pag. 456—465.) Ant. Mayr S. J.: Theologia scholastica (Tractatus omnes in Universitatibus Provinciae German. superioris Soc. Jesu tradi solitas Complexa) Tom. VII. de charitate n. 746—747. (Ingolstadii 1731.) Reiffenstuel: Theologia moralis pluribus Additionibus etc. aucta ab Massaeo Kresslinger, adjectis aliis novissimis Additionibus Dalmatii Kickh, Tom. II. Tract. IV. Dist. 6. q. 1. Additio 1. 2. et 3. (Pedeponti 1756. p. 263—279.) Perrone: Praelectiones theologicae de virtutibus fidei, spei et caritatis P. II. cap. 4. a. 2. p. 268 et sq. Ratisbonae 1865. Deharbe: Die vollkommene Liebe Gottes S. 179. u. f. Regensburg 1856.

---

[1]) De dilig. Deo, cap. 7. n. 17.

§. 21.

De amore amicitiae.

PROPOSITIO:

Charitas est vera hominis cum Deo amicitia.

1. — Propositio haec pertinet ad fidem catholicam. [1]) Etenim in s. scriptura homines justi Deumque perfecte diligentes vocantur *amici Dei;* ut Psalm. 138. 17. *„Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus."* Isai. 41. 8. *„Semen Abraham amici mei."* Judith 8. 22. *Abraham — Dei amicus effectus est.* Christus Dominus discipulis suis ait: *„Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis."* Joa. 15. 14. Atqui sine charitate nequimus plene et perfecte servare et adimplere Dei praecepta (Gal. 3. 26.) [2]) et sine charitate nihil, quod facimus, nobis prodest (1. Cor. 13. 1—3.); ergo per charitatem efficimur amici Dei. Demum Sap. 7. 14. dicitur, *sapientiam nos participes facere amicitiae Dei;* atqui *„dilectio Dei honorabilis sapientia."* Eccli. 1. 14.: ergo dilectio Dei nos facit Dei amicos. Idipsum numquam non ss. Patres et Theologi tradiderunt. [3])

Ratio autem theologica ex sequenti consideratione patescit. Amicitia generatim in mutua benevolentia consistit coll. §. 17. n. 1., quae quidem benevolentia non modo affectiva, sed effectiva quoque

[1]) Bannes: *„Secundum fidem catholicam*, inquit, vera amicitia est inter Deum et homines justos." In 2. 2. q. 23. a. 1. concl. 1. Sic et alii. Vide Deharbe: Die vollkommene Liebe. S. 103. u. f.

[2]) S. Thomas ait: „— observare omnia praecepta legis homo non potest, nisi impleat praeceptum charitatis, —" 1. 2. q. 100. a. 10. ad 3. S. Franc. Sal.: „Durch diese Liebe (der Begierlichkeit) allein vermag Niemand die Gebote Gottes zu halten, noch das ewige Leben zu verdienen, weil sie mehr sehnsüchtig, als thätig und wirksam ist, wofern sie nicht von der vollkommenen Liebe begleitet ist." Theot. 2. B. 17. Cap.

[3]) S. Augustinus scribit: „Non autem quisquam efficitur *amicus Dei*, nisi purgatissimus moribus, et illo fine praecepti, de quo Apostolus dicit: Finis autem praecepti est *caritas* de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta." De Genesi contra Manich. Lib. I. cap. 2. n. 4. S. Bernardus: In Cant. Serm. 59. n. 1. S. Thom. ex professo hoc de argumento disserit 2. 2. q. 23. a. 1. — Esparza ait: „Caritas est amicabilis conjunctio cum Deo." Lib. 6. de Virt. Theol. q. 38. Suarez: De Caritate Disp. III. Sect. 2. late. S. Francisc. Sales. Theotimus 2. L. 22. Cap.

Apte dicit Reuter: Gratia facit hominem amabilem, charitas eum aptum reddit ad amandum amore amicitiae." Theol. mor. Par. II. n. 79.

esse debet. Etenim *probatio dilectionis exhibitio est operis*, s. Gregorius M. dicit. [1]) Et haec in aliqua communicatione consistit. Unde optime s. Ignatius observat: *„Amor* (amicitiae) *consistit in communicatione, quae fit ab utraque parte, scilicet, ut det et communicet amans amato ea, quae habet, aut ex eis, quae habet vel potest, et sic vicissim amatus amanti."* [2])

Jam vero Deus certe nos amplectitur amore benevolentiae, siquidem nobis bona, inprimis dona gratiae, non solum vult, sed etiam communicat, imo semetipsum nobis dat, ut pulchre Ecclesia cantat: *„Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in praemium."* Quare si vicissim ex nostra parte adest amor benevolentiae erga Deum, dum scilicet bona nostra (animae et corporis vires etc.), imo nosmetipsos Deo offerimus et tradimus in ipsius obsequium atque honorem: tunc mutua profecto benevolentia, nempe Deum inter et nos homines, ergo veri nominis amicitia obtinet.

2. — Amor amicitiae non restringitur ad solum Deum, sed propter Deum ad eos omnes sese extendit, qui beatitudinis aeternae vel jam consortes, vel saltem capaces sunt, quia hi ad Deum pertinent. Quemadmodum enim, qui amicum diligit, ejus intuitu diligit omnes ad amicum pertinentes, filios, servos, aliosve ei familiariter conjunctos: ita ex amore amicitiae erga Deum diligere debemus eos omnes, qui Dei sunt, seu ad Deum pertinent. Tales autem illi sunt, qui beatitudinis aeternae vel jam consortes, vel saltem capaces sunt, capaces, inquam, gratiae divinae participatione. [3])

* S. Ambrosius: Libr. de Isaac et anima cap. 3. et sq. (de animae cum Verbo Dei conjugio). S. Bernardus; In Cant. Serm. 32. n. 1—4. (qualiter Christus suscipitur ab anima sancta tamquam sponsus, et ab anima infirma tamquam medicus). Serm. 71. n. 6—10. et Serm. 83. (de unitate amoris inter Deum et hominem interveniente). S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 23. a. 1. In Libr. II. Sent. Dist. 27. q. 2. a. 2. S. Franciscus Salesius: Theotimus L. 2., cap. 22. — Suarez: De charitate Disp. III. Sect. 2. Deharbe: Die vollkommene Liebe Gottes in ihrem Gegensatze zur unvollkommenen. S. 101. u. f. Regensb. 1856. Perrone: Praelectiones Theologicae de Virtutibus fidei, spei et caritatis pag. 361—367. Ratisbonae 1865. Schouppe: Elementa Theologiae dogmat., Tom. II. De charitate n. 239—248. Ed. 5. 1870

[1]) Lib. II. Hom. 30. n. 1.

[2]) Exercit. spirit. pag. 304. 305. Ratisb. 1855.

[3]) S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 1. ad 2. a. 4.

§. 22.

De necessitate charitatis.

PROPOSITIO I.

Charitas a Deo infusa omnibus, et infantibus et adultis, necessaria est atque semper fuit necessitate medii ad salutem.

1. — Est doctrina catholica, ut constat ex ss. Patribus [1]) nec non ex Concil. Trid. Sess. VI. cap. 7. Ratio, quia nemo potest ad Deum venire, nisi gratus ipsi acceptusque existat. Atqui talis dici nequit, qui non habet charitatem, quae quippe secundum ss. Patres [2]) significatur in evangelio per *vestem nuptialem*, qua qui indutus non est, *mittetur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* Matth. 21. 13.

PROPOSITIO II.

Actus charitatis omnibus adultis ratione utentibus necessarius est atque semper fuit necessitate medii ad salutem.

2. — Est pariter doctrina catholica; nam Apostolus Joannes dicit: „*Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.*" 1. Joan. 3. 14. Idem pariter ss. Patres docent. S. Gregorins M. dicit: „*Sine quibus tribus virtutibus* (fide, spe et charitate) *quisquis jam uti ratione potest, ingredi ad coeleste aedificium non potest.*" [3]) Ratio est, quia nemo perveniet ad Dei visionem, nisi ad unionem cum Deo tendat, quod fit per actus charitatis.

PROPOSITIO III.

Actus charitatis necessarius etiam est necessitate praecepti.

3. — Datur speciale praeceptum diligendi Deum super omnia. Constat ex verbis Christi: „*Diliges Dominum Deum tuum ex toto*

[1]) S. Greg. M. ait: „*Quasi quidam titulus divinae possessionis est iste spiritus amoris. Paulus clamat: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (Rom. 8. 9.). *Acsi aperte dicat: Qui nunc Deo inhabitante non regitur, de divinae claritatis specie postmodum non laetatur.*" In Evang. Lib. II. Homil. 24. n. 6. S. Bernardus: „*Sine charitate salus esse non potest.*" De off. epist. cap. 14. n. 4.

[2]) S. Gregorius M. dicit: — „*Recte enim charitas nuptialis vestis vocatur; quia hanc in se Conditor noster habuit, dum ad sociandae sibi Ecclesiae nuptias venit. Sola quippe dilectione Dei actum est, ut ejus Unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. — — Haec sola* (nempe charitas) *nos speciosos exhibet.*" Lib. II. Homil. Hom. 38. Ita „vestem nuptialem" interpretantur etiam s. Chrysostomus, s. Hieronymus, Theophylactus et alii.

[3]) Lib. II. in Ezech. Homil. V. n. 16.

corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: hoc est maximum et primum mandatum." (Matth. 22, 37.) Porro, quod necessarium est necessitate medii, necessarium quoque est necessitate praecepti. Atqui charitas necessaria est necessitate medii, ut probavimus. Ergo. Praeceptum hoc obligat ad Deum amandum super omnia *appretiative* non autem necessario *intensive;* ut s. Thomas [1]), s. Alphonsus [2]), et communiter tradunt Theologi, paucis exceptis, qui volunt adesse obligationem diligendi Deum super omnia etiam intensive. [3]) Tunc autem dicitur Deus *super omnia amari intensive,* quando diligitur affectu vehementiore, et intensiore ac teneriore, quam omnis creatura; super omnia amari *appretiative,* quando Deus praefertur omni creaturae, ita scilicet, ut Deum amans nullius creaturae aut amore, aut timore Deum offendere velit; quo sensu Christus dicit: „*Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.*" Matth. 10. 37.

Specialiter I. Praeceptum hoc, quatenus est *negativum,* prohibet, ne umquam Deum odio prosequamur, aut ulli creaturae eum postponamus aliquid agendo, quod dissolvat amicitiam nostram cum ipso, peccando videlicet mortaliter. [4]) Sic s. Paulus dicit: „*Nulla creatura poterit me separare a charitate Dei.*" Rom. 8. 39.

II. Idem praeceptum, quatenus est *affirmativum,* praescribit, ut actus charitatis internos saepius eliciamus, porro, ut mandata Dei observemus ad ejus amicitiam conservandam necessaria [5]) secundum illud divini Salvatoris: „*Qui habet mandata mea, et servat ea, ille*

[1]) Hic dicit, „*ad veram charitatem satis esse, quod homo habitualiter totum cor suum ponat in Deum, ita scilicet, quod nihil cogitet vel velit, quod divinae dilectioni sit contrarium; et haec perfectio communis est omnibus charitatem habentibus.*" 2. 2. q. 24. a. 8.

[2]) Th. m. lib. VI. n. 442. *Id clare.*

[3]) Qua de materia legi possunt Ripalda: De ente supern., Tom. IV. de charitate Disp. 37. Sect. 5. n. 42. et seq. Suarez: De charitate Disp. V. Sect. 2. n. 1—4. Reiffenstuel: Theol. mor. Tom. II. Tract. 4. Quaest. I. n. 5—7. Elbel: Theol. mor. Decalogalis Tom. I. Conf. 7. n. 201. et 202.

[4]) Reiffenstuel: l. c. n. 4. Voit: n. 399. Reuter: Pars II. n. 90. qui recte addit: „Praeceptum hoc obligat — — ad fugiendum quodcunque peccatum mortale: nam licet praecepta aliarum virtutum ex speciali honestate peccata prohibeant sibi opposita: omne tamen mortale repugnat charitati: quia est totalis recessus a Deo, et renuntiatio amicitiae ejus." Et d. Thomas ait: „*Quilibet actus peccati mortalis contrariatur charitati secundum propriam rationem, quae consistit in hoc, quod Deus diligatur super omnia.*" 2. 2. q. 24. a. 12.

[5]) Reiffenstuel l. c. n. 4. Voit n. 389. Suarez ait: *Aliquo modo omnia praecepta dici possunt pertinere ad charitatem; quia omnia sunt necessaria ad servandam charitatem, et radicantur in ea.*" De charitate Disp. V. Sect. 2. n. 7.

est, qui diligit me.“ Joan. 14, 21. Vide etiam I. Joan. 2, 5. 3, 5. Non autem tenemur, *semper* ex motivo charitatis agere, sufficit enim, ut operemur ex motivo supernaturali, et actus charitatis saepius eliciamus.

Obligat praeceptum eliciendi actus charitatis, tum *per se*, tum *per accidens*, sicut praeceptum fidei. Vide §. 6. n. 9. Constat etiam e propositionibus 5. et 6. ab Innocente XI. damnatis. [1]) S. Alphonsus illis accedit, qui actum charitatis semel in mense eliciendum esse arbitrantur. [2])

4. — Pro praxi observa: 1. Praecepto charitatis satisfaciunt fideles, *gaudendo* de Dei perfectionibus, quia ipsi bonae sunt, deque honore, qui Deo a creaturis exhibetur; *desiderando*, ut nullus eum offendat sicque male ipsi velit, ut potius omnes eum cognoscant et diligant ejusque mandata observent; *orando* devote: *Sanctificetur nomen Tuum, fiat voluntas Tua sicut in coelo et in terra;* porro *vitando peccatum*, quia Deo displicet, *bonum opus faciendo*, quia hoc vult Deus et ipsi placet. [3])

2. Satisfacit, qui actum perfectae contritionis elicit; haec namque contritio est formalis actus charitatis. [4]) Vid. §. 19. n. 5. Et hoc valet, etiamsi actus perfectae contritionis aliunde esset necessarius e. g. ad celebrandam Missam, quia praeceptum charitatis simul cum alio praecepto bene impleri potest. [5])

Non autem satisfit praecepto charitatis per attritionem in susceptione Sacramenti Poenitentiae, quia attritio non fit principaliter ex charitate.

3. Non anxii sint de hac obligatione, qui student vitae vere christianae, qui diligenter et devote orant, promptamque voluntatem

---

[1]) Propositio 5. sic jacet: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Propositio 6. sic sonat: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.*

[2]) H. A. n. 14. Perrone: observat: „— *imo dicerem, nec semel in anno, aut semel in mense elicito charitatis actu tanto praecepto satisfieri.*“ Prael. theol. de fide, spe et charit. n. 255.

[3]) Reuter n. 93. Voit n. 400. Perrone op. cit. n. 257.

[4]) S. Alphonsus dicit: „Actus contritionis est formalis actus charitatis erga Deum, sive intrinsece conjunctus cum charitate, ut *communiter* docent ex d. Thoma 3. q. 85. a. 6. et q. 86. a. 3. cum propter Dei dilectionem homo odit peccatum; nam contritio nihil aliud est, quam dolor de peccato, quatenus offensa Dei summe dilecti: unde, qui conteritur, necesse est, ut exercite, etsi non reflexe, actum charitatis eliciat.“ Th. m. L. VI n. 442. *Quod autem.*

[5]) Gury n. 219.

habent, peccata saltem gravia vitandi; sic enim jam implent praeceptum charitatis. [1]) Suadendum tamen est fidelibus, saepe explicitos charitatis actus elicere in vita, ut magis magisque cum Deo conjungantur atque parati existant ad similes actus in morte facile eliciendos.

§. 23.

De vitiis charitati erga Deum oppositis.

1. — Charitati erga Deum *generaliter* opponitur peccatum omne mortale, per quod quippe totaliter receditur a Deo, sicque ejus amicitiae renunciatur. *Specialiter* vero et directe ipsi repugnant odium Dei et acedia.

I. De odio Dei.

2. — Odium in genere est actus, quo alicui malum volumus. Duplex est: *odium abominationis* seu rei, quod adversatur amori concupiscentiae, in eo quidem consistens, quod nolumus (aversamur) rem tamquam malam in se, vel nobis malam; et *odium inimicitiae* seu personae, quod opponitur amori benevolentiae seu amicitiae, et in eo situm est, quod alicui personae volumus malum, quatenus ipsi malum est.

Unde I. *odium abominationis erga Deum est* affectus malignus, quo quis Deum aversatur, quatenus in eo reputat aliquid ut sibi malum seu contrarium: ut e. g. si quis Deo indignatur, quia prohibuit peccata, vel poenas infligit, vel adversitates immittit. [2]) — Ex hoc nasci solet II. *odium inimicitiae erga Deum*, quo quis Deo vult malum; et hoc odium duplex esse potest: 1) *affectivum*, si quis *con-*

---

[1]) Voit n. 400.

[2]) Ad questionem: *Utrum quis possit Deum odio habere?* Angelicus respondet: „Deus dupliciter ab homine apprehendi potest. *Uno* modo secundum seipsum, puta cum per essentiam videtur. *Alio* modo per effectus suos, cum scilicet invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Deus autem per essentiam suam est ipsa bonitas, quam nullus habere odio potest, quia de ratione boni est, ut ametur. Et ideo impossibile est, quod aliquis videns Deum per essentiam, eum odio habeat. Sed effectus ejus aliqui sunt, qui nullo modo possunt esse contrarii voluntati humanae, ut esse, vivere, intelligere. Unde etiam secundum quod Deus apprehenditur ut auctor horum effectuum, non potest odio haberi. Sunt autem quidam effectus Dei, qui repugnant inordinatae voluntati: sicut inflictio poenae et etiam cohibitio peccatorum per legem divinam, quae repugnat voluntati depravatae per peccatum. Et quantum ad considerationem talium effectuum ab aliquibus Deus odio haberi potest.“ 2. 2. q. 34. a. 1. c.

tristetur de eo, quod Deus est omniscius, omnipotens, justus etc. (qui actus gaudio de bonis divinis intrinsecis repugnat coll. §. 19. n. 2.), porro, si quis *optet,* ut Deus non sit, vel ut non sit omniscius, omnipotens etc., vel ut ordo moralis a Deo stabilitus immutetur, Ecclesia Christi eradicetur, ut Deus offendatur, etc. (qui actus desiderio boni divini repugnat,) 2) *Effectivum,* quando quis ex Dei aversione attentat, quae ad Dei gloriam sunt, destruere vel impedire, ut e. g. Ecclesiam Christi persequendo, opprimendo. [1])

3. — *Odium Dei, sive sit abominationis sive inimicitiae, est gravissimum peccatum,* quia est directa aversio a Deo, summo et maximo bono, et praestantissimae virtuti adversatur [2]); quamvis alio respectu maximum peccatum etiam dici possit infidelitas, quatenus haec nimirum maxime a Deo elongat (Cf. §. 8. n. 4.) vel etiam desperatio, quatenus ab ea difficillime ad Deum fit conversio, nam desperare est descendere in infernum, s. Isidorus dicit. [3])

Odium Dei est *maxime contra naturam hominis,* quia repugnat dilectioni Dei, diligere autem, et inprimis diligere bonum summum et infinitum, quod Deus est, maxime est naturale homini; atque ideo odium Dei est ultimum vitium, in quod homo peccando solet devenire. [4])

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 34. — Suarez: Tract. de charitate Disp. VI. Sect. 1. Sporer: Theolog. moral. super Decalogum Tom. I. Tract. II. cap. 5. Sect. 3. Laymann: Theol. moralis Lib. II. Tract. 3. cap. 8. n. 1—5. Perrone: Praelectiones Theolog. de Virtutibus fidei, spei et caritatis P. III. cap. VI. Propos. 1. pag. 441—444. (Ratisbonae 1865).

II. De acedia.

4. — Acedia *generaliter* accepta est fastidium et tepor animi in exercitio virtutum ob molestias illi adnexas, ut e. g. in jejunando, in suscipiendis Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae. Acedia, quatenus est *vitium speciale,* dicitur *fastidium et tristitia de bonis spi-*

[1]) Hujusmodi odium hodiedum maxime produnt sectarii, Francomuratorii nuncupati. Vide Perrone: De Virtut. fidei, spei et caritatis pag. 440. 441. Notae. Jocham.: „Der Hass Gottes hat sich ausgesprochen zur Zeit des Beginnes der Gottlosigkeit und spricht sich immer lauter aus, bis das Reich des Widerchristes in seiner diabolischen Macht und Herrlichkeit erscheinen wird." Moralth. III. B. S. 133.

[2]) S. Thomas: 2. 2. q. 34. a. 2. Suarez: Tr. de charitate Disp. VI. Sect. 1. Laymann et alii communiter.

[3]) Lib. 2. de Summo bono c. 14 Vid. d. Thom.: 2. 2. q. 20. a. 4.

[4]) S. Thomas: 2. 2. q. 34. a. 5. — Laymann: Theol. mor. Lib. II. Tr 3. c. 8. n. 4.

ritualibus et divinis (seu de mediis salutis aeternae), *ob difficultatem in iis acquirendis et adhibendis expertam.* Quo modo acedia intellecta adversatur charitati, quae quippe de bonis a Deo communicatis gaudet, iisque ad Dei honorem fervide utitur. Ita communiter. [1])

5. — Acedia latiori sensu accepta est vel grave vel leve peccatum, prouti ex ea vel graves vel leves praeceptorum omissiones sequuntur. Strictiori sensu accepta est peccatum mortale ex genere suo. [2]) Hinc graviter peccat, qui e. g. plena deliberatione dolet de gratia suae conversionis ad fidem catholicam, quia nimis onerosas reputat obligationes susceptas.

6. — Acedia sensu arctiori accepta ex nimio rerum temporalium affectu, vel etiam ex ingratitudine, quae quippe bona a Deo accepta vilipendit, originem ducit. [3]) Ipsa autem rursus aliis vitiis dat originem seu est *vitium capitale,* ex quo *filiae* sequentes enascuntur: 1. Odium rerum spiritualium, 2. pusillanimitas in aggrediendis iis, quae ad obsequium Dei spectant, 3. desperatio de superandis difficultatibus ideoque de consequenda salute, 4. rancor seu indignatio adversus eos, qui ad virtutem inducunt, 5. evagatio mentis in oratione aliisque exercitiis spiritualibus. [4])

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 35. — S. Bonaventura: Centiloquium, P. I. cap. 21. Pharetra, Lib. II. cap. 10. S. Alphonsus: Theolog. mor. l. 2. n. 84. Laymann: Theol. moral. Lib. II. Tract. III. cap. 9. Voit: Theol. mor. P. I. n. 340—342. Amort: Theol. mor., Tract. IX. §. VIII. Jocham: Moraltheol. III. B. S. 132. Sulzbach 1854.

Casus.

7. — *Lucillus 1. satis languide officiis suis christianis satisfacit. 2. Tum autem eadem saepius negligit, nempe Missam diebus festis non audiendo, jejunium non observando, quod quidem nimis durum naturae humanae esse conqueritur. 3. Postmodum eo sceleris devenit, ut Confessionem sacramentalem tamquam equuleum conscientiae*

[1]) S. Thomas: 2. 2. q. 35. a. 1. et 2. S. Alphonsus: Th. m. L. II. n. 84. — Reuter: P. II. n. 126. Voit n. 340.

[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 35. a. 3. S. Alph. n. 84.

[3]) S. Thom.: 2. 2. q. 35. a. 1. ad 3. Hinc merito s. Bernardus dicit: „*De eo, quid dicam, qui in murmure et impatientia obstinato perdurat animo aut quem poenitet adhaesisse Deo, et contra morem et contra rationem, bonum factum poenitentia comitatur, qui sine dubio miserationibus Dei non modo non habet gratiam, sed et contumeliam reddit? Omnino enim, quantum in se est, inhonorat eum, a quo vocatus est, quisquis in ejus servitio in tristitia permanet et rancore: eam dico tristitiam, quae secundum carnem est, et mortem operatur.*" Serm. 2. in Dom. 5. post Pent. n. 2.

[4]) S. Thom.: 2. 2. q. 35. a. 4. S. Alph. n. 84. Amort. Tr. IX. q. 4. et seq.

aspernari non expavescat, eamque prorsus non esse velit. 4. Cumque diem postremum cogitat, adversus Deum ut malorum vindicem odio exardescit. Quaeritur: Quomodo Lucillus in singulis peccaverit?

R. *ad 1.* Peccavit acediâ sensu latiori accepta coll. n. 4., sed venialiter tantum, nisi graves obligationes neglexerit coll. n. 5. — *Ad 2.* Peccavit acedia gravi ex ratione opposita coll. n. 5. — Notandum vero, quod cum acedia in utroque casu non sit vitium speciale coll. n. 4., sufficit quoad primum, negligentem officiorum executionem, et quoad alterum, graves omissiones in Confessione exprimere. [1]) — *Ad 3.* Peccavit odio rerum spiritualium, quod est filia acediae coll. n. 6., mortaliter quidem, si plena deliberatione Confessionem Sacramentalem detestatus fuerit. — *Ad 4.* Peccavit odio abominationis erga Deum coll. n. 3., et quidem mortaliter, quando illud plene voluntarium fuerit.

8. — *Maurus sacerdos 1. tristatur, quod sacerdotalem statum elegerat, propter difficultates, quas in illius officiis implendis experitur, quin tamen eadem omittat. 2. Postmodum cum a taedio rerum spiritualium se dirigi patiatur, nec vanas cogitationes tempore orationis abigere studet, nec sacramentum Poenitentiae debito fervore administrat. 3. Cumque ideo ab aliis admoneatur, adversus eosdem vehementer indignatur. 4. Imo subinde odio sacratissimi muneris sui ductus gravissimas etiam obligationes omittit. 5. Postremo cum vim sibi inferre nolit ad salutis media adhibenda de salute sua infelicissimus ille desperat. Quaeritur: Quomodo in his omnibus Maurus peccaverit?*

R. *ad 1.* Tristitia illa est acedia proprie dicta, si obtineat cum reflexione ad Deum, qui dat gratiam vocationis. Ex genere suo quidem est mortale coll. n. 5., hic autem veniale non excedit, cum non sit perfecta; non enim adeo occupat et deprimit animum Mauri, ut ipsum ab impletione gravium officiorum retrahat. [2]) — *Ad 2.* Evagatio mentis in orando, filia acediae, per se est veniale peccatum; mortale autem, si attentio requiratur ad implendum praeceptum obligans sub mortali. [3]) Torpor in administrando Poenitentiae Sacramento, qui pariter ex acedia nascitur, a mortali non poterit excusari: si praetermiserit rem gravis momenti. — *Ad 3.* Rancor, alia acediae filia, per se tantum veniale est peccatum. — *Ad 4.* Odium illud, ex eodem vitio proficiscens, certe involvit culpam lethalem. — *Ad 5.* Desperatio denique, pessima acediae filia, cum hic sit perfecta, mortale peccatum constituit, coll. §. 15. n. 3.

Caput II.

De charitate erga nos ipsos.

Agendum 1. de obligatione nosmetipsos diligendi, et 2. de peccatis oppositis.

§. 24.

De obligatione nosmetipsos diligendi propter Deum.

1. — Charitas, qua Deum diligimus, ad ea omnia, quae ipsius Dei sunt, extendi debet, ut superius §. 21. n. 3. probavimus. Cum-

[1]) Voit n. 341.
[2]) Conf. d. Thom.: 2. 2. q. 35. a. 3. c.
[3]) S. Alph. Lib. II. n. 84.

que juxta Apostolum *nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur, sed sive vivimus, sive morimur, Domini sumus* Rom. 14. 7, 8., ideo unusquisque semetipsum, non propter se, sed propter Deum, ut aliquid ipsius Dei, ex charitate diligere debet. [1])

In specie *animam* nostram diligere debemus propter Deum, quia secundum imaginem Dei est creata, Christi sanguine redempta, Spiritus sancti gratia sanctificata, et capax existit beatitudinis aeternae. [2])

Porro *corpus* etiam propter Deum diligere debemus, quia est instrumentum animae ad obsequium et honorem Deo praestandum (Rom. 6. 13.), templum Spiritus sancti per baptismum sanctificatum (1. Cor. 3. 16—17., 6. 19.), et capax quoque beatitudinis coelestis per redundantiam ex anima gloriosa in illud, ut d. Thomas loquitur. [3]) Ast corruptionem corporis ex peccato ortam diligere aut fovere non licet, imo potius ex vero charitatis affectu eam amovere debemus [4]), unde Apostolus monet: „*Mortificate membra vestra, quae sunt super terram.*" Coloss. 3. 5.

Obligatio semetipsum diligendi his insinuatur Domini verbis: „*Diliges proximum tuum sicut teipsum.*" Matth. 22. 39., quibus nimirum supponitur, hominem debere semetipsum diligere, ut secundum similitudinem hujus dilectionis proximum diligat. „*Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?*" Eccli. 14. 5.

2. — Finis, ad quem nos diligere debemus, Deus est, ejus nempe glorificatio et fruitio. S. Augustinus scribit: „— *ne seipsum quisquam debet propter seipsum diligere, sed propter illum* (Deum nempe), *quo fruendum est. — Teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum, ubi dilectionis tuae rectissimus finis est.*" [5]) Doctor Angelicus: „*Quisque debet seipsum diligere propter Deum, sicut propter finem.*" [6])

Ad finem hunc consequendum omnia juvant hominem, quae praeter ipsum in mundo existunt, tum quae *bona*, tum quae mala dicuntur. Porro *bona* sunt triplicis generis, spiritualia, corporalia et externa. Homo, ut seipsum sincere diligat ad praedictum finem ob-

[1]) Abelly: Medulla Theol. II. p. 412.
[2]) Vide d. Thom.: 2. 2. q. 25. a. 4.
[3]) 2. 2. q. 25. a. 5. c. et ad 2.
[4]) S. Thom.: 2. 2. q. 25. a. 5. S. Augustinus: „*Quia hoc erit post resurrectionem, ut corpus omni modo cum quiete summa spiritui subditum immortaliter vigeat, hoc etiam in hac vita meditandum est, ut consuetudo carnalis mutetur in melius, ne inordinatis moribus resistat spiritui.*" De doctr. Christian. Lib. I. n. 25. Vide etiam *ibid.* n. 24.
[5]) De doctr. Christ. Lib. I. n. 21.
[6]) 2. 2. q. 44. a. 7.; q. 19. a. 6. c.

tinendum: 1) tenetur *bona spiritualia*, gratias et virtutes, prae ceteris bonis sibi velle, nec non ad eadem acquirenda, custodienda, augendaque vires suas intendere [1]); 2) *bona corporalia*, vitam et sanitatem, prudenter debet custodire et sedulo impendere tamquam media inservientia animae ad salutem aeternam operandam Deumque glorificandum [2]); 3) *bona* etiam *externa* famae et fortunae sibi prospiciat opportet, in quantum adminicula sunt ad propriam salutem et Dei gloriam promovendam. — Sed *malis* etiam hujus mundi, qualia sunt infirmitas, paupertas, ignominia, tamquam mediis salutis a Deo intentis homo uti debet, exercendo virtutes, quibus dant occasionem „*Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*" Rom. 8. 28.

3. — Notandum, hominem non teneri mediis extraordinariis vitam corporis servare, sed sufficere, mediis ordinariis uti, nisi vita bono communi sit necessaria. Est doctrina communis. [3]) Ratio est, quia praeceptum servandi vitam corporalem, est affirmativum, non omni tempore et modo obligans. [4]) Hinc. e. g. non teneris vitae conservandae causa pretiosas et valde exquisitas medicinas tibi procurare, nec pati amputationem cruris vel brachii, nec incisionem ventris ad extrahendum calculum, nec domicilio relicto extra patriam salubriorem regionem quaerere etc. Non tenetur virgo operationem probrosam subire per manus medici, licet ejus vita periclitetur. [5])

§. 25.

De peccatis charitati erga seipsum oppositis.

1. — Charitati, quam homo sibi debet, *in genere* repugnat omne peccatum, quia peccans detrimentum infert animae suae [6]);

---

[1]) D. Thomas: „— *boni diligunt seipsos, quantum ad interiorem hominem quia volunt ipsum servari in sua integritate, et optant ei bona; quae sunt bona spiritualia, et etiam ad ea consequenda operam intendunt.*" 2. 2. q. 25. a. 7. c.

[2]) S. Bernardus: „*Dilige carnem, tamquam tibi datam in adjutorium et ad aeternae beatitudinis consortium praeparatam. Ceterum sic amet anima carnem, ut non ipsa in carnem transiisse putetur, dicaturque ei a domino: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. — Amet Adam Evam suam: sed non sic amet, ut voci ejus plus obediat quam divinae.*" In Psalm. *Qui habitat.* Serm. n. 3. „*Diligitur corpus, et universa corporis bona tantum propter animam, anima propter Deum, Deus autem propter seipsum.*" Tract. de dilig. Deo, cap. 14. n. 38.

[3]) Vid. s. Alph. Lib. IV. n. 372.

[4]) Sic Laymann: Lib. III. Tr. 3. Par. 3. c. 1. n. 4. cum Lessio Lib. II. c. 9. Dub. 13.

[5]) S. Alph.: n. 372.

[6]) Matth. 16. 26.

ergo malum sibi vult, se odit: quapropter in s. scriptura dicitur: „*Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.*" Ps. 10. 6. „*Qui — faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animae suae.*" Tob. 12. 10.

2. — *In specie* charitati, quam homo sibi debet, adversatur I. per excessum *egoismus*, quo quis proprium et privatum commodum in actionibus suis primum et praecipue curat, idque tum utilitati publicae, tum bono divino, quod est Dei gloria, praefert. Quo sensu Apostolus dicit: „*Omnes, quae sua sunt, quaerunt, non quae Jesu Christi.*" Philipp. 2. 21. „*Nemo, quod suum est, quaerat, sed quod alterius.*" I. Cor. 10. 24. „*Charitas non quaerit, quae sua sunt.*" I. Cor. 13. 5.

3. — Eidem charitati adversatur II. per defectum *odium sui* [1]), quatenus est *odium personae*, quo 1) ille peccat, qui adeo cupit bona exteriora et corporalia, ut negligat vel penitus contemnat spiritualia [2]); qui enim taliter agit, se odit secundum id, per quod est proprie homo, nimirum secundum animam rationalem. 2) Ille peccat, qui non providet bonis corporis, vel bonis exterioribus, fortunae et famae necessariis sibi ad officia sua implenda, et ad propriam aliorumque salutem promovendam. A fortiori peccat, qui bono vitae corporalis semetipsum privat, nempe directe se occidendo; talis enimvero pietati sibi debitae maxime deest, horrendamque saevitiam in se exercet, praeterquam, quod injuriam maximam Deo infert et justitiam erga communitatem graviter laedit [3]); stadium nempe praeparationis ad impendentem aeternitatem proprio motu abrumpit, atque tempus ad expianda peccata, et ad comparanda merita necessarium violenta manu sibi eripit.

Honestum autem atque laudabile est *odium qualitatis malae* in se inventae, odium culpae, detestatio concupiscentiae etc. Tale siquidem odium est vera dilectio Dei et sui, unde s. Augustinus ait: „*Si male amaveris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti.*" [4]) Porro hujusmodi odium postulat Christus Dominus dicens: „*qui non odit — — animam suam, non potest meus esse discipulus.*" Luc. 14.

---

[1]) Vid. s. Thomas: 1. 2. q. 29. a. 4. c.; 2. 2. q. 25. a. 7.

[2]) Idem 2. 2. q. 25. a. 7. c. et ad 1. Egregie s. Bernardus scribit: „Quae etenim charitas est, carnem diligere, et spiritum negligere? Quaeve discretio, totum dare corpori, et animae nihil? Qualis vero misericordia, ancillam reficere, et dominam interficere?" Apologia ad Guilelmum Abbatem. cap. 8. n. 16.

[3]) S. Thomas: 2. 2. q. 64. a. 5. — S. Alphons.: Th. m. L. 4. n. 366.

[4]) In Joannem Tract. 51. n. 10.

26. Consequenter igitur abnegatio sui, tum interna, tum externa, bona est atque opus virtutis.

Illationes practicae:

4. — 1. Graviter peccat contra charitatem sui, qui probabili periculo graviter peccandi se temere exponit[1]); item, qui post lapsum in peccatum mortale poenitentiam *diu* differt, et quidem extra mortis periculum, ultra unum mensem, ut s. Alphonsus arbitratur[2]); cum se exponat periculo proximo novarum culparum, tentationibus succumbendo; et qui generatim salutem suam spiritualem negligit.[3])

2. Nullius boni consequendi causa licet peccare, etiam venialiter: quia hoc perinde esset, ac sibi velle malum spirituale.[4])

3. Peccat contra charitatem sui, qui salutem corporalem non curat, quod grave est, si fiat sine causa et cum gravi damno, v. g. mortis vel gravis morbi.[5])

4. Ex communi et vera Theologorum sententia[6]) licitum est, seclusa intentione sibi mortem inferendi aut vitam abbreviandi, poenitentiis et jejuniis asperis virtutis amore se mortificare, etsi vita per multos annos minueretur, modo austeritates non sint immoderatae; quia aliud est, mortem sibi inferre, et aliud, vitam non tueri, quod quidem posterius ex gravi causa licitum est.[7]) Adde, quod qui sic agit, vere semetipsum diligit, cum tam animae quam corpori velit atque operetur bonum, scilicet augmentum praemii vitae aeternae.[8])

---

[1]) S. Alph.: Th. m. 1. 2. q. 63. „ubi autem justa causa adest, s. Auctor subjungit, non est obligatio, tale periculum vitandi, nisi certo moraliter praevideatur lapsus in peccatum." Vide etiam l. 3. n. 26. Pariter l. 6. n. 453.

[2]) H. A. Tract. 16. n. 10. Th. m. l. 6. n. 437. Dub. I. Vide etiam L. 6. n. 663.

[3]) S. Alph. Th. m. l. 3. n. 25. 1.

[4]) S. Alph. l. c. n. 26.

[5]) Idem n. 25. 1.

[6]) approbata a Bened. XIV. de Serv. Dei Beat. Lib. III. cap. 29. n. 6.

[7]) S. Alph. Th. m. Lib. IV. n. 371., ubi apte adjungit: „Et revera, si licebit fabris ferrariis (dicebat abbas Rancè, fundator reformationis Trappensis) vitam sibi minuere laborandi quotidie bene in medio ignis, quo nequit notabiliter consummari humidum radicale, quo tam indiget vita humana; si licebit studiosis sanitatem labefactare ad scientias addiscendas; si licebit militibus exponere vitam tot aerumnis et periculis mortis: cur non licebit viro religioso austeritates corporales amplecti, ut rebellem carnem in servitutem redigat?"

[8]) Vid. s. Bernard.: In Psalm. *Qui habitat* Serm. X. n. 3.

Caput III.

De charitate erga proximum.

Agendum 1. de praecepto charitatis erga proximum, 2. de operibus misericordiae ex illo implendis, et 3. de vitiis charitati proximi oppositis.

A. De praecepto charitatis erga proximum.

Et quidem 1. de praecepto charitatis erga proximum in genere, 2. de praecepto charitatis erga inimicos in particulari, et 3. de praecepto charitatis quoad ordinem diligendorum.

§. 26.

De praecepto charitatis erga proximum in genere.

1. — Nomine *proximi* intelligi debet omnis creatura rationalis, aeternae beatitudinis capax, ut post s. Augustinum[1]) Doctor Angelicus[2]), Doctor Seraphicus[3]) aliique communissime tradunt. Hinc nomine proximi veniunt: 1. homines viatores, sive justi sint, sive peccatores, 2. Angeli et Beati in coeli, et 3. animae in purgatorio detentae. Dicuntur autem hi omnes *proximi* nostri, quia nobiscum habent communionem in natura rationali et beatitudinis aeternae participatione fundatam.[4]) Excluduntur igitur, ut per se patet, daemones ac damnati.[5]) In subsequentibus nomen proximi accipimus sensu arctiori de homine viatore.

---

[1]) Dicit: *„Non autem omnia, quibus utendum est, diligenda sunt, sed ea sola, quae aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicut est homo vel Angelus; aut ad nos relata, beneficio Dei per nos indigent, sicut est corpus."* De doctrina Christ. Lib. I. c. 23. n. 22. Et *ibid.* n. 30. ait, eos a nobis diligi, *„qui nobiscum frui possunt Deo."* Vide etiam n. 31. et 33.

[2]) 2. 2. q. 25. a. 1. 6. 8. et 10.

[3]) In Lib. III. Sent. Dist. 28. a. 1. q. 1. et 2.; Dist. 29. a. 1. q. 3.

[4]) Vid. d. Thom.: 2. 2. q. 25. a. 10. (quoad angelos).

[5]) Isti diligi possunt quoad suam naturam (nam „nec ipsius diaboli natura, in quantum natura, malum est: nec ibi Deus bonum insequitur, quod creavit, sed malum, quod ille commisit," dicit s. Augustinus: De Civ. Dei Lib. 19. cap. 13. n. 2.), diligi, inquam, eatenus possunt, quatenus „volumus illos conservari in suis naturalibus ad gloriam Dei," ut s. Thom. dicit 2. 2. q. 25. a. 11. c.

2. — Procul dubio datur speciale praeceptum divinum, diligendi proximum. Jesus Christus enim effatus, praeceptum diligendi Deum esse maximum et primum praeceptum, statim haec verba subjunxit: „*Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*" Matth. 22. 39. Hoc praeceptum appellatur *secundum*, quia est de secundario et minus principali charitatis objecto, conf. §. 18. n. 1. Vocatur *simile huic*, nempe primo praecepto, quia ex eo profluit, eidemque affine est, siquidem ex eadem ratione formali, ob quam Deum diligere debemus, et proximum amare tenemur, videlicet ob bonitatem divinam, quae in proximo relucet, quatenus secundum Dei imaginem creatus, Christi sanguine redemptus et capax est Deum possidendi. [1]) Jubemur autem proximum diligere *sicut* nos ipsos, quod non intelligendum est de aequilitate, sed de similitudine dilectionis. Sicuti enim nobis ipsis, ita et proximo nostro desiderare et procurare tenemur bona, eaque praesertim, quae ad amicitiam cum Deo ineundam fovendamque et ad beatitudinem aeternam assequendam inserviunt. Christus ipse id explicat verbis: „*Omnia ergo, quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Haec est enim lex, et prophetae.*" Matth. 7. 12. Idem praeceptum, de quo nobis sermo, Christus enunciavit verbis: „*Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*" Joa. 15. 12., quibus verbis simul designat rationem specialem, qua praeceptum sit observandum dicens: *Sicut dilexi vos.* Et Apostolus ait: „*Hoc mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.*" 1. Joa. 4. 21.

Praeceptum hoc, ut est *negativum*, vetat pro quovis tempore omnes actus amori benevolentiae oppositos; ut vero est *affirmativum*, obligat ad actum internum amoris saepius eliciendum, ut si necessarius est ad vincendum odium; obligat etiam ad exercendum actum externum amoris, quando proximus est in gravi necessitate.

3. — Ex praedictis facile conjicitur, quod charitas nostra erga proximum debet esse 1) *interna*, qua nimirum proximo bona sincere apprecamur, quod confirmatur ex propos. 10. et 11. ab Innocentio XI. damnatis; — 2) *externa* seu efficax, qua proximo bona pro viribus procuramus. Jac. 2, 15. etc 1. Joa. 3, 18., — 3) *non sua quaerens* 1. Cor. 13. 5. Luc. 14, 13. 14., quia ille, qui studio propriae utilitatis vel delectationis aliis benefacit, reapse non illos, sed semetipsum petit; — et 4) *universalis*, quae omnes omnino homines amplectatur. Matth. 5, 46. 47. Luc. 10. 30. etc.

[1]) Hinc s. Augustinus: De Trinitate Lib. VIII. cap. 7. observat, quod licet duo praecepta sint, in quibus lex pendet et prophetae, dilectio Dei, et dilectio proximi, non immerito tamen plerumque Scriptura pro utroque unum ponit, quia non potest alterum ab altero separari.

* S. Anselmus: Epist. Lib. II., ep. 22. (si vis esse rex in coelo, ama Deum et homines, sicut debes). S. Bernardus: In Cant. Serm. 50. S. Bonaventura: Stimulus amoris P. II. cap. 10. et 11. S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 25. a. 1. 10. et 11.; q. 44. a. 7. S. Franciscus Salesius: Theotimus 10. B. 11. Cap. S. Alphonsus: Die Braut Christi I. Th. cap. 7. — Scheeben: Die Herrlichkeiten der göttlichen Gnade. B. V. Hauptst. 8. Freiburg 1864. 2. Aufl.

Casus.

4. — *Benignus ut hominibus acceptus gratusque appareat, comem et affabilem se cunctis exhibet, superioribus obsequia offert et praestat ad captandam benevolentiam, necessitate pressis succurrit mere ad plausum sibi conciliandum; cum vires suppetunt, sibi ingratos insequitur, ubi ulciscendi possibilitas deest, bonitatem fingit, verbis malitiam velat. Quid censendum de hac agendi ratione spectato charitatis praecepto?*

R. Haec est saeculi nostri laudata humanitas, charitatis vera haeresis et pestis, benevolentiam fingens, sua quaerens. Haec quippe, ut verbis s. Gregorii Magni utar, haec usu a juvenibus scitur, haec a pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, ceteros despiciendo superbiunt, hanc qui nesciunt, subjecti et timidi in aliis mirantur. — Numquid mirum? Exulat fides ex corde eorum, qui humanitatem continuo in ore habent. Nemo vero diligit, qui non credit; nemo porro proximum diligit, qui Deum non diligit.

§. 27.

De praecepto charitatis erga inimicos in particulari.

1. — Datur ex lege naturae obligatio, inimicos diligendi, quia et inimici sunt proximi nostri, quos diligendos esse jus ipsum naturale dictat. [1]) Extat praeterea praeceptum evangelicum obligans ad inimicorum dilectionem, ut patet ex verbis Christi: „*Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*" Matth. 5. 44. Convenit quidem, in inimico detestari malum peccati, idque per correctionem fraternam tollere, sed necesse ultro est, in ipso diligere bonum, cum sit Dei imago, gratiae et beatitudinis aeternae capax, simili modo, quo odio habemus morbum, et diligimus aegrotum. [2])

[1]) Observat Suarez: hoc praeceptum ideo jam naturale esse „quia lex Evangelica non addit praecepta moralia positiva, praeter ea, quae sunt Sacramentorum; porro hoc praeceptum fuisse etiam in lege veteri, cum praecepta naturalia sint communia omni legi." Disp. V. Sect. 5. n. 4. et 5.

[2]) Vid. d. Thom.: 2. 2. q. 25. a. 8.; q. 83. a. 8. — Sententiar. in Lib. III.

Modum, quo inimicos affective et effective amare tenemur, sequentes indicant

REGULAE:

2. — **Regula I.** *Tenemur inprimis affectum odii et vindictae in inimicum deponere et offensam nobis illatam ex animo remittere,* secundum verba divini Salvatoris: *„Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis.“* Matth. 6. 15. *„Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.“* Matth. 18. 35. Non tamen, ut communiter docent, quisquam tenetur inimico remittere satisfactionem debitam sive honoris sive pecuniae; imo potest adversus illum actionem civilem vel criminalem instituere, *civilem* quidem eo tantum fine, ut damnum illatum compensetur, *criminalem* vero ex justitiae amore, ne crimina impunita maneant cum reipublicae detrimento; quamvis periculo non vacet, actionem criminalem adversus inimicum movere, eo quod pauci inveniantur, qui hac in re justitiam et commune bonum sincero animo spectent et non etiam propriae vindictae cupiditatem explere velint. [1])

Hinc 1. Peccat contra charitatem, qui ex odii affectu inimico malum expetit, vel de damnis illatis laetatur. Item, qui petenti veniam ignoscere recusat, satisfactionem sponte oblatam non acceptat, vel justo majorem postulat.

2. Est contra charitatem [2]), proximum nimis premere, ita ut notabili cum detrimento suo cogatur minimo damno tuo satisfacere. Cf. Matth. 13. et 18.

3. Si is, qui intulit injuriam, satisfecit, quoad potuit, contra charitatem est, illum amplius urgere, ut faciat, quod non poterit. [3])

4. Absolvi nequit offensus, qui, non nisi damnis compensatis remittere velet offensori, qui tamen ob paupertatem nullo modo satisfacere posset. [4])

3. — **Regula II.** *Tenemur inimicis ex interno affectu exhibere communia dilectionis signa et beneficia,* qualia scilicet christianus christiano, civis concivi, cognatus cognatis ordinarie praestare solet.

Sent. Dist. 28.. ubi s. Bonaventura art. 1. q. 3.

[1]) Laymann: L. II. tr. 3. c. 4. n. 3. et alii cum s. Alphonso, qui addit: „Hinc adhaereo Antoine, quod *practice* loquendo numquam liceat expetere punitionem inimici, etsi justam et legitima auctoritate faciendam.“ Th. m. Lib. III. n. 29. v. *Licet.*

[2]) Suarez: Disp. V. Sent. 5. n. 10.

[3]) S. Alphons. n. 29. Suarez l. c.

[4]) S. Alphons.: H. A. Tr. 4. n. 17.

Ratio est, quia illa, quae omnibus debentur, inimico negare, esset manifestum signum odii atque vindictae. — Excipe, si rationalis causa adsit, ea denegandi ad tempus, v. g. in justam punitionem vel debitam correctionem filiorum et subditorum, ob fundatum timorem, ne inimicus in sua malitia sit futurus obstinatior vel incepturus rixas etc.; modo interius adsit charitatis affectus.

Signa *specialia* dilectionis inimico exhibere *per se* tantum de consilio est. Ratio est, quia hoc ipso, quod sunt specialia, non teneris ea exhibere omnibus, ergo nec inimico, cum is non sit melioris conditionis, quam alii. — Dixi: *per se;* nam exceptive specialia signa charitatis inimico exhiberi debent, si nimirum id exigit ratio scandali vitandi, vel ratio spei, inimicum placandi, vel necessitas temporalis aut spiritualis inimici; quia quilibet tenetur ex charitate scandalum vitare, proximum a peccato avertere, et quocunque modo indiguerit, ipsum adjuvare secundum Apostoli monitum: *„Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.“* Rom. 12. 20. 21. Attamen haec obligatio non urget cum gravi proprio incommodo. — Ita s. Alphonsus [1]) cum d. Thoma [2]) et alii omnes. [3])

4. — Hinc 1. Non licet inimicos ab orationibus communibus excludere v. g. ab oratione Dominica [4]); imo, ut plures contendunt, speciatim pro ipsis orandum est, si timendum, ne odium perseveret; et saepe tanquam remedium efficax pro poenitentia a confessariis injungendum est.

2. Non licet inimicos excludere a communibus eleemosynis responsione, expositarum mercium venditione; quia haec sunt communia dilectionis signa. [5])

3. Per se loquendo nemo tenetur inimicum aegrotum invisere, moestum solari, ipsum hospitio recipere, familiariter cum eo agere, ac alia hujusmodi gerere, quia haec sunt specialia amoris signa. Excipe, si per aliquid eorum posses sine tuo incommodo inimicum tibi et Deo reconciliare, vel si ex eorum omissione sequeretur scan-

[1]) Th. m. L. III. n. 28.

[2]) 2. 2. q. 25. a. 8. et 9.

[3]) Videri possunt Laymann: Theol. mor. l. 2. Tr. 3. c. 4. n. 2. et 3. Suarez: Disp. V. Sect. 5. n. 6—8. Abelly: Medulla Theol. P. II. Ed. noviss. 1859. p. 413. Voit: P. 1. n. 704. Elbel n. 234. Scavini, Gury etc.

[4]) S. Alph. n. 28. 2.

[5]) S. Alph.: Theol. mor. l. III. n. 28. 2.

dalum, vel inimicus in gravi necessitate sit positus, qui benevolentia et auxilio speciali indigeat.[1]) Cf. n. 5.

4. Non teneris, regulariter loquendo, inimicum salutare, quia salutatio per se non pertinet ad signum commune proximo debitum. Secus tamen dicendum, si in aliquo loco mos obtineat, ut omnes indiscriminatim sese invicem salutent, vel si salutando inimicum posses ab odio et culpa gravi liberare; ad hoc enim bene videtur charitas te obstringere.[2])

Omnino autem teneris eum resalutare, quia alias censeres inimicum contemnere et in hostilitate velle perseverare.[3])

5. — Charitas per inimicitiam violata reparanda est per reconciliationem. Hinc quaeritur: *Qualis ordo servari debeat in reconciliatione facienda?*

Resp.: Si ex una tantum parte evenerit offensio, tunc ille, qui alterum offendit, tenetur prior media ad reconciliationem adhibere; nam quo modo charitas destructa est, eodem reparari debet. Colligitur ex verbis Christi: „*Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te* (i. e. justam contra te querelam, eo quod ipsum offenderas, ut s. Chrysostomus, s. Augustinus, s. Hieronymus interpretantur), *relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum.*“ (Matth. 5. 23, 24.) Si vero ex utraque parte offensio intercesserit, tunc si aequalis sit, qui prior offendit, reconciliationem incipiat; quodsi inaequalis, praeeat, qui gravius offendit.[4])

Reconciliatio fieri potest colloquio, variis officiis aut beneficiis praestandis, veniam a laeso petendo etc. Nec tamen ante reconciliationem signa communia charitatis inimico sunt deneganda, nisi fortasse ad tempus, ex justa causa, ut superius n. 3. declaratum est.

* S. Joannes Chrysostomus: Homiliae III de Davide et Saulo. Homilia in illum locum Apostoli Rom. 12. 20. S. Augustinus: Sermo 56. (alias de diversis 48.) n. 14—17. Sermo 30. (alias 14. ex editis a Sirmondo) n. 7—10. (Op. Tom. V.) S. Leo: Serm. 47. (in Quadrages. 10.) S. Petrus Chrysologus: Serm. 38. 139. S. Gregorius M.: Moral. in Job Lib. XXII. n. 22—25. (ubi inter alia sapienter exponit, quo modo illaesa charitate possimus de inimici ruina laetari, et de ejus gloria dolere.) (Op. Tom. I.). S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 25. a. 8. et 9. S. Bonaventura: In Lib. III. Sent. Dist. 27. a. 1. q. 3., Dist. 30. a. 1. q. 5. S. Alphonsus: Theol. moral. lib. III. n. 28. et 29.

[1]) S. Alph. l. c. 1. Laymann: L. II. Tract. III. c. 4. n. 2.

[2]) S. Alph. l. c. n. 28. *Quaeritur.*

[3]) S. Alph. l. c. n. 28.

[4]) Lacroix L. II. n. 190. Scavini, Gury etc. alii.

Casus.

6. — *Cajus juvenis contra parentum voluntatem indignum et inhonestum matrimonium contraxit, ex quo grave scandalum et dedecus familiae est exortum; ea propter parentes et fratres illum ad colloquium et consortium suum admittere recusant. Quaeritur, an pater vel fratres a Confessario absolvi possint?*

R.: Confessarius in hoc casu disquirere et expendere debet: 1. Utrum pater et fratres Cajo injuriam sibi illatam remittere velint? 2. An pater et fratres ex odii motu eidem consortium denegent, an solum punitionem quampiam ad scandalum et dedecus familiae reparandum spectent? 3. Utrum vindicta seu poena, quae delinquenti irrogatur, non excedat mensuram delicti; quare in perpetuum non poterunt illi signa charitatis denegare, sed tantum ad tempus differe, usque dum videbitur conveniens ad fines bonos sibi propositos consequendos. Quibus bene pensatis facile erit judicare, an possint praedictae personae a Confessario absolvi.

7. — *Franciscus confitetur: Solutionem debiti a Gregorio mihi praestandam juridice petii; sed quia debitor meus ex mera malitia debitum absolute negavit, et ego aliunde illud probare non potui, hinc repulsam perpessus sum; cumque propterea jam a longo tempore una cum uxore et prolibus meis miserrima egestate premor: hinc non amplius possum oblivisci hujus injuriae. Quaeritur, quid judicandum de hoc casu?*

Resp. 1. Certe non peccavit Franciscus, jus suum coram judice prosequendo, dummodo non ex odii impulsu egerit. — 2. Interrogari debet poenitens an verbis illis, non possum oblivisci injuriae, indicari velit, se non posse injuriam offensori remittere, vel injuriam istam continuo menti suae obversari. Si primum, religionis motivis et subsidiis adigendus erit ad ignoscendum suo inimico. Si alterum, poenitens examinandus est, utrum ex recordatione injuriae sibi illatae motus odii et iracundiae surrexerint, porro, an hisce motibus libere adhaeserit, ita ut inimico malum voluerit, se vindicare intenderit etc. Patet, illum omni culpa vacare, si motibus quantumcunque ad malum inclinantibus restiterit; secus vero, si istis voluntas consentiendo accesserit. Oportet talem poenitentem inducere ad plenam resignationem in divinam voluntatem, cujus adoranda dispositione mala temporalia permittuntur ad bona spiritualia et aeterna lucranda, eumque exemplo Christi excitare ad patientiam, porro preces jaculatorias tempore tentationum exsurgentium sedulo peragendas illi injungere; his enim mediis naturae rebellio reprimetur, suavitasque charitatis christianae amaritudinem animi demulcebit.

§. 28.

De praecepto charitatis quoad ordinem diligendorum.

1. — Datur ordo charitatis servandus, ut constat ex s. scriptura: „*Ordinavit in me charitatem*“ Cant. 2. 4, et s. Augustinus [1]) aliique Doctores sine exceptione docent.[2])

[1]) Lib. I. de doctrina christiana c. 27. n. 28. „Ille juste et sancte vivit, qui *ordinatam* dilectionem habet, ne aut diligat, quod non est diligendum, aut non diligat, quod est diligendum, aut amplius diligat, quod est minus diligendum, aut aeque diligat, quod vel minus vel amplius diligendum est.“ —

[2]) S. Thomas: 2. 2. q. 26. et q. 44. a. 8. S. Bonaventura: In Lib. III. Sent. Dist. 29. a. 1. q. 2. et 3.

Duplex autem ordo charitatis attendi debet, nimirum unus quoad personas diligendas et alter quoad bona diligenda. Ratio est, quia amare est alicui bonum velle, quare dilectio tum ad personas, quibus bona volumus, tum ad bona, quae ipsis volumus, refertur.

A. De ordine charitatis quoad personas diligendas.

2. — Per se patet, Deum in ordine charitatis locum obtinere supremum, super omnia enim est diligendus. §. 22. n. 3. Hinc tantum quaestio est de ordine dilectionis inter homines servando.

REGULAE.

3. — **Regula I.** *Quisque ordinarie debet se magis diligere, quam proximum.* Ratio 1., quia a Christo Domino (Matth. 22. 41.) dilectio sui ipsius ponitur tamquam regula dilectionis erga proximum; regula autem prior et potior est, quam regulatum; — 2. quia unusquisque sibi magis propinquus est, quam alius, nam ipse est unitas, cum proximo autem tantum unionem habet; — et 3. quia homo naturaliter inclinatur ad se ipsum magis diligendum, quam proximum. Idem ss. Patres [1]), idem s. Thomas [2]) aliique omnes scholae magistri docent. Unde vulgare axioma: *Charitas bene ordinata incipit a semetipso.*

Hinc 1. *quoad bona spiritualia,* tibi non licet peccatum comittere, ut proximum liberes a peccato. [3]) Nec tibi licet subire periculum proximum peccandi, ut peccatum alienum impedias, nisi periculum istud possis facere remotum, ita ud merito confidas, te non esse lapsurum. [4])

Licite tamen quispiam potest, imo quandoque etiam debet bona spiritualia non necessaria vel minus necessaria pro salute proximi dimittere (e. g. sacerdos meditationem ad confessiones fidelium excipiendas.) Potest etiam quis dilationem beatitudinis coelestis eligere,

[1]) S. Augustinus: De mendacio c. 6. n. 9. S. Gregorius M.: Lib. 19. Mor. c. 20. n. 38. S. Bernardus: De consideratione c. 5. n. 6. De officio episcoporum cap. 4. n. 13.

[2]) 2. 2. q. 26. a. 4.

[3]) S. Augustinus: „Sed si quaeratur, quod horum (proprium vel alienum peccatum) potius debuit evitare, qui utrumque non potuit, sed alterutrum potuit, respondebo, *suum* peccatum potius, quam *alienum;* et *levius* potius, quod suum, quam *gravius*, quod alienum.“ De mendacio c. 9. n. 14. Item c. 9. n. 21. et n. 22. S. Thomas: „Homo ex charitate debet magis seipsum diligere, quam proximum. Et hujus signum est, quod homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet a peccato.“ 2. 2. q. 26. a. 4. c.

[4]) S. Alph. H. A. Tr. IV. n. 14.

ut saluti proximi operam impendat, juxta exemplum s. Pauli Apostoli Phil. 1. 23., et s. Martini, qui dixit: *Domine, si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Quae qui agit, rectum ordinem servat, quia majus bonum minori praefert, et dum proximo prodest, sibi ipsi augmentum gratiae et gloriae promeretur.

Licite pariter aliquis majora bona spiritualia aliis quam sibi expetere potest, reputans illa in proximo ad majorem Dei gloriam cessura; tale quippe desiderium ex charitate erga Deum procedit. [1])

2. *Quoad bona temporalia,* per se loquendo unusquisque tenetur vitam temporalem propriam alterius vitae praeferre. [2]).

Dixi: *per se;* quoniam non desunt exceptiones, in quibus homo vel tenetur, vel laudabiliter potest alterius vitam suae praeponere. *Tenetur* sic facere, si agitur de vita salvanda viri, qui Ecclesiae vel reipublicae civili necessarius aut valde utilis est, porro si agitur de multitudine periclitante; quia bonum publicum praeferendum est bono privato. *Potest* idem facere extra illas circumstantias, si ob Deum vitam propriam pro salvanda aliena immolat; tunc quippe seipsum magis diligit, quam proximum, quia insigne coram Deo sibi meritum comparat, sicque magnum animae suae bonum operatur. Id Theologi communius docent cum Angelico Doctore. [3]) Nec desunt exempla Sanctorum, qui ita se gesserunt. Talis actus est perfectissimus et heroicus actus charitatis.

4. — **Regula II.** *Proximi non aequaliter a nobis sunt diligendi, sed magis minusve, prouti vel Deo vel nobis sunt propinquiores.* Ita d. Thomas [4]) et alii omnes. Constat etiam ex s. scriptura; nam cum mandatur, quod *maxime operemur bonum ad domesticos fidei* (Gal. 6. 10), et vituperatur ille, qui non habet curam *suorum et maxime domesticorum* (I. Tim. 5. 8.), datur intelligi, quod inter proximos, meliores et nobis magis propinquos magis debemus dili-

[1]) Vid. Ripalda: De ente supern., Tom. IV. de charitate. Disp. XXXVII. Sect. 8.

[2]) S. Augustinus: *„Si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere sicut seipsum, sed plus, quam seipsum; quod sanae doctrinae regulam excedit.“* De mendacio c. 6. n. 9.

[3]) Sic dicit: *„Tradere seipsum morti propter amicum, est perfectissimus actus virtutis: unde hunc actum magis appeti virtuosus, quam vitam propriam corporalem. Unde quod aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponit, non contingit ex hoc, quod aliquis plus amicum, quam seipsum diligat; sed quia in se plus diligit quis bonum virtutis, quam bonum corporale.“* In III. Sent. Dist. XXIX. a. 5. ad 3.

[4]) 2. 2. q. 26. a. 6.

gere.[1]) Ratio autem est, quia illi, qui *Deo* sunt propinquiores per majorem bonitatem, secundum se sunt magis amabiles; et quia ii, qui *nobis* sunt propinquiores, propter speciales amicitias, quibus Deus illos nobis devinxit, majorem dilectionem merentur.

In specie: I. *Meliores magis quam propinquiores debemus diligere affectu gaudii* seu complacentiae de virtutibus, quas possident; talis enim amor majori eorum bonitati, qua Deo sunt similiores, per se congruit. Hoc modo e. g. plus diligendus est vir sanctus, quam parens improbus. Pari ratione iis, qui sunt excellentiores aliqua dignitate et auctoritate, major reverentia est exhibenda; sicque pater magis honorari debet, quam uxor, quia majorem cum Deo communi omnium parente similitudinem habet.[2]) — II. *Qui nobis sunt propinquiores, magis quam meliores diligendi sunt affectu desiderii et externo opere,* quatenus ceteris paribus magis illis quam aliis bona nondum possessa sive spiritualia sive temporalia exoptare et providere debemus; quia ob specialem rationem pietatis vel gratitudinis talem curam et provisionem charitas imperat.[3]) — III. *Qui nobis sunt conjunctiores, aliis praeferri debent,* ideoque (ceteris paribus) magis diligendi sunt, qui vinculo sanguinis, religionis, convictus, patriae etc. nobis conjunctiores existunt. Et ipsi propinqui in necessitate ordinaria hoc ordine se excipiunt: 1) uxor[4]), 2) filii[5]), 3) parentes, 4) fratres et sorores, 5) cognati, 6) amici, benefactores, superiores et personae bono publico utiliores. Attamen in extrema necessitate vitae omnibus praeferendi sunt parentes: cum enim vitam ab eis acceperimus, justum est, ut dum vita eorum periclitatur, ceteris ipsos anteponamus. Ita communiter.[6])

* S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 26. tota. — Ripalda: De ente supern. Tom. IV. de charitate divina Disp. XXXVII. Sect. 8. et 9. Laymann: Theol. mor. Lib. II. Tract. III. cap. 3. n. 2. 4.—6. Abelly: Medulla Theologica P. II. cap. 4. Sect. 4. §. 2.

B. De ordine charitatis quoad bona diligenda.

5. — In bonis primum locum tenent bona *spiritualia*, gloria seu beatitudo aeterna, gratia, virtutes; secundum bona *corporalia*,

[1]) Ita d. Thom. 2. 2. q. 44. a. 8. ad 2.

[2]) S. Thom. 2. 2. q. 26. a. 7. 9.

[3]) S. Augustinus: *„Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui constrictius tibi junguntur."* De doctr. christ. Lib. I. cap. 28. n. 29. Item d. Thomas: 2. 2. q. 26. a. 7. c.; a. 13. c. Suarez: De charitate Disp. IX. Sect. 4. n. 4. et seq. Laymann: Lib. II Tract. III. cap. 3. n. 5. et seq.

[4]) S. Thomas: 2. 2. q. 26. a. 11.

[5]) Idem 2. 2. q. 26. a. 9. ad 1.

[6]) Idem 2. 2. q. 26. a. 9.; q. 31. a. 3. ad 4. S. Alphons.: Lib. III. n. 27.

ut vita, sanitas, integritas membrorum etc. tertium bona *externa*, ut honor, fama, divitiae etc.

Item *bonum commune* majus est bono privato; quia bonum commune est bonum totius, et bonum privatum est bonum partis; sicut autem totum est majus sua parte, ita bonum totius majus est bono partis, ideoque ei praeferendum.

Ex his simul junctis cum antecedentibus nunc deducendum, quomodo proximo in diversis necessitatibus sit succurrendum.

6. — Porro necessitas sive temporalis, sive spiritualis, triplex distinguitur, scilicet:

1. *extrema,* cum periculum damnationis aut mortis, vel alterius mali morti fere aequalis ita proximo imminet, ut moraliter loquendo, sine alterius auxilio illud evadere non possit;

2. *gravis,* cum proximus magnum patitur periculum salutis animae, aut vitae corporis vel alterius mali temporalis valde gravis, quod sine magna difficultate effugere non valet;

3. *communis* seu *mediocris,* in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate. In hujusmodi necessitate spirituali versantur vulgares peccatores, qui si vellent conatum aliquem adhibere, e pravo statu resurgerent; in communi necessitate temporali versantur generatim mendici, quibus, attenta eorum conditione, vita non nimis molesta ac misera est.[1])

REGULAE.

7. — **Regula I.** *In extrema necessitate spirituali succurrendum est per se proximo etiam cum periculo vitae.* Est doctrina communis et constat ex s. scriptura. Christus enim dicit: *„Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos."* Joa. 15. 12. At Christus Dominus nos ita dilexit, ut vitam corporalem pro animarum nostrarum salute obtulerit. S. Apostolus Joannes ait: *„Nos debemus pro fratribus animas ponere."* I. Joa. 3. 16. Quae lex obligat saltem in extrema necessitate spirituali, alioqui nunquam obligaret. Idem docent ss. Patres.[2]) Constat etiam ex ratione, siquidem vita aeterna proximi bonum est longe excellentius vita nostra temporali, ideoque

[1]) S. Alph.: Th. m. l. III. n. 27. H. A. Tr. IV. n. 18.

[2]) S. Augustinus dicit: „Temporalem vitam suam pro aeterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere; hoc enim praecessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur. Ad hoc enim et ait: Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut et ego dilexi vos." De mendacio c. 6.

ei praeferenda coll. n. 5. Nec ideo quis charitatem sibi debitam coll. n. 3. violat, nam vitam suam pro salute proximi ponendo animae suae maximum meritum lucratur. — Excipe tamen: a) si nulla affulgeat spes fructus, et b) si alius adsit, qui possit vel omnino debeat potius adjuvare.

Hinc teneris baptizare vel absolvere moriturum etiam cum vitae damno, si alius non adsit, qui id faciat. Item, si scias aliquem existentem in peccato mortali interficiendum in somno, vel nil cogitantem, teneris cum vitae periculo ei subvenire, modo prudenter judices te illi profuturum; nemo enim tenetur ad opus prorsus inutile cum proprio gravi damno. Non teneris ad Sinenses convertendos navigare, cum sint alii, qui hoc facere possunt, et alias fructus sit incertus. [1])

8. — **Regula II.** *In extrema necessitate temporali succurrendum est proximo cum magno quidem incommodo, non tamen cum extremo.* Ita communiter. Ratio est, quia ex una parte vita proximi bonum excellentius est aliquo nostro bono, et ex altera parte, cum amor nostri sit prioris ordinis, obligari non possumus ad maximum incommodum pro proximo subeundum. Licitum tamen atque valde laudabile est, vitam propriam pro tuenda vita proximi tradere, modo ob Deum fiat, ut superius n. 3. probatum est.

Hinc potes, sed non teneris alteri tempore famis cedere panem, tempore naufragii concedere tabulam ad enatandum, tempore pestis inservire infecto, quamvis exinde tibi immineat periculum mortis. Item licet, amici ad mortem injuste damnati vices subire. [2])

Si vero proximus sit necessarius ad bonum commune: tunc ipsi in extrema necessitate succurrendum est cum vitae periculo, quia bonum commune praeferendum est bono privato. [3])

9. — **Regula III.** *In gravi necessitate sive spirituali sive temporali succurrendnm est proximo cum mediocri tantum incommodo, secluso tamen justitiae, pietatis vel officii titulo.* Ita communiter. Ratio est, quia cum charitas sui praecedat charitati proximi, ideo tenemur quidem ad aliquod juvamen proximo praestandum, non tamen cum tanta proprii boni jactura.

Hinc 1. nemo tenetur cum periculo vitae alios retrahere a peccatis, a quibus possunt ipsi se liberare per Sacramentum Poenitentiae aut contritionem perfectam, etiamsi in periculo vitae versentur; secus autem dicendum, si judicari nequeat, posse illos actum contritionis elicere, ut sunt rudes aut peccatis assueti. [1]). Teneris tamen, etiam secluso officii titulo, subvenire proximo gravi animae necessitate laboranti, si possis sine gravi incommodo et speres fructum. [2])

[1]) S. Alph.: Th. m. L. III. n. 27.
[2]) Idem L. IV. n. 366.
[3]) S. Thom.: 2. 2. q. 31. a. 3. ad 2.

2. Tenentur ex justitia pastores, scilicet episcopi et parochi, nec non coadjutores seu vicarii parochorum, cum vitae periculo subvenire ovibus in gravi necessitate constitutis, adeoque iis administrare Sacramenta necessaria, si adsit spes successus. [3])

3. Miles tenetur persistere in statione, etsi moraliter certus sit, se occisum iri, ob specialem obligationem, quam ex officio subivit. [4])

10. — **Regula IV.** *In communi necessitate utriusque ordinis succurrendum proximo est cum incommodo levi.* Sane succurrendum est, quia id amor proximi postulat; sed cum incommodo tantum levi, quia proximus satis facile ab illa necessitate sese expedire potest, vel quia non est ei nimis molesta. Non teneris autem omnibus in communi necessitate positis opitulari; hoc enim impossibile vel saltem nimis grave foret. [5])

11. — **Regula V.** *In gravi necessitate spirituali communitatis teneris ei subvenire etiam cum vitae periculo.* Ita communiter. [6]) Ratio est 1) quia cum bonum publicum sit praeferendum bono privato coll. n. 5., profecto grave damnum commune praecavendum magis est, quam tuum particulare; et 2) quia necessitas gravis communitatis solet semper esse conjuncta cum extrema aliquorum privatorum.

Hinc a) si quis haeresin alicubi spargit, teneris cum vitae periculo impedire, si possis, et nemo alius impediat. Item si in persecutione, vel hostili incursione populus fidelis careret sacerdote, et aliunde esset expositus gravibus periculis peccandi, tuum esset, cum periculo vitae illi opitulari. [7]) Idem dicendum, si tempore pestis populus sit pastore vel aliis sacerdotibus necessariis destitutus. [8])

b) A fortiori parochus non potest fugere tempore morbi pestiferi ad vitam suam salvandam, nisi alio cum justa Ordinarii licentia

[1]) S. Alph.: Th. m. L. III. n. 27. H. A. Tr. IV. n. 14.
[2]) Idem: L. III. n. 27.
[3]) Idem l. c. et n. 40. H. A. Tr. IV. n. 14. et n. 22. — Gury P. II. n. 214. et 215.
[4]) S. Alph. L. IV. n. 366.
[5]) Bonacina: Disp. III. q. 4. punct. 4. n. 2. Elbel: De virt. charit. Conf. 7. n. 213. Scavini, Gury, et alii.
[6]) Vide s. Alph.: L. III. n. 27. et n. 40.
[7]) Antoine: Th. m. de charitate c. 3. Quaest. 2. Resp. 4.
[8]) S. Alph.: L. III. n. 27. H. A. Tr. IV. n. 14.

substituto.[1]) Nec licet pastori, e. g. episcopo gregem suum tempore persecutionis deserere, nisi subditorum saluti possit sufficienter per alium providere.[2])

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 26. tota, et q. 44. a. 8. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. III. n. 25—27. — Laymann: Theologia moralis Lib. II. Tract. III. cap. 3. La Croix: Theol. mor. Libr. II. n. 174—181. Lib. III. n. 719—733. Reuter: Theol. mor. P. II. Tract. I. cap. IV. Antoine: Theolog. moralis universa, Tract. de Virtutibus Theologicis Pars III. de charitate, cap. 3.

Casus.

12. — *Vocatur parochus ad excipiendam confessionem vulnerati in via, cui hostes adhuc insistunt caventes, ne quis ad eum accedat. Quaeritur: An teneatur accurrere cum probabili periculo suae occisionis vel saltem vulnerationis?*

R. *Dist.* Vel intervenit prudens ac probabilis spes, quod ad vulneratum sit perventurus pro ope spirituali ac Sacramentali absolutione impertienda, vel non. Si posterius, tunc parochus non tenetur accurrere cum praefato periculo, ut patet, siquidem imprudenter ageret parochus, se exponendo gravi periculo mortis suae, sine spe praestandi ullum vel minimum auxilium vulnerato. Si prius obtinet, tunc parochus tenetur accurrere, etiam cum periculo vitae suae, sive vulneratus ille in extrema, sive in gravi tantum necessitate spirituali versetur: quia id exigit officium pastoris. Nec dicas, vulneratum per actum contritionis posse salvari; enimvero actus contritionis in his circumstantiis non est adeo facilis nec certe adfuturus, ac praeterea iste jus habet, ut ipsi impendatur officium pastoris.[3]) Hinc esto, quod idem versetur tantum in *gravi necessitate*, nihilominus parochus (vel per se vel per alium) illi adhuc subvenire tenetur etiam cum vitae periculo coll. n. 9. „*Quod ad episcopos et parochos attinet*, generaliter notat s. Alphonsus, *non est dubitandum, quin ipsi tum ex officio, tum ex stipendio, quod exigunt, teneantur ad subveniendum subditis — adhuc cum periculo vitae in eorum necessitate non solum extrema sed etiam gravi; ut communiter docent.*"[4])

B. De operibus misericordiae ex charitate implendis.

§. 29.

De his operibus in genere.

1. — Cum proximum uti nos ipsos diligere teneamur, non sufficit, eum affectu tantum amare, sed necesse est, ut effectu insuper amorem ipsi exhibeamus. Porro inter effectus charitatis proximo debitae merito numerantur opera misericordiae, quae quippe a charitate imperantur ad proximi necessitatem sive spiritualem sive temporalem sublevandam: „*qui enim habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*" I. Joa. 3. 17.

[1]) Laymann: l. 3. c. 3. n. 3. — S. Alph.: Th. m. l. 3. n. 27.

[2]) S. Thomas: 2. 2. q. 185. a. 5. c.

[3]) Casus conscientiae de mandato olim Emin. Card. Prosperi Lambertini, deinde S. P. Benedicti XIV. prop. Ed. nova Monasterii 1856. T. II. p. 231. 232.

[4]) Th. m. L. III. n. 40. *Strictius.*

2. — *Misericordia* autem ex s. Augustino *ea virtus est, quae ex compassione inclinat hominem ad subveniendum alienae miseriae.*[1]) Per se est virtus moralis, quae tamen proxime ex charitate, ut quidam ejusdem effectus procedit.[2]) Huic virtuti per excessum opponitur *cordis mollities*, per defectum *cordis durities.*

Opera misericordiae sunt alia corporalia, alia spiritualia.[3]) Corporalia sunt: visitare infirmos, potare sitientes, pascere esurientes, redimere captivos, vestire nudos, colligere hospites, et sepelire mortuos. Spiritualia sunt: consulere dubitanti, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari afflictum, remittere offendenti, ferre onerosos et graves, orare pro omnibus.[4])

* S. Thomas: 2. 2. q. 30. (de misericordia), ibid. q. 32. a. 2. 3. et 4. (De misericordiae operibus in genere).

Speciatim de duobus tantum dicemus: 1. de Eleemosyna, et 2. de Correctione fraterna.

§. 30.

De eleemosyna.

1. — Exstat praeceptum, eleemosynam pauperibus erogandi, tam naturale, quam positive divinum. 1. *Naturale,* quia ex lege generali charitatis obligamur ad proximum diligendum, ideoque con-

[1]) De civitate Dei lib. 9. c. 3.

[2]) Hinc d. Thomas: „Misericordia quaedam virtus est, et charitatis proprius effectus." 2. 2. q. 36. a. 3. ad 3. „Quia misericordia est effectus charitatis, — ex consequenti dare eleemosynam est actus charitatis misericordia mediante." q. 32. a. 1. c. Suarez: „charitas est amicitia Dei simul et proximi; ubi vero amicitia est, ibi morali quadam consecutione miseriarum compassio, easque sublevandi desiderium consurgit." De charitate Disp. IV. in principio. Laymann: „Misericordiae virtus charitati valde affinis est, quippe ex qua proxime nascitur." L. 2. Tr. 3. c. 6. n. 1.

[3]) S. Augustinus: „Homo igitur ut homini apparet, anima rationalis est mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo *corpori*, partim vero *animae* hominis benefacit, qui hominem diligit." De moribus Ecclesiae cath. lib. 1. c. 27. n. 52.

[4]) Vide s. Thom. 2. 2. q. 32. a. 2., ubi ostendit, convenienter distingui septem misericordiae opera corporalia et totidem spiritualia.

sequenter ad ipsi indigenti subveniendum, cum amare proximum sit ei bonum velle, et etiam, quantum possumus, operari, quando iste indiget ope nostra. [1]) 2. *Positivum divinum,* ut constat ex s. scriptura: „*Eleemosynas pauperis ne defraudes.*" Eccl. 4. 1. „*Discedite a me maledicti in ignem aeternum; — esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, sitivi, et non dedistis mihi potum.*" Matth. 25. 41. Vide etiam Prov. 21. 18. Ezech. 16. 49. I. Joa. 3. 16.

Praeceptum hoc, cum sit affirmativum, non obligat omni tempore: ideo quaeritur, *cui, ex quibus bonis* et *a quibus hominibus* eleemosyna sit tribuenda? Ad quas solvendas quaestiones faciunt sequentes

REGULAE.

2. — **Regula I.** *Eleemosyna est facienda vere pauperibus,* ad hos enim respicit praeceptum. Nec excludendi sunt infideles et alienigenae Tob. 4. 7. juxta rectum charitatis ordinem, nisi obtinuerit alicubi mos vel statutum, ut pauperes a suis concivibus alantur. Unde excluditur error Wicleffi et aliorum haereticorum dicentium, hoc praeceptum non obligare erga impios et infideles.

Hinc 1. si proximus non sit absolute pauper i. e. si hic et nunc quidem careat necessariis, sed aliunde habeat in re vel saltem in spe, tunc eleemosynam ipsi erogandi obligatio non datur; sufficit enim, illi mutuare id, quo in praesentia indiget.

2. Item si proximus tantum egeat usu rei, satis est illam ipsi commodare. [2])

3. Nulla est obligatio eleemosynam faciendi pauperibus laborare nolentibus, imo illicitum foret, utpote illis nocivum. [3])

3. — **Regula II.** *Non datur obligatio, ex bonis vitae necessariis eleemosynam faciendi. Ex bonis autem superfluis vitae succurrendum est proximo in extrema necessitate, et ex superfluis status in gravi et communi necessitate.*

Dum jam ad hanc regulam accurate explanandam accingimur, praenotari oportet bona quadruplicis generis distingui; etenim a) alia sunt *necessaria vitae,* sine quibus vita propria et aliorum, quorum cura nobis incumbit, conservari non potest; b) alia *superflua vitae,*

[1]) S. Thomas: 2. 2. q. 32. a. 5.

[2]) S. Alph. Th. m. l. III. n. 31. 3.

[3]) De similibus dicit s. Ambrosius: „Si luxurioso ad luxuriam, adultero ad adulterium largiendum putes, non est beneficentia ista, ubi nulla est benevolentia." Lib. I. de officiis c. 30. n. 144.

sine quibus vita conservari potest; c) alia sunt *necessaria statui,* sine quibus non potest aliquis statui suo convenienter vivere, scilicet ea sunt, quae requiruntur ad filios educandos, famulos sustentandos, hospites recipiendos, ad honestas donationes faciendas, convivia de more instauranda etc.; d) alia sunt *superflua statui,* sine quibus status praesens convenienter potest conservari. Huc spectat propositio 12. ab Innocentio XI. damnata: *Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluis statui.* [1])

Quibus praemissis dico 1. *De necessariis vitae non est obligatio faciendi eleemosynam,* quia suam suorumque vitam quisque potest, et ordinarie debet alienae vitae praeferre, ut exigit ordo charitatis (coll. §. 28. n. 3.). Excipe, nisi persona indigens sit necessaria bono communi, quod semper proprio anteponendum est. Ita omnes.

Dico 2. *In extrema necessitate proximo succurrendum est ex bonis superfluis vitae, etsi haec sint necessaria ad status decentiam.* Est communis et certa sententia. [2]) Ratio est, quia charitatis ordo exigit, ut vitam proximi praeferamus decentiae status nostri. Nemo tamen tenetur pro servanda pauperis vita statu suo excidere ita, ut aeque libenter esset facturus jacturam vitae, ut si e. g. ex nobili deberet fieri opifex, vel ex opifice mendicus. [3]) Imo dicunt, neminem teneri valde magnam pecuniae summam [4]) erogare ad pauperem a periculo mortis liberandum, vel ad remedia maximi pretii ei procuranda, quia

[1]) S. Augustinus ait: „Multa superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus: nam si inania quaeramus, nihil sufficit. Fratres, quaerite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestrae." In Psalm. 147. n. 12. S. Thomas: *Est obligatio eleemosynam largiendi ex parte dantis, cum habet superflua, quae secundum statum praesentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter aestimari potest. Nec oportet, quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum. Hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet* Matth. 6. *Sed debet dijudicari superfluum et necessarium secundum ea, quae probabiliter, et ut in pluribus occurrunt.* 2. 2. q. 32. a. 5. ad 3.

[2]) S. Thomas: 2. 2. q. 32. a. 6. S. Alphons.: Th. mor. L. III. n. 31. Clarius H. A. Tr. 4. n. 19., ubi dicit: „*In gravi necessitate proximi tenemur ei subvenire ex bonis superfluis statui; sed in extrema etiam ex bonis superfluis vitae; imo in extrema possumus succurrere pauperi etiam de bonis alienis, cum nostris caremus.*" — Reuter P. II. n. 109.

[3]) Lacroix: L. II. n. 201. Reuter: n. 109.

[4]) v. g. ter mille aureos, ut arbitrantur Lacroix L. II. n. 201. Reuter n. 109.

charitas nec ad propriam vitam mediis valde difficilibus et extraordinariis servandam quempiam obligat.[1]) Cf. §. 24. n. 3.

Dico 3. *In gravi necessitate proximo succurrendum et ex superfluis statui, sed cum mediocri tantum incommodo.* Ita communiter.[2]) Ratio est, quia charitas bene ordinata praecipit, ut cum parvo nostro incommodo magnum alterius incommodum sublevemus.

Dico 4. *In communi necessitate proximo succurrendum est ex superfluis statui, sed cum levi tantum incommodo.* Ita communiter.[3]) Ratio est, quia hac sublata obligatione jam pauperes vivere non possent. Non tamen adest obligatio erogandi totum superfluum; sufficit enim, ut communiter dicunt, si detur quinquagesima pars annuorum proventuum, qui statui supersunt, seu duo de centenis: non tamen in eadem proportione, si divitiae multum excedant.[4]) Ratio est, quia si singuli divites illam quantitatem pauperibus erogarent, jam satis esset ad occurrendum communibus necessitatibus. Hoc tamen non valet de beneficiatis, qui quippe tenentur totum superfluum pauperibus erogare vel in alios usus pios impendere.

4. — *Praeceptum eleemosynae obligat sub gravi in necessitate gravi, imo etiam in necessitate communi;* quia praeceptum eleemosynae est in se grave et praecipue respicit necessitatem communem, cum casus necessitatis gravis raro eveniant. Ita s. Alphonsus[5]) et alii communiter.

Hinc graviter peccant divites, qui tempore caritatis annonae nihil de splendore status sui, lautitia mensae detrahentes sinunt pauperes inedia confici.[6]) Item, qui pauperes dure a se semper repellunt, quique reservant omnia superflua ad statum altiorem acquirendum.[7]) Gravius adhuc peccant avari, qui tempore sterilitatis frumentum abscondunt, quo fit, ut pauperes famem patiantur, et subinde

---

[1]) S. Alph.: Th. m. l. III. n. 31. — Collet: De praecepto charitatis Sect. 5. punct. 2. resp. ad 1. Lacroix et Reuter l. c.

[2]) S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 5. ad 3. S. Alph. H. A. Tr. IV. n. 19. „*In gravi necessitate proximi tenemur ei subvenire ex bonis superfluis statui.*"

[3]) S. Thom. l. c. a. 5. q. 66. a. 7. S. Alph.: Th. m. n. 32. — Bellarmin.: Lib. 3. de bonis operibus c. 7. Laymann: L. 2. Tr. 3. c. 6. 5. Suarez: De charitate Disp. VII. Sect. 3. n. 7 Reuter, Voit et alii contra s. Antonin. 2. p. titulo 1. cap. 24. §. *Pro majori*, Sotum de justitia l. 5. quaest. 8. a. 1. et alios, qui dixerunt, obligari homines ad dandam eleemosynam ex bonis superfluis in gravi necessitate proximi, non autem in communi.

[4]) H. A. Tr. 4. n. 19.

[5]) Th. mor. n. 32.

[6]) Reuter.

[7]) S. Alph. n. 32.

fame enecentur: „*Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.*" Prov. 11. 26.

5. — **Regula III.** *Eleemosynam illi soli facere possunt et debent, qui sunt veri domini vel administratores bonorum.* Ratio est, quia non licet alicui dispensare aliena. Excipe, quando proximus est in extrema vel quasi extrema necessitate et aliunde ipsi succurri non potest.[1])

Hinc 1. uxor tantum ordinarias eleemosynas facere potest juxta morem conditionis suae, non autem extraordinarias sine mariti consensu, nisi ex bonis omnino propriis.[2])

2. Filii nihil pauperibus dare possunt, nisi in rebus valde tenuibus: famuli vero nihil sine consensu expresso vel tacito aut prudenter praesumpto dominorum suorum.[3])

3. Tutores et curatores, qui habent curam bonorum alienorum possunt facere modicas eleemosynas ex bonis, quae administrant, quales nimirum illi facere deberent, quorum sunt.[4])

6. — Si quaeras: *An qui praeceptum dandi eleemosynam neglexit, teneatur ad restitutionem?* R. *Neg.*, quia contra charitatem quidem, non autem contra justitiam commutativam egit, siquidem eleemosyna ex charitate, non ex justitia pauperi debetur; obligatio restitutionis vero ex violatione justitiae commutativae oritur. Concedendum tamen, quod aliqua compensatio salutare remedium contra culpabilem omissionem esse potest.[5])

* S. Cyprianus: Liber de opere et eleemosynis. S. Basilius: Homil. 6. 7. 8. et 21. (Op. Tom. II.). S. Joannes Chrysostomus: Homilia in locum 3. Reg. 17. 1—12. Homilia in I. Cor. 16. 1—4. (Op. Tom. III.). S. Gregorius Nazianzenus: Oratio 14. (olim 16.) De pauperum amore, Lib. I. Poëmatum Sect. II. carm. 2. S. Cyrillus Alexandrinus: Homilia 19. 27. (Op. Tom. V. Par. II.). S. Ambrosius: De officiis ministrorum lib. I. cap. 30. S. Augustinus in multis sermonibus, ut Serm. 25. 38. 39. 42. 60. 66. 106. (Op. Tom. V.). S. Leo M.: Serm. 5. 6. 7. 8. 9. 10. (De collectis). (Op. Par I. Ed. Tyrnaviae 1766.) S. Petrus Chrysologus Serm. 7. 8. 9. 14. 22. 23. 25. 41. 42. 137. S. Petrus Damiani: Opusc. 9. de eleemosyna. S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 32. n. 5—10. S. Alphonsus: Theol. moralis lib. III.

---

[1]) S. Alph. n. 33. S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 7.

[2]) S. Alph. l. c. S. Augustinus in epist. 262. (alias 199) acerrime reprehendit mulierem Ecdiciae nomine, quae „nesciente viro suo bona pene omnia in eleemosynam distribuerat," inter alia n. 7. scribens; „— *mulierem conjugatam non licet dicere, Facio quod volo de meo; cum et ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri sui.*"

[3]) S. Alph. l. c.

[4]) Idem l. c.

[5]) Suarez: De charitate Disp. VII. Sect. 6. Bouvier, Scavini et alii.

n. 31—33. Homo Apostolicus Tract. IV. n. 18. et 19. — Laymann: Theol. mor. Lib. II. Tract. III. cap. 6. Elbel: Theol. mor. Tom. I. Conf. IX. n. 268—295. Reuter: Theologia moralis Par. II. n. 104.—112. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. 8. Disp. 3. cap. 1. Art. 3. §. 1. (Ed. 6. Neapoli 1855. p. 722—727.).

Casus.

7. — *Melchior amplam haereditatem a parentibus sibi relictam intra exiguum temporis spatium, non quidem in eleemosynas, sed in comessationes et alia familiae suae probra expendendo consumpsit: modo miserrima egestate pressus, imo et debitis onustus, veluti alter filius prodigus dissipata substantiae portione hinc inde stipem postulat, sed qui succurrere velit, nemo est: enimvero ab extraneis jubetur implorare consanguineorum suorum opem; hi vero eundem repellunt, objicientes, perditum esse, quidquid impenditur Melchiori.*

Dubitatur 1. Num Melchior censendus sit graviter deliquisse ex eo, quod de sua ampla haereditate non juverit egentes? 2. Utrum consanguinei teneantur eidem succurrere?

Resp. *ad 1. Per se* loquendo graviter peccavit, si cuidam in extrema vel certe gravi necessitate constituto etiam rogatus negaverit subsidium eo tempore, quo adhuc opibus abundavit; imo et graviter peccasse censendus est, si nullam stipem erogaverit pauperibus in communi necessitate constitutis, ut patet ex dictis n. 4. Dixi: *per se* loquendo; etenim expertum est, quod hujusmodi homines assueti suo genio indulgere et comessationibus bona sua dilapidare, obligationem pauperibus vulgaribus eleemosynam erogandi, ut gravem non apprehendunt, vel etiam pauperibus interdum subveniunt, dum nimia prodigalitate bona sua dissipantes quasi nullam metam liberalitatis ponunt. Quibus suppositis Melchior non esset condemnandus gravis peccati, si saltem pauperibus in valde gravi necessitate constitutis subvenisset, et hinc inde aliis quoque egentibus eleemosynam dedisset, vel si hanc obligationem ut gravem non apprehendisset.

Resp. *ad 2.* Consanguinei vel alii propinqui tenentur quidem Melchiori suppeditare media ad vitae sustentationem necessaria, nisi is aliunde sibimet sufficiat ad procurandam sustentationem congruam; non vero tenentur eum juvare in debitis solvendis, esto etiam propterea fuisset incarceratus, tum quia ut merito supponitur, voluntarie sese conjecit in talem necessitatem, et quidem cum dedecore consanguineorum; tum etiam quia consanguinei sine magna difficultate vix poterunt eum liberare. [1])

§. 31.

De correctione fraterna.

1. — *Correctio fraterna est admonitio, qua quis proximum a peccato vel proximo peccati periculo avertere conatur.* Differt correctio *fraterna,* quae fit per admonitionem, a correctione *coërcitiva,* quae fit per inflictionem poenarum, et est tantum officium superiorum.

[1]) Elbel: Theol. mor. Tom. I. P. II. Conf. IX. n. 286. et 287.

Datur verum praeceptum correctionis fraternae, 1. ex jure naturae, vi cujus nimirum proximo in necessitate spirituali constituto ex charitate succurrere tenemur; 2. ex jure positivo divino: *„Corripe proximum, — ne forte iteret.“* Eccli 19. 14. *„Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.“* Matth. 18. 15.

Praeceptum hoc, cum sit affirmativum, non pro omni tempore obligat. Requiritur nempe ad obligationem corrigendi proximum: 1) ut certo constet de peccato proximi vel de proximo peccandi periculo; — 2) ut affulgeat vera spes alicujus fructus et correptio non sit magis nocitura, quam profutura; nisi proximus moriturus esset in mortali: tunc enim, etiam in dubio de fructu, facienda est admonitio, aut nisi ex omissione periculum perversionis aliis immineat; — 3) ut non reperiatur alius aeque vel magis idoneus, qui eum correpturus sit; — 4) ut correctio necessaria judicetur ad rei emendationem, cum praevideatur, quod ille per se vix resipiscet; — 5) ut generatim absque gravi incommodo fieri possit, nempe sine gravi damno in bonis fortunae, in honore etc.; excipitur tamen, si quis ratione officii vel stipendii teneatur corrigere. Ita s. Alphonsus et alii omnes. [1])

Quaeritur autem, *de quibus peccatis, a quibus personis, quo modo* et *quo ordine* debeat correctio fieri. Desuper jam sequentes notandae veniunt

REGULAE.

2. — **Regula I.** *Materia correctionis est quodlibet peccatum mortale, in quod proximus aut lapsurus credatur, aut jam lapsus est et nondum emendatus.* [2]) Tantum enim malum certo necessitatem admonendi proximum inducit. In qua quidem materia praeceptum fraternae correctionis obligat sub mortali. Praeterea etiam *peccatum veniale* constituit materiam correctionis, cum et illud sit verum animae malum ex charitate impediendum vel tollendum; sed quantum ad hoc peccatum praeceptum corripiendi tunc demum obligat, quando facillime potest correctio fieri, et obligat solum sub levi, nisi ex omissione correctionis prudenter timeatur malum grave. [3]) Imo raro obligatio exstat respectu venialis, eo quod plerumque talis correptio,

[1]) Vid. s. Alph.: L. III. n. 38. et 39. H. A. Tr. IV. n. 21.

[2]) Sic s. Alph. H. A. Tr. IV. n. 20.

[3]) S. Alph.: Th. mor. n. 34. Reuter, Scavini etc.

si fieret, potius obesset, quam prodesset, praesertim saecularibus; nisi fiat erga aliquem perfectionis studiosum, aut valde familiarem.[1])

Superiores religiosorum sub gravi tenentur impedire vel tollere leves subditorum culpas, per quas notabiliter minuitur vigor disciplinae cum magno religionis detrimento; agitur itaque de re gravi.[2])

Graviter peccat, qui ex vano timore, ne proximus aliquatenus offendatur vel tristitia afficiatur, in re gravi correctionem omittit, ubi eam putat esse profuturam.[3]) Leviter tamen peccat, qui ex pusillanimitate vel verecundia se minus idoneum reputat ad corrigendum, atque ideo a correctione abstinet.[4])

3. — Rogas, *an sit obligatio corrigendi peccata ex ignorantia commissa?* R. 1. *Aff.*, si ignorantia sit vincibilis, quia haec non excusat a peccato formali. — 2. *Aff.* pariter, si ignorantia sit invicibilis et versetur circa jus naturae aut jus positivum divinum, imo etiam si respiciat jus mere humanum, ut e. g. si quis ignorans feria sexta comedit carnes, sacerdos it cubitum oblitus recitare Vesperas etc., dummodo fructus speretur; tum quia sic exigit reverentia legis, contra quam est actio vel omissio, tum etiam quia materialis transgressio legis, si non corrigatur, facile fit formalis, aut habitum pravum inducit.[5]) A fortiori fieri debet monitio, si invincibilis ignorantia sit eorum, quae necessaria sunt necessitate medii ad salutem, quia talis ignorantia conjuncta est cum evidenti damnationis periculo; aut timendum scandalum publicum, ne videlicet alii putent, id licere, quod non corrigitur.

---

[1]) Antoine: Tr. de virt. theol. cap. 5.

[2]) S. Alph.: Th. m. L. III. n. 35.; lib. V. n. 13. cum aliis communiter. Legi potest s. Petrus Damiani: Opusc. 46. cap. 4.

[3]) Sapienter scripsit s. Augustinus: „*Quis enim facile invenitur, qui velit reprehendi? et ubi est ille sapiens, de quo dictum est: Corripe sapientem et amabit te* (Prov. 8. 9.). *Numquid tamen ideo non debemus reprehendere et corripere fratrem, ne securus tendat ad mortem? Solet enim fieri et frequenter accidit, ut ad horam contristetur, cum reprehenditur, et resistat et contendat; et tamen postea consideret secum in silentio, ubi nemo est nisi Deus et ipse, nec timet displicere hominibus, quia corripitur, sed timet displicere Deo, quia non corrigitur, et deinceps non faciat illud, in quo juste reprehensus est, et quantum odit peccatum suum, tantum diligat fratrem, quem sensit hostem peccati sui.*“ Epist. 210. n. 2.

[4]) S. Thomas: 2. 2. q. 33. a. 2. S. Alph. n. 37.

[5]) La Croix: Lib. II. n. 58. et alii cum s. Alphonso: Th. m. n. 36. contra alios pauciores, qui dicebant, non urgere obligationem correctionis quoad ignorantiam invincibilem juris humani, saltem sub gravi et pro iis, qui superiores non sunt; quia proximus non peccat nec quidquam intrinsece malum agit. Sed haec sententia mihi saltem non videtur esse probabilis.

4. — **Regula II.** *Praeceptum corrigendi obligat omnes, qui utiliter corrigere possunt, praeprimis autem superiores.* Ita ss. Patres et Theologi.[1]) Ratio prioris est, quia charitas sicut ad eleemosynam corporalem, sic etiam ad spiritualem obligat omnes, qui possunt illam facere. Ratio posterioris est, quia superiores non tantum ex charitate sed etiam ex officii sui munere ad procurandum tuendumque bonum subditorum obligantur. Iidem porro in subditos invigilare debent, quasi rationem pro animabus eorum reddituri (Hebr. 13. 17.), et in eorum peccata inquirere, cum probabilia adsint indicia.[2])

Privati inter se raro ad correctionem tenentur, saltem sub gravi, nisi inter se sint familiariter conjuncti, quia raro omnes requisitae conditiones reperiuntur.

Juxta s. Alphonsum[3]) et alios episcopi et parochi cum ipsius vitae periculo obstringuntur ad subditorum peccata arguenda, si tamen spes aliqua emendationis affulgere videatur; quia ratione officii et ratione stipendii obligationem habent cum vitae periculo succurrendi subditis in eorum necessitate spirituali, non solum extrema, sed etiam gravi. Cf. §. 28. n. 9.

Concionatores vi muneris sui debent corripere peccata publica, etiamsi nulla effulgeat spes emendationis. Et tenentur ad hanc publicam correctionem etiam cum periculo proprii damni, dummodo ex reprehensione speretur fructus, nec majus damnum commune timeatur.[4])

5. — **Regula III.** *Correctio fraterna etiam quoad modum cum vera charitate fieri debet.* Et quia charitas humilis, benigna, aliorumque infirmitatibus compatiens est, correctio quoque eandem indolem prae se ferat oportet. Quod Apostolus confirmat, sic monens: „*Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.*“ (Gal. 6. 1.) Idem satis frequenter ss. Patres inculcant. Sit igitur correctio paterna erga inferiores, benigna inter aequales, reverentialis erga superiores. Fiat pariter loco et tempore oppor-

---

[1]) S. Augustinus: De civitate Dei lib. 1. cap. 9. n. 3. S. Joa. Chrys.: Homil. 44. in I. epist. ad Corinth. S. Thomas: 2. 2. q. 33. a. 3. 4. et 5. S. Alph.: Th. m. L. III. n. 40.

[2]) S. Alph.: H. A. Tr. 4. n. 22.

[3]) Th. m. L. III. n. 40. H. A. Tr. IV. n. 22.

[4]) S. Alph.: H. A. Tract. IV. n. 22.

tuno „secundum consilium charitatis", ut s. Augustinus observat.[1]) Hinc graviter peccat, qui alium corripit, denuntiat, non ex charitate, ut emendetur, sed ex gravi odio, ut confundatur et deprimatur.

6. — **Regula IV.** *In correctione fraterna servandus est ordo a Christo ipso* Matth. 18. 15. *assignatus, nisi circumstantiae aliud suadeant.* Et quidem: 1. Corripe secreto: *corripe eum inter te et ipsum solum;* 2. Corripe coram testibus, si prior admonitio non prosit: *adhibe duos vel tres testes.* 3. Rem deferas ad superiorem: *dic Ecclesiae.* Hic ordo obligat sub gravi, cum agatur de consulendo famae proximi.

Ab hoc ordine excipitur: 1. si peccatum sit publicum vel mox publicandum, 2. si sit graviter alteri vel ipsi communitati noxium, 3. si secreta admonitio non judicetur profutura, 4. si praestet rem statim superiori denuntiare, 5. si delinquens cessit juri suo ad privatam admonitionem, ut fit in quibusdam ordinibus religiosis.[2])

In communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis etc. plerumque correctio fieri debet via denunciationis ad superiorem, et si scandalum grave datum sit, etiam cum gravi denuntiantis incommodo propter magnum damnum communitatis, quod ex scandalo enasci solet, efficaciter repellendum: nec absolvi possunt sodales denuntiare nolentes, ubi de gravi scandalo et de magno damno communitatis agitur.[3]) Item superioribus ecclesiasticis denuntiandi sunt sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt vel illaturi sunt.[4])

Si superior immediatus solus possit delinquentes emendare, videtur peccare superiori mediato delictum manifestando.[5])

---

[1]) De civitate Dei lib. 1. c. 9. n. 2. Vide etiam d. Thom. 2. 2. q. 32. a. 2.

[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 33. a. 7. et 8. S. Alph.: Th. mor. l. III. n. 41. etc.

[3]) S. Alphonsus scribit: „Die brüderliche Liebe verlangt, dass ein jeder Seminarist den Präfecten oder den Director von den Fehlern in Kenntniss setze, die er bei seinen Gefährten bemerkt, damit bei Zeiten Abhülfe getroffen werde: sind aber die Fehler mit einem gegebenen Aergernisse verbunden, so ist man strenge verpflichtet, dieselben mitzutheilen, sollte es auch mit schwerem Ungemach verbunden sein, und dies deshalb, weil es sich um ein Aergerniss handelt, das in den Seminarien stets der ganzen Gemeinde Schaden zufügt." Von der zweckmässigen Einrichtung der Seminarien §. 4. n. 8. „Sollte es geschehen, dass ein Seminarist, der einem grossen Aergernisse abhelfen könnte, wenn er den Bischof oder den Direktor davon in Kenntniss setzte, sich weigerte, dies zu thun, so versage man auch einem solchen die Lossprechung, denn da es sich hier um einen Schaden der ganzen Gemeinde handelt, so spricht gar oft die Beschwerde und der besondere Schaden nicht von dieser Verpflichtung frei." l. c. §. 1. n. 3.

[4]) Gury n. 233. 7.

[5]) S. Alph.: Th. m. n. 42. 3.

* S. Joannes Chrysostomus: Homilia 60. in Matthaeum (Tom. VII), fusius Homil. 44. in ep. I. Cor. S. Augustinus: Epist. 210. (alias 87.) (Tom. II.), Sermo. 82. (alias 16. de verbis Domini) (Tom. V.), De Civitate Dei lib. I. cap. 9. (Tom. VII.). S. Petrus Damiani: Opusc. 46. S. Bernardus: In Cantica Serm. 44. (Tom. III.) S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 33. tota. S. Alphonsus: Theologia moralis l. 3. n. 34—42. — La Croix: Theologia moralis Lib. II. n. 209—220. Laymann: Theologia moralis Lib. II. Tract. III. cap. 7. Reuter: Theol. moral. Par. II. Tract. 1. n. 98—103. Stapf: Theologia moralis Tom. III. Sect. IV. cap. 3. §§. 384 et 385. (Ed. 7. 1856. p. 72—76.). Scavini: Theologia moralis universa P. II. Tract. VIII. Disp. 3. Art. 3. §. 2. (Ed. 6. 1855. pag. 727—732.). Card. Gousset: Moraltheologie I. B. n. 375—381. Nach der 7. Original-Aufl. übersetzt. Aachen. 1851.

Casus.

7. — *Edmundus parochus 1. sciens, inter juniores in sua parochia frequenter fieri imprecationes et turpiloquia, cogitat: rudes sunt, non ita apprehendunt; igitur non monet, sed dissimulat; 2. vitia turpia inter parochianos satis frequentia et publica reprehendere omittit, cum nullum fructum ex correptione exspectet; 3. dissimulat concubinatum alicujus nobilis parochiani, ob metum gravis damni ex admonitione secuturi; 4. si audierit, quosdam de ipso male locutos esse, in detractionem et calumniam inter concionandum graviter invehitur.*

Quaeritur: An Edmundus in praedictis recte agat?

Resp. *ad 1.* Pessime agit, juniores illos non admonendo, esto non apprehendant gravem malitiam in istis confabulationibus. Quid enim, si non corrigantur? Certo periculo lethaliter peccandi obnoxii sunt, et ocyus vitia adsciscent.

R. *ad 2.* Gratis videtur Edmundus supponere, reprehensionem vitiorum, quibus parochianos addictos esse novit, nihil esse profuturam. Conetur arguere, obsecrare, increpare cum patientia et doctrina juxta Apostoli monitum, et studio fraternae correctionis studium orationis conjungat; tunc sane exspectandum, quod si non statim, saltem pedetentim, si non omnibus, certe nonnullis turpi vitio infectis medebitur. Ceterum Edmundus tenetur peccata publica corripere, etsi nulla spes fructus affulgeat, et excusatur tantum, si grave damnum sibi ex correptione esset timendum, et tamen nullus fructus exinde sperandus, coll. n. 4.

R. *ad 3.* Ex iis, quae modo diximus, liquet, quod Edmundus ad corrigendum concubinarium tenetur, quamvis grave damnum sibi timendum esset, modo sperare possit, fore ut fructu desiderato non frustretur.

R. *ad 4.* Quam imprudenter parochus in hujusmodi eventibus agat, facile est videre. Nonne suspicio orietur, quod quaerit, quae sua sunt? Et qualis fructus inde sperandus? Si famam suam a quibusdam laesam esse sentit, alia suppetent media, quibus et famam recuperare et diffamatores ad meliorem sensum revocare poterit. Fiat correctio secundum consilium charitatis, s. Augustinus dicit, loco et tempore oportuno, coll. n. 5. Attendantur etiam verba s. Hieronymi: *„Quid enim necesse est, in multorum scandala ruinamque proferri, quae secreto aut corripere valeas aut emendare?*[1])

---

[1]) Lib. II. contra Rufinum n. 5.

C. De peccatis charitati proximi oppositis.

Peccata charitati proximi opposita sunt sequentia: *odium proximi*, quod repugnat ipsi dilectioni, *invidia*, quae repugnat gaudio de bonis proximi, *discordia, contentio, schisma, seditio, bellum* et *duellum*, quae repugnant effectui charitatis, qui est pax, denique *scandalum* et *cooperatio* in peccatis alienis, quae repugnant effectui charitatis, qui est beneficentia. De seditione Lib. 1. §. 50. n. 7.; de schismate Lib. II. §. 8. n. 3. sermo habitus est, de duello et bello opportunius in tractatu de injuria disseretur; quare in praesentia de odio proximi, de invidia, de discordia, contentione, de scandalo et cooperatione in peccatis alienis sermo est instituendus.

§. 32.

De odio proximi.

1. — Odium duplex est, videlicet odium inimicitiae seu personae, odium abominationis seu qualitatis (rei), ut supra §. 23. n. 2. habitum est.

Odium inimicitiae seu personae contra proximum est peccatum mortale ex genere suo, quia directe contrariatur charitati. Constat quoque ex s. scriptura: „*Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.*" 1. Joa. 3. 15. Potest tamen esse veniale ex parvitate materiae, ut si ex levi displicentia personae leve malum proximo optetur.

Odium abominationis seu qualitatis potest esse vel malum vel bonum, prouti qualitas ipsa, quae in proximo odio habetur, bona vel mala est. Amor enim, Doctor Angelicus inquit, proximo debetur secundum id, quod in ipso bonum est i. e. quod a Deo habet secundum naturam et gratiam; non autem debetur ei amor secundum id, quod habet a seipso et a diabolo, scilicet peccatum. Et ideo licet in fratre habere odio peccatum. Sed ipsam naturam et gratiam non potest aliquis habere odio sine peccato.[1]) In eundem sensum magnus s. Augustinus loquitur.[2]) Hinc si oderis in proximo vitae sanctitatem, gratiarum dona, odium malum est et ex genere suo peccatum grave; si autem odio habeas in proximo superbiam, luxu-

[1]) 2. 2. q. 34. a. 3.

[2]) In Psalm. 139. n. 2. ait: „*Securi odimus in malis malitiam et diligimus creaturam: et quod ibi fecit Deus, amemus, quod ibi fecit ipse homo, oderimus. Fecit enim Deus ipsum hominem, fecit autem homo peccatum. Dilige, quod fecit Deus, oderis, quod fecit homo. Sic enim persequeris, quod fecit homo, ut liberetur, quod fecit Deus.*"

riam, vel aliud vitium, odium bonum est, dum procedit ex amore benevolentiae erga Deum vel proximum.

2. — Notandum est, quod in confessione declarari debet 1) qualitas personae, quae odio habita est, si haec addat speciem peccato, ut e. g. si fuerit pater, 2) numerus personarum, quia tot sunt malitiae, quot personae, 3) natura mali optati, an v. c. sit mutilatio, mors; excipe, si diversa mala apprehendantur sub uno genere mali, nempe ut media ruinae inimici, tunc enim sufficit dicere: imprecatus sum grave malum proximo.[1])

3. — Hic opportuna quaestio: *An sit contra charitatem, malum temporale proximo desiderare vel de eo gaudere ob bonum finem?*

Resp. 1. *Neg.*, si ordo charitatis servetur, ita nempe, ut malum optetur ob majus bonum. Ita post s. Gregorium Magnum[2]) et Doctorem Angelicum[3]) tradunt s. Alphonsus[4]) et alii communiter. Ideo licet malum temporale desiderare proximo: 1) ob bonum spirituale proximi ipsius, 2) ob bonum commune, sive spirituale sive temporale, 3) ob bonum etiam plurium multo majoris momenti, v. c. familiae, communitatis. Sic e. g. licet mortem optare haeresiarchae vel publicae pacis perturbatori ob bonum commune, ut ipse Apostolus dixit: *Utinam abscindantur, qui vos conturbant* Gal. 5. 12. Item licet morbum aliamve adversitatem optare scelerato, ut resipiscat atque vitam emendet.[5]) Attamen hujusmodi desideria sunt satis periculosa.

Resp. 2. *Aff.* in ceteris casibus, ubi nempe bonum intentum non praeponderat vel saltem adaequat malo, quod proximo optatur. Quare illicitum est uxori desiderare mortem mariti ex eo, quod ab isto male tractatur, nec mortem filiae suae, quia ob deformitatem

[1]) Scavini p. 736. 737. — S. Alph. L. II. n. 50. q. 5.

[2]) In Lib. 22. Moral. c. 22. scribit: „*Evenire plerumque potest, ut, non amissa charitate, et inimici nostri ruina laetificet, et rursus ejus gloria sine invidiae culpa contristet; cum et, ruente eo, quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo, plerosque injuste opprimi formidamus.*"

[3]) In L. 3. Dist. 33. a. 1. ad 4. „*Quia charitas ordinem habet et plus debet diligere quisque se, quam alium, et propinquos quam extraneos, et amicos quam inimicos, et bonum commune multorum quam bonum privatum unius; potest aliquis salva charitate optare malum temporale alicui, et gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis aut Ecclesiae. Similiter de malo temporali ejus, secundum quod per malum poenae impeditur frequenter malum culpae ejus.*"

[4]) Th. m. L. II. n. 21. L. III. n. 30.

[5]) S. Alph. l. c.

vel inopiam spe caret nubendi. [1]) Constet insuper ex damnatione propositionum 13. 14. et 16. ab Innocentio XI. facta. [2])

* S. Gregorius M.: Lib. XXII. in Job n. 22—25. S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 25. a. 6.; q. 34. a. 3. et 4. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. III. n. 30. coll. Lib. II. n. 21. et 12.

Casus.

4. — *Calpurnia, numerosae prolis mater, exoptat, ut filiolus recens natus, et alius quinquennis surdus et mutus, et tertius novennis utroque pede claudus morte corripiantur, ut meliori vita in coelesti patria fruantur. Item votum facit, ut filia nubilis, sed innupta ob nimiam paupertatem et deformitatem, excedat e vivis, ne periculis peccandi obnoxia remaneat: item ut maritus, sordidus senex, querulus et infirmus, in pace quiescat. Dum, ecce, ipsamet inexspectato morbo corripitur, interea Calpurnius, maritus, cito cucurrit ad monasterium vicinum, petitque, ut sine mora preces pro morte uxoris suae funderentur.*

Hinc quaeritur 1. An, vel quomodo peccaverit Calpurnia in praefatis casibus? 2. Quid de ejus marito dicendum?

Resp. ad 1. Non peccavit Calpurnia in prioribus votis, scilicet quoad filium recens natum, filium quinquennem et novennem, neque quoad filiam; quia non ducitur fine inordinato, et id quod melius est filiis et toti familiae exoptat. Quare ordinem charitatis minime laesit, neque contra virtutem pietatis ullatenus egit. — Sed peccavit graviter contra charitatem et pietatem, mortem mariti, licet senis, queruli et sordidi, desiderando, quia ex perverso fine cupivit, scilicet ex taedio, impatientia, vel odio in maritum, etc.

Resp. ad 2. Graviter peccavit maritus contra charitatem et pietatem, ut liquido apertum est. [3])

§. 33.

De invidia.

1. — Invidia est tristitia de bono proximi, quatenus aestimatur ut malum proprium. [4]) Invidus enim dicitur, quasi non videns, quia bona alterius sine tristitia videre non potest.

---

[1]) Idem L. II. n. 22.

[2]) Propositio 13. sic sonat: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu appetere et desiderare non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Propositio 14: *Licitum est, absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.* Propositio 15: *Licitum est filio, gaudere de parricidio patris a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.*

[3]) Gury: Casus conscientiae Tom. I. n. 213. 214.

[4]) S. Augustinus dicit: „— *amando quisque excellentiam suam vel paribus invidet, quod ei coaequentur, vel inferioribus, ne sibi coaequentur, vel superioribus, quod eis non coaequetur.* De Genesi ad literam c. 14. n. 18. S. Bernardus:

Pro meliori hujus peccati intelligentia notandum venit, quod tristitia de proximi bono quinque modis contingere potest. Videlicet tristitia 1. potest esse de bono alterius, quatenus ipsi bonum est, et hoc dicitur *odium.* 2. Eadem obtinere potest de bono proximi, quatenus ab eo damnum aliquod timetur: et tunc obtinet *timor,* qui per se non est peccatum, nisi sit inordinatus; sicque certe sine peccato Esther et Mardochaeus contristati sunt de exaltatione Amani. 3. Tristitia potest esse ex eo, quod nobis desit bonum, quod alter habet, quin tamen hunc bono suo carere cupiamus; et tunc tristitia dicitur *aemulatio,* quae si versetur circa bona spiritualia, laudanda est, excitans nimirum proficiendi fervorem (1. Cor. 12, 31), quodsi circa bona temporalia versetur, vel bona vel mala est, prouti ordini recto vel conveniens vel disconveniens reperitur. 4. Tristitia contingere potest de bono alterius, quia bono indignus judicatur, et haec est *indignatio,* quae peccatum non est, nisi Dei providentia arguatur. 5. Denique tristitia esse potest de bono alterius, quatenus videtur minuere propriam excellentiam et gloriam: et haec est *invidia* proprie dicta. [1])

2. — Invidia ut plurimum ex superbia ortum ducit. [2]) Qui namque vanam gloriam appetunt, de bono aliorum contristantur, per quod propria excellentia et gloria minui videtur. Nihilominus tamen invidia ipsa est fons aliorum scelerum, proindeque inter vitia capitalia merito numeratur. Lib. I. §. 134. n. 3., imo dum fit de gratia divina, est peccatum in Spiritum sanctum, ibid. n. 4.

Invidia ex genere suo est peccatum grave, quia directe opponitur charitati, cujus quippe est, de bono proximi gaudere, atque Gal. 5. refertur inter peccata, quae a regno Dei excludunt. Est dia-

---

„*At basiliscus, ut ajunt, venenum in oculo gerit, pessimum animal, et pro omnibus execrabile. Nosse cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinantem? Invidiam cogitato. Quid vero invidere, nisi malum videre est?*“ In Psalm. *Qui habitat.* Serm 13. n. 4.

[1]) Vide d. Thom. 2. 2. q. 36. a. 1.

[2]) S. Augustinus ait: „*Servo Dei, cui subrepserit superbia, continuo ibi est et invidia. Non potest superbus esse non invidus. Invidia filia est superbiae; sed ista mater nescit esse sterilis; ubi fuerit, continuo parit.*“ Serm. 354. (alias 53. de verbis Domini) n. 5. Vide etiam Serm. 142. (al. 54. de verbis Domini) n. 8. S. Gregorius: „*Semper invidia de superbia nasci solet.*“ Lib. 18. Moral. cap. 32. n. 51. „*Prima superbiae soboles, inanis est gloria, quae dum oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit: quia nimirum, dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit.*“ Lib. 31. Moral. cap. 45 n. 89. S. Thom.: 2. 2. q. 36. a. 4. a. 1.

bolicum scelus, *invidia* enim *diaboli mors intravit in orbem terrarum* Sap. 2. 24.

3. — Filiae invidiae similiter mortales sunt ex genere suo, ac numerantur sequentes: 1. odium, 2. detractio, 3. gaudium de malis proximi, 4. susurratio, 5. contumelia. [1]) Ut plurimum autem haec peccata, aeque ac invidia, tantum venialia sunt ob parvitatem materiae vel imperfectionem actus. — *Rara virtus, alienae non invidere virtuti*, ait s. Bernardus. [2]) *Invidia etiam sanctos adussit, quanto magis cavendum, ne inflammet peccatores?* Ita s. Ambrosius. [3])

* S. Cyprianus: Lib. de zelo et livore. S. Basilius: Homilia XI. de invidia. S. Joan. Chrysostomus: Homilia VII. in ep. ad Rom. (ubi in specie de invidia ecclesiasticorum concionatur.) Homilia XXXI. in 1. epist. ad Cor. S. Petrus Chrysologus: Serm. 48. et 172. S. Gregorius M.: Lib. V. Moral. cap. 45. n. 84—86. S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 36. tota. S. Bonaventura: Compend. Theol. veritatis, Lib. III. cap. 16. S. Alphonsus: Theolog. moral. Lib. II. n. 72.

Casus.

4. — *Philippus 1. saepe tristatur ex eo, quod Aloisium suum amicum morum candore excellentem videt, dum ipse nihil in virtutibus proficit. 2. Dolet, quod Cajus, ejus inimicus, munere potitus est, ex quo merito timet, ne graviter sibi noceat. 3. Tristis est, dum emptores sua taberna neglecta in vicinam tabernam confluentes videt. Quaeritur: An Philippus in casibus praejactis invidiae reus sit dicendus?*

Resp. *ad 1.* Non est invidus, quia potius de malo proprio, quam de bono alterius tristatur. Virtutum enim defectus, quo laborat, ex consideratione virtutum, quibus Aloisius enitet, perquam conspicuus sibi redditur, ideoque contristatur, de proprio quippe defectu, non de aliena praestantia. Nihil tamen valet talis tristitia, nisi sit incitamentum fervoris ad virtutes acquirendas.

Ad 2. Hic dolor invidia non est, quia potius de damno proprio, quod timetur, quam de bono inimici concipitur. Cavendum tamen est, ne inde etiam concipiatur tristitia de bono proximi, praesertim inimici.

Ad 3. Distinguendum, utrum tristetur de bono alterius, tamquam causa proprii mali, an solum doleat de cessatione et carentia proprii lucri. Si primum, certe graviter peccat invidia. Si alterum, invidiae peccatum non committit. Attamen fatendum, hanc rem in praxi valde periculosam esse, eo quod admodum raro contingat aliquem de proprio damno ita tristari, ut non simul tristetur de alterius lucro, quod apprehendit veluti causam proprii damni: id, quod vel maxime in praesenti casu suspicari licet.

[1]) S. Gregor. M.: lib. 31. Mor. c. 45. n. 88. S. Thom.: 2. 2. q. 36. a. 4. ad 3. S. Augustinus dicit: „Superbia continuo parit invidiam. Quis vero sit invidus, qui non ei malum velit, cujus bono cruciatur? Ergo et invidia parit malitiam: unde procedit dolus, et adulatio et detractio, et omne opus malum, quod pati nolis ab alio.“ Serm. 353. (alias 20. inter 50 Homil. n 1.

[2]) In Cant. Serm. 49. n. 7.

[3]) Lib. de Joseph Patr. cap. 1. n. 4.

§. 34.
De discordia et contentione.

1. — *Discordia est dissensio voluntatis circa bonum Dei et proximi, in quo tenemur ex charitate consentire.* Dicitur: dissensio *voluntatis*, etenim dissensio intellectus non est contra charitatem neque peccatum, si obtineat circa opiniones, quarum usus licitus est, ut fuit dissensio inter Paulum et Barnabam. (Act. 15.) [1]) Subditur: in quo tenemur *ex charitate* consentire; si enim quis dissentit in eis, in quibus ex alia virtute debet consentire, tunc est peccatum contra illam virtutem, ut e. g. dissentire a voluntate superioris praecipientis, est inobedientia; dissentire in rebus fidei ab Ecclesiae Magisterio, est infidelitas.

Discordia est peccatum mortale ex genere suo, quia repugnat charitati, atque in s. scriptura adnumeratur peccatis, quae excludunt a regno Dei Gal. 5. 20., et dicitur: *Deus detestatur eum, qui seminat inter fratres discordias.* Prov. 6. 19. [2])

2. — *Contentio,* quae ex discordia enascitur, *est inordinata pugna verborum,* quae obtinet, dum veritas vel impugnatur vel indebito modo (v. c. nimia acrimonia) propugnatur. [3]) In priori casu est peccatum grave ex genere suo, nempe in re gravi ad salutem animae aut corporis pertinente, quia charitati adversatur, et Gal. 5. 20. numeratur inter opera carnis excludentia a regno Dei. In posteriori casu est per se veniale, nisi scandalum grave inde sequatur. [4])

3. — Discordia et contentio sunt filiae inanis gloriae, ut communiter traditur [5]) et re perpensa facile patet.

4. — Quid de principio *„nationalismi“* censendum est? In perverso sui ipsius amore fundatur, separationem a populis alienae stirpis more paganorum, atque odium illorum includit, discordiam inter ipsos cives seminat et fovet, ad aliarum nationum jura violanda, imo et Ecclesiae unitatem per idolum reipublicae et ecclesiae

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 37. a. 1. et ad 3.

[2]) Idem q. 37. a. 1. S. Alph.: L. 2. n. 66.

[3]) Vide d. Thom.: 2. 2. q. 38. a. 1.

[4]) S. Thom.: l. c. a. 1. c. et ad 3. S. Alph.: Th. m. L. II. n. 66.

[5]) S. Augustinus: „Horum autem morborum (nempe contentionis et doli) mater superbia est et humanae laudis aviditas, quae etiam hypocrisim saepe generat.“ Epist. 22 (alias 64.) n. 7. S. Greg. M. Lib. 31. Mor. cap. 45. n. 88. S. Thomas: 2. 2. q. 37. a. 2., q. 38. a. 2.

nationalis scindendam perducit; itaque charitati, justitiae et religioni graviter officit.

5. — Utinam concordes sint atque unanimes cuncti Christi fideles per ejusdem charitatis vinculum inter se intime constricti! Quantum Ecclesiae concordia prosit, discordia autem obsit, magnus s. Gregorius his declarat egregiis verbis: „*Quid est, quod sancta Ecclesia hostibus suis ut castrorum acies sit timenda* (Cant. 6. 8.)? *Non enim a magno intellectu vacat ista comparatio, et idcirco est subtiliter intuenda. Scimus enim et constat, quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur; quando ita fuerit constipata atque densata, ut in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur ut locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur, profecto jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus spiritalis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est, ut per caritatem semper uniti atque constricti, et numquam interrupti per discordiam inveniamur: quia quaelibet bona in nobis opera fuerint, si caritas desit, per malum discordiae locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos valeat hostis intrare. — — Bene ergo dicitur: Terribilis ut castrorum acies ordinata; quia electorum multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos per caritatis concordiam unitos contra se et conglobatos aspiciunt.*“ [1])

* S. Gregorius Nazianzenus: Oratio VI. (alias 12.) Oratio XXII. (alias 14.) et Oratio XXIII. (al. 13.) (in quibus discordiae et contentionis turpitudinem ostendit, atque pacem concordiamque commendat). S. Augustinus: Serm. 357. (al. 35. ex Sirmondianis) de laude pacis. Serm. 358. (al. 36. ex Sirmond.) de pace et charitate. Serm. 359. (al. 37. ex Sirmond.) de concordia fratrum S. Bernardus: De Dedicatione ecclesiae, Serm. II. (in quo eleganter exponit, quomodo et nobis et aliis concordare debeamus.) In festo s. Michaelis Serm. I. n. 6. (de turpitudine discordiae). S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 37. et 38. S. Bonaventura: Pharetra Lib. III. cap. 22. (de discordia).

Casus.

6. — *Cajus cujusdam scholae magister assertiones sui collegae, licet eas judicet verissimas, auctoritati rationique maxime consentaneas, nihilominus acerrime impugnare solet, ut coram auditoribus videatur major, profunditate ac soliditate doctrinae eminentior illo, quod et coram minus intelligentibus assecutus est, tum ob exquisitum argumentandi modum, tum ob eloquentiam splendidam. Quaeritur jam, utrum Cajus discordia et contentione peccet?*

Resp. Cajus absque dubio discordia peccat, quia dissentit in bono veritatis eum in finem, ut collegae sui auctoritatem diminuat, quod nedum humilitati, verum et caritati repugnat. Peccat quoque contentione, quia veritatem cognitam impugnat ad collegam suum deprimendum. Non autem graviter peccat, nisi discordia et contentio versentur circa materiam fidei et morum, aut honorem adversarii aut modestiam graviter laedant. [2])

§. 35.
De scandalo.

1. — *Scandalum est dictum vel factum minus rectum praebens proximo occassionem ruinae spiritualis.* Ita s. Thomas [3]) et alii com-

[1]) In Ezechielem Lib. I. Homil. 8. n. 6. et 8.

[2]) Elbel: Tom. I. P. II. Conf. 11. n. 346. 347.

[3]) Dicendum, quod sicut Hieronym. in Matth. 15. dicit, quod graece scandalum dicitur, nos offensionem vel ruinam, et impactionem pedis possumus dicere. Contingit enim, quod quandoque aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens disponitur ad ruinam: et talis obex dicitur scandalum. Et similiter in processu vitae spiritualis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem per dictum vel factum alterius: in quantum scilicet aliquis sua admonitione, vel inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum. Et hoc proprie dicitur scandalum. Nihil autem secundum propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi secundum quod habet aliquem defectum rectitudinis: quia id quod est perfecte rectum, magis munit hominem contra casum, quam ad ruinam inducat. Et ideo convenienter dicitur, quod dictum, vel factum minus rectum praebens occasionem ruinae sit scandalum. 2. 2. q. 43. a. 1. c.

muniter. [1]) Dicitur: dictum vel factum *minus rectum*, id est, quod vel in se malum est, ut si quis turpia loquatur coram aliis, — vel speciem mali habet, ut si quis die vetita carnem comedat justa de causa coram aliis causam ignorantibus. Sub *ruina spirituali* intelligitur peccatum. [2])

Distinguitur scandalum *directum* et *indirectum*, prouti peccatum proximi vel intenditur vel tantum praevidetur ab agente. Porro scandalum directum est *diabolicum*, quando proprie ruina spiritualis proximi intenditur, et *simpliciter directum*, quando alterius peccatum ob proprium commodum intenditur. Exempla: Si quis male habeat, quod alius sit in gratia, ideoque eum sollicitet, ut gratiam amittat, scandali diabolici reus est. Quodsi volens suae cupiditati satisfacere, alium ad fornicandum inducit, scandalum simpliciter directum committit. Dum autem in domo sua alit mulierem populo suspectam, esto absit in eo peccandi periculum, scandali indirecti argui debet.

Communiter adhuc scandalum activum et passivum distingui solet. *Activum* illud est, cui convenit definitio data. *Passivum* est ipsa ruina spiritualis seu peccatum, atque idcirco melius dici debet effectus scandali, quam scandalum. Passivum duplex est: aliud *datum*, quod oritur ex scandalo activo ob infirmitatem vel ignorantiam peccantis, et dicitur etiam *pusillorum* seu *infirmorum;* — aliud *acceptum*, quod oritur non ab activo, sed unice malitia peccantis, et vocatur etiam *pharisaicum*.

Quaeritur: 1. Quandonam speciale scandali peccatum committatur? 2. Quandonam scandalum sit evitandum? et 3. Quantam malitiam scandalum involvat?

A. Quando speciale peccatum scandali committitur?

2. — **Principium I.** Scandali peccatum est, actionem ponere minus rectam, ex qua attentis circumstantiis proximi ruina spiritu-

[1]) Scholastici in 4 lib. Sent. Dist. 38.

[2]) S. Thom. l. c. ad 2. et ad 3.

alis sequi facile potest, quamvis de facto non sequatur. Non autem est scandali peccatum, quando praevidetur, quod ex tali actione alii ad peccatum vix trahentur. Ita s. Alphonsus et alii omnes. [1])

3. — **Principium II.** Scandali peccatum est, a proximo exquirere rem pravam, etsi ad eam faciendam jam sit dispositus. Est doctrina communis et certa. [2]) Ratio est, quia gravius est peccare actualiter, quam dispositum esse ad peccandum, Lib. I. §. 133. n. 2.; quapropter qui ad actum malum opere complendum alium inducit, certe ei ruinam graviter majorem infert. Hinc e. g. qui opus turpe a meretrice petit, non solum contra castitatem, sed etiam contra charitatem scandalo peccat. — Non tamen accusanda est circumstantia sollicitationis in confessione peccati, cum sufficienter exprimatur confitendo peccatum tale cum aliis commissum. [3])

4. — **Principium III.** Non est scandali peccatum, occasionem peccandi permittere, imo probabiliter neque peccatum dicendum, occasionem peccati ponere, dummodo utrumque fiat ex justa causa, nempe ad alia peccata et mala impedienda. Ita s. Alphonsus [4]) cum aliis communiter. Ratio primi est, quia permissio peccati non est inductio ad peccatum, atque in se prorsus indifferens; licitum autem est, actionem indifferentem ponere, ex qua effectus malus sequitur, ubi habetur causa justa et gravis, quae in tali casu adest. Hinc e. g. hero licet non auferre occasionem furandi filiis aut famulis, ut deprehensi convenienter puniantur et corrigantur; itemque custodibus agrorum vel vinearum pariter licet se abscondere, ut furtum committentes deprehendant eosque puniendo ab aliis damnis inferendis efficaciter avertant.

Ratio secundi est, quia peccandi occasionem ponere, nondum est ad peccatum inducere, sed peccatum permittere; porro peccatum ex gravi causa permittere licet, ut mox dictum est. Confirmari potest exemplo Judith, quae cum praevideret permissionem libidinis

---

[1]) S. Alph.: Th. m. l. 3. n. 43. et n. 44. 5. — Laymann: Th. m. l. 2. Tract. 3. cap. 13. n. 2. Antoine: Th. m. Tractat. de virtut. Theolog. P. III. cap. 6. §. IV. q. 2. Reuter: Th. m. P. II. n. 127. Kenrick: Th. m. Tract. 13. c. 6. n. 121. Scavini: Th. m. Tom. II. p. 739. Ed. 6. 1855.

[2]) Vide s. Alph. l. 3. n. 47.

[3]) Idem n. 46.

[4]) l. c. n. 58. Consentit d. Thom.: „Inducere aliquem ad peccandum nullo modo licet; uti tamen peccato alterius ad bonum licitum est.“ 2. 2. q. 78. a. 4. „Quandoque vir, uxorem suspectam de adulterio habens, ei insidiatur, ut deprehendere possit eam cum testibus in crimine fornicationis; et sic potest ad accusationem procedere.“ In Suppl. 3. q. 62. a. 3. ad 4.

in Holopherne futuram esse impeditionem malorum complurium, populo Israëlitico imminentium, posuit ei occasionem, nempe ornatum suum, alioqui licitum; in quo tamen communiter censetur non peccasse. Sic e. g. non peccat dominus, qui ad dubiam famuli fidelitatem experiendam clavem arcae appositam relinquit, vel monetam supra mensam ponit; nec maritus, qui peccandi occasionem uxori vel adultero praebet ad suspectam sibi uxorem probandam etc.

5. — Quaeritur: *An liceat alicui suadere minus malum, qui jam determinatus est ad majus committendum?*

Resp. *Aff.* probabilius cum s. Alphonso [1]) et aliis. Ratio est, quia tunc suadens non quaerit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali. Et confirmatur ex s. Augustino et d. Thoma. Primus ait: *si facturus est, quod non licet, jam faciat adulterium, et non faciat homicidium.* [2]) Secundus dicit: *licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona, quae habet, quae latrones peccant diripiendo, ad hoc, quod non occidatur.* [3]) Hinc e. g. licet volenti occidere inimicum suadere, ut eum solum percutiat, vel quidpiam ab eo furetur.

Non tamen licitum est, volenti malum facere adversus determinatam personam, suadere, ut adversus aliam id faciat; tunc enim suadens esset causa efficax damni tertii. Itaque adprobari nequit, quod Loth maluit in filiabus suis a Sodomitis stuprum fieri, quam in hospitibus suis (Gen. 19. 8.), „quum minus malum esset foeminas, quam viros perpeti stuprum.“ [4])

B. Quandonam scandalum vitandum?

6. — **Principium IV.** Scandalum pharisaicum non est necessario vitandum; quia tale scandalum oritur ex sola malitia illius, qui scandalum accipit, ac propterea nullo modo est datum, sed tantum acceptum. Confirmatur exemplo divini Salvatoris. Cum enim discipuli ejus dixerint ipsi: Scis, quia Pharisaei audito verbo hoc (de cibis) scandalizati sunt? Christus respondit: *„— Sinite illos; coeci sunt, et duces coecorum.“* (Matth. 15. 12—14.) — Notandum hic, quod scandalum pusillorum post declaratam agendi rationem vel datam admonitionem fit pharisaicum. [5])

---

[1]) Lib. 3. n. 57.

[2]) In c. *Si quod verius*, caus. 33. q. 2.

[3]) 2. 2. q. 78. a. 4.

[4]) S. Augustinus: Contra mendacium c. 9. n. 20.; excusat tamen ipsum „per humani timoris nebulosam tempestatem.“ n. 21.

[5]) S. Thom.: 2. 2. q. 43. a. 7. S. Alph. n. 50.

7. — **Principium V.** Scandalum pusillorum vitandum est, quoties fieri potest absque gravi incommodo. Ita omnes. [1]) Ratio, quia charitas obligat ad mala proximi impedienda, cum possit facile fieri. Porro scandalum vitatur actionem vel occultando, vel ad tempus differendo, vel prorsus omittendo.

In specie.

1. Opera bona, quae sunt *a lege divina praecepta* et *de necessitate salutis,* ut fidei et sacramentorum, nunquam omittenda sunt ad scandalum vitandum. Nec unquam in hunc finem facienda sunt opera intrinsece mala, *a lege divina prohibita.* Ratio utriusque est, quia quilibet semetipsum plus diligere debet quam alios in ordine ad animae salutem, et quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Est communis et certa doctrina. [2])

2. Bona opera *a lege humana praecepta,* ut auditio Missae, jejunium etc., ad tempus omitti debent, ad scandalum praecavendum, et interim justa agendi causa illi, cujus offensio timetur, est declaranda. Dico: *omitti debent,* quia praeceptum vitandi scandalum, utpote naturale, praeferendum est praecepto humano. Subdo: *ad tempus,* nempe semel atque iterum, quia penitus omittendo illa opera grave incommodum pateretur, cum quo charitas proximi non obligat. Sic s. Alphonsus [3]) cum aliis communiter. Hinc e. g. uxor debet semel atque iterum omittere Missam (si non valeat occulte eam audire), quando secus maritus graviter offenderetur et gravis discordia oriretur, interim tamen ipsum de gravi praecepti obligatione tenetur monere; eodem autem in mala sua voluntate subinde permanente, faciat quod praeceptum est, cum jam scandalum esset ex mera malitia, ideoque spernendum.

[1]) S. Augustinus dicit, ob scandalum vitandum interdum, sed non semper esse desistendum ab operibus bonis. Epist. 263. (al. 199.) n. 7. S. Thomas: 2. 2. q. 43. a. 7. S. Alph.: l. III. n. 50.

[2]) S. Gregorius M. dicit: „Considerandum est, quia in quantum *sine peccato* possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.“ In Ezech. lib. 1. Homil. 7. n. 5. S. Thom. 2. 2. q. 43. a. 7. S. Alphonsus ait: „Certum est (I), quod praecepta, *quae omitti non possunt sine peccato,* haec numquam praetermittenda sint ob alterius scandalum, sive sit pharisaicum, sive pusillorum. Hujusmodi sunt *praecepta fidei et sacramentorum,* quae sunt necessaria ad salutem. Item *omnia praecepta naturalia;* et quamvis aliqui dicant, aliquando posse omitti praecepta affirmativa, tamen melius dicitur, tunc ipsa praecepta cessare.“ l. 3. n. 51.

[3]) Th. m. l. III. n. 51. H. A. Tr. IV. n. 28.

3. Pari ratione opera bona, quae *consilii* sunt, ad scandalum praecavendum ad tempus omitti debent, donec reddatur facti ratio, ut cum Doctore Angelico [1]) s. Alphonsus [2]) et alii communiter docent. Et ideo e. g. si quis ordinem religiosum ingredi cupit, ob scandalum propinquorum propositi sui executionem ad tempus differre debet; quodsi tamen isti reddita ratione resistere pergant, religiosus sine ulla peccati labe fieri potest.

4. Opera *indifferentia,* ut v. g. visitatio alicujus loci, ad scandalum evitandum prorsus omittenda sunt, nisi necessitas vel utilitas sive propria sive aliena, exquirat, ut perficiantur; quia quilibet ex charitate tenetur proximi peccatum impedire, dum commode et facile potest. Unde Apostolus dicit: *„Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt“* (I. Cor. 6. 12.), quae quidem juxta s. Augustinum [3]) ea sunt, quae per justitiam, quae coram Deo est, permittuntur, sed propter offensionem hominum, ne ob haec impediantur a salute, vitanda sunt. Idem alii ss. Patres unanimiter docent. [4]) Necessitate vel utilitate aliqua intercedente non prorsus omittenda, sed ad tempus tantum sunt differenda, quia charitas non obligat cum gravi incommodo, quod ex omissione illorum operum in hoc casu sequeretur. Sic e. g. peccat mulier, quae ex mera curiositate vel vanitate prospicit per fenestram vel moratur ad ostium domus, sciens scandalum exinde esse oriturum; quia rationabilis causa talia agendi deest. [5]) Mulier, quae ex ornatu etiam conveniente suo statui probabiliter praevidet, aliquem in particulari lapsurum mortaliter, tenetur ornatum dimittere aut talis viri conspectum fugere, sed tantum ad breve tempus, quia ad longum nimis illi grave foret. [6])

8. — *An autem ad vitandum scandalum dimitti debent bona*

[1]) Dicit enim: „Etiam concilia non sunt simpliciter praetermittenda — propter scandalum; sed sunt interdum occultanda vel differenda propter scandalum pusillorum, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione hujusmodi scandalum cesset. Si autem post redditam rationem hujusmodi scandalum duret: jam videtur ex malitia esse. Et sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia bona dimittenda.“ 2. 2. q. 43. a. 7. ad 4.

[2]) H. A. Tr. IV. n. 28.

[3]) Lib. de conjugiis adulterinis cap. 17. n. 18.

[4]) S. Chrysostomus: „Ne mihi dicas, non est hoc aut illud prohibitum, propter quod offenditur alius, imo et permittitur. Nam etsiamsi ipse Christus permiserit, videris autem laedi quempiam, desiste et ne utere permissione.“ Homil. 21. in I. Cor. S. Basilius: „Si ex licitis aliquid infirmo offendiculum ingeneravit: apertum et inevitabile judicium habet.“

[5]) Voit n. 692.

[6]) S. Alph. n. 54.

temporalia? Non est obligatio patiendi in bonis propriis magnam jacturam, ne proximus patiatur scandalum etiam ex infirmitate, quia charitas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Quare e. g. non teneris solvere plus aequo alicui operario vel rhedario, licet praevideas, illum secus esse blasphematurum. Hoc tanto magis valet, si bona sint tantum commissa, ut bona Ecclesiae, quae quivalet, si bona sint tantum commissa, ut bona Ecclesiae, quae quidem nec dimitti possunt. Confirmari potest exemplo s. Thomae Cantuariensis, qui res Ecclesiarum repetiit cum scandalo regis. Ceterum illi, qui offenduntur, ubi facile fieri potest, de veritate justitiae instrui debent. [1])

C. Quantam malitiam scandali peccatum involvit?

9. — **Principium VI.** Scandalum, etiam indirectum est peccatum mortale ex genere suo, cum ordinarie charitatem proximo debitam graviter laedat. Hinc Christus Dominus: „*Vae mundo a scandalis,.... vae homini illi, per quem scandalum venit.*“ (Matth. 18. 7.) Potest tamen veniale esse ratione parvitatis materiae, prouti etiam ob imperfectionem actus. [2])

Hinc peccant mortaliter peccato scandali: 1. Pingentes vel exponentes statuas vel imagines valde obscoenas. 2. Qui scribunt, imprimunt, retinent, aliis tradunt libros amatorios, cantilenas turpes etc. 3. Qui componunt vel agunt comoedias obscoenas ratione verborum, gestuum, factorum. Item, qui sua praesentia eas approbant, iis applaudunt, et cooperantur solvendo mercedem agentibus, alios animant suo exemplo, vel dando licentiam. 4. Foeminae, quae gestant pectus notabiliter denudatum; nec excusat consuetudo, utpote contraria legi Dei. [3])

10. — **Principium VII.** Scandalum non solum est peccatum contra charitatem, sed etiam contra illam virtutem, ad quam violandam proximus inducitur, quia quaelibet virtus vetat, ne aliis ipsius violandae causa atque occasio praebeatur. Ita s. Alphonsus [4]) cum aliis.

* S. Augustinus: Sermo 81. (alias ex Sirmond. 33.) (Op. Tom. V.). S. Petrus Chrysologus: Serm. 27. S. Bernardus: In festo s. Michaelis Serm. II. (Op. Tom. II.). S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 43. S. Bonaventura: Pharetra, Lib. III. cap. 39. (multa ex ss. Patribus). S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. III. n. 43—47. — La Croix: Theol. mor. Lib. II. n. 222—249. Laymann: Theol. mor. Lib. II. Tract. III. cap. 13. Voit: Theologia moralis P. I. n. 681—695. Scavini: Theologia moralis universa Part. II. Tract. VIII. Disp. 3. cap. 3. art. 1. et 2. Gury: Compendium Theologiae moralis P. I. n. 234. et seq. Kenrick: Theologia moralis Vol. II. Tr. XIII. cap. 6. n. 120—134. (Ed. 2. Mechlinae 1861.).

[1]) Vide s. Alph. n. 52. s. Thom.: 2. 2. q. 43. a. 8.

[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 43. a. 2. 3. et 4. S. Alph. n. 44.

[3]) Reuter: P. II. n. 130. — S. Alph.: l. III. n. 55. 56.

[4]) L. III. n. 45.

Casus.

11. — 1. *Bertha Sacramenta frequenter suscipere cupit, sed obstant ipsius parentes sine ulla quidem rationabili causa, graviterque ipsi indignantur, quoties pium desiderium suum eis manifestet. Quaeritur, an Bertha licite possit Sacramenta frequentare?*

R. *Dist.* vel frequens Sacramentorum susceptio est ipsi necessaria ad salutem, ut e. g. si consuetudini turpi sit implicata, vel requiritur ad perfectionem salutis. In priori casu Bertha Sacramenta omittere non debet propter scandalum parentum, ut constat ex dictis n. 6. et 7. In posteriori casu Bertha susceptionem Sacramentorum ad tempus differat, atque interim omni meliori, quo potest, modo parentibus suis de utilitate frequenter suscipiendi Sacramenta persuadere, observantia, affabilitate precibusque licentiam frequentandi Sacramenta ab illis impetrare conetur; quodsi tamen scandalum parentum illis charitatis mediis adhibitis nihilominus perduret, id filia devota non amplius curare tenetur, ut patet ex dictis n. 7. sub 3. Suadendum tamen in utroque casu ipsi est, ut dum parentes reluctari pergunt, occulte si possit, ad Sacramenta suscipienda accedat, quia sic tum parentum, tum propriae saluti prudenter providebit.

2. *Parochus quidam parum studiorum amans et nesciens, quid agere debeat primis horis nocturnis, frequentat domum cujusdam parochiani, in qua coram pluribus instituit sermones scurriles. Quaeritur, quomodo peccet?*

R. Peccat scandalo contra charitatem, quia scurrilia proferendo sane nonnullos saltem praesentium ad similia proferenda excitat; et quidem peccat mortaliter, si parochiani occasionem exinde sumant mortaliter peccandi, quod facile evenire potest juxta illud s. Bernardi: *nugae nugae sunt in ore saecularium, in ore Sacerdotum blasphemiae.* Peccat etiam contra illam virtutem, cui sermones scurriles opponuntur, v. c. contra castitatem, si verba sint impudica, contra justitiam, si proximi famam denigrent etc. Debet autem parochus in Confessione speciem scurrilitatis declarare, porro numerum eorum, quibus grave scandalum dedit; quia quot fuerunt personae, tot sunt ab ipso peccata commissa; itemque conditionem eorum, qui sunt scandalizati: quia cum isti fuerint parochiani, contra proprium officium strictum, pascendi populum, deliquit. [1])

§. 36.

De cooperatione ad aliorum peccata.

1. — Cooperatio in genere est concursus cum alio principaliter agente; prout autem charitati adversatur, est participatio quaedam ad pravam alterius actionem.

Cooperatio dividitur in formalem et materialem. *Formalis* est

[1]) Casus conscientiae de mandato Benedicti XIV. propositi ac resoluti. Card. Prosperi Lambertini, deinde P. Tom. I. p. 1. et 2. Monasterii 1856.

actio, quae per se et directe influit in malam voluntatem et peccatum alterius. *Materialis* dicitur actio, qua proximus praeter intentionem operantis malitia sua abutitur ad peccandum.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Formalis cooperatio nunquam non illicita est. Ratio, quia scienter et volenter influere in alterius peccatum perinde est, ac velle ipsum peccatum. [1]) Hinc non licet pingere res obscoenas, servare terga latroni aut sicario, ut securius furetur aut occidat; scribere literas amatorias vice concubinarii; furi annuntiare horam ad furandum opportunam etc.

Principium II. Materialis cooperatio generatim loquendo pariter illicita est, quia ex charitate tenetur quisque impedire peccatum proximi, si possit saltem sine gravi incommodo; ergo a fortiori tenetur non suppeditare materiam vel operam, qua proximus usurus est ad peccandum. Ita communiter. [2])

Verumtamen permittitur materialis cooperatio, quando suppetit *justa causa*, nimirum necessitas vel utilitas notabilis, seu quod idem est, incommodum proprium grave sive impediendum sive removendum, et quando (ut aliunde ex ipsa notione materialis cooperationis supponitur) actio ipsa non est mala, sed bona vel saltem indifferens, et peccatum alterius praeter intentionem cooperantis sequitur, adeoque tantum permittitur. Id post s. Augustinum [3]) Doctor Angelicus [4]) et alii communissime docent. [5]) Ratio est, quia cum charitas non obliget cum gravi incommodo, non teneris cum tali incommodo omittere actionem in se bonam vel saltem indifferentem, qua proximus sua malitia abutitur ad peccandum. Neque actio tua per se est conjuncta malae voluntati alterius, sed alter conjungit malam voluntatem cum actione tua. Vide Lib. I. §. 100. n. 2. Debet autem causa esse *proportionata*, id est, eo gravior esse, quo magis actus influit in peccatum, et quo gravius est illud peccatum.

Qui alienis peccatis cooperatur formaliter vel sine justa causa materialiter, peccat tam contra charitatem, quam contra virtutem, quae a proximo violatur. [1]) — Nunc applicemus principia praestituta ad casus particulares respectu famulorum, operariorum, mercatorum et cauponum.

3. — *Quoad famulos.* Non licet ancillae ministrare carnes die vetita, nisi ex aliqua causa gravi excusetur, e. g. si secus domo expelleretur cum notabili detrimento. [2])

Pari ratione licet famulo ostium domus meretrici aperire, modo ipso non aperiente alius adsit, qui aperiat, quia haec circumstantia cooperationem satis remotam facit. Nec obstat propositio 51. ab Innocentio XI. damnata: *Famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties ei subservit deferendo scalam, aperiendo januam aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Nam verba *aperiendo januam* aperte intelliguntur de aperitione violenta domus alienae, ut ex contextu patet. [3])

Non potest famulus sternere equum domini ad peccandum profecturi vel eum comitari sine ratione gravis damni subeundi. Numquam vero licet famulo herum comitari, si hic ex comitatu animosior redderetur. [4])

Non licet aurigis vehere meretricem ad amasium, nisi ob metum valde gravis damni. [5])

Nec umquam licet famulo dona meretrici vel literas amatorias concubinae domini deferre, vel illam ad dominum invitare, quia haec formaliter concurrunt ad peccatum, et per se proxime determinantur

---

[1]) S. Alphonsus dicit: „*Cooperationes formales sunt intrinsece malae, quia ipsis datur ansa proximo ad peccatum exequendum, aut saltem istius prava voluntas fovetur, ideoque nulla ex causa, ne mortis quidem, excusari possunt a mortali.*" H. A. Tr. IV. n. 31.

[2]) Vide s. Alph.: Lib. III. n. 47. ubi inter alia: „*Charitas nos obligat ad vitandum damnum grave proximi, quotiescunque sine notabili incommodo id possumus.*"

[3]) S. August. nempe in epist. 47. (al. 154.) n. 2. Publicolae quaerenti, utrum liceret uti juramento ejus, qui per falsos deos jurat, in quo manifeste peccat, eis divinam reverentiam adhibens, respondit, quod qui utitur fide illius, qui per falsos deos jurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per daemonia juravit, sed pacto ejus bono, quo fidem servavit: si tamen induceret eum ad jurandum per falsos deos, peccaret.

[4]) 2. 2. q. 78. a. 4.

[5]) Vide s. Alph.: Th. m. L. III. n. 47., porro n. 63. *Ad distinguendum, et* n. 80. in fine. Lib. IV. n. 427. „*Cooperatio materialis non est licita, nisi fiat ex gravi causa necessitatis vel utilitatis.*" Porro notanda sunt haec ipsius verba: „*Semper autem est intrinsece mala illa actio, quae ex se determinata est ad peccatum, uti esset quaerere domino concubinam etc. Secus, si actio potest fieri sine peccato, puta ministrare mensae, aperire januam etc.*" n. 59.

[1]) S. Alph. n. 80.

[2]) Idem n. 69.

[3]) S. Alph. n. 66.

[4]) Idem n. 64. et Retract. 10.

[5]) Idem n. 75. et Retract. 15.

ad peccatum. [1]) Ex eadem ratione nequit famulus catholicus praelegere domino suo libros fidei et moribus graviter adversos.

4. — *Quoad operarios.* Non licet conficere statuas falsorum deorum, si pagano ad colendum sint tradendae. Item nefas est, canere in templo infidelium, si id fiat in honorem idoli, ut patet.

Licet templa aedificare haereticorum, synagogas Judaeorum, permittente ex justa causa legitimo magistratu. [2]) Vid. §. 9. n. 2. §. 10. n. 5.

Licitum est, theatra adificare, quia saepe possunt principes spectacula tolerare, itemque eadem ornare, si haec in se sint honesta.

Item licet ex gravi metu captivis christianis remigare triremibus infidelium contra catholicos, quia non faciunt aliquid intrinsece malum nec Christianis valde perniciosum, et quia aliunde ad remigandum impelluntur. [3])

Non tamen ullo modo licet pravis libris edendis immediate cooperari, v. c. typos ordinare, chartam typis imponere, impressionem dirigere, illos libros vendere, quia nati sunt multos subvertere. Licet autem gravi de causa cooperari mediate seu remote, v. c. atramentum vel chartam praeparare aut libros impressos ordinare. Difficilius autem liceret, libros pravos compingere vel libros venditos ad emptores deferre. [4])

5. — *Quoad mercatores.* Licet vendere aleas, gladios, fucos etc., etsi iis multi sint abusuri; quia haec de se non ordinantur ad peccatum, imo saepe bono usui inserviunt, nec malum praesumendum est. Si tamen de abusu constet, causa gravis seu periculum notabilis damni requiritur ad res illas vendendas. [5])

Non tamen licet vendere venenum, nisi constet, emptorem illo bene usurum v. c. ad confectionem colorum, medicinae etc., quia maxima sequeretur pernicies generis humani, si illud promiscue venderetur. [6])

Licitum est petere mutuum ab usurario, dummodo adsit gra-

---

[1]) Idem n. 65. et 67. Reuter; P. II. n. 135. La Croix: Lib. II. n. 273. Laymann: Lib. II. Tract. III. c. 13. n. 5

[2]) S. Alph. n. 72.

[3]) S. Alph. n. 73.

[4]) Ita Gury n. 253. Scavini et alii communiter.

[5]) S. Alph. n. 71. et Retract. 14.

[6]) Vogler n. 316.

vis causa. [1]) Pariter licet dare mutuum abusuro, si adsit causa scilicet, si aliter hic multum possit nocere. [2])

6. — *Quoad caupones.* Non licet cauponibus dare vinum eis, qui praevidentur se inebriaturi, nisi ob metum gravis damni, v. g. saevitiarum, item ad praecavendas blasphemias, quae sunt graviora mala. [3])

Domini hospitiorum non possunt folia publica hospitibus legenda proponere, quae aperte et ordinarie religioni et bonis moribus adversantur, etiamsi hospites ad ipsa confluere propterea desinant. [4])

Cauponibus non licet proprio motu dare carnes diebus prohibitis; licet vero, quando carnes petuntur, quia difficilius esset inquirere de rationibus cujusque petentis, nisi petitio aperte fiat in contemptum religionis. Imo licet generatim cauponibus, apud quos divertunt rhedae publicae, mensam cibis licitis et illicitis struere. [5])

* S. Alphonsus: Theologia moralis L. III. n. 59—80. — La Croix: Theol. mor. Lib. II. n. 251—277. Bolgeni: Ist es in einzelnen Fällen und unter gewissen Umständen erlaubt, zu den Sünden Anderer mitzuwirken? (Untersuchungen neuerer römischer Theologen auf dem Gebiete der Moraltheol. Aus dem Italien. übers. Regensb. 1857. S. 285—297.) Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VIII. Disp. 3. cap. 3. p. 746—749. (Ed. 6. 1855.) Gury: Compendium Theologiae moralis P. I. n. 248—256. Kenrick: Theologia moralis, Vol. II. Tract. XIII. cap. 7. n. 135—157.

Casus.

7. — *An dominus hospitii catholicus in domum suam admittere potest neohaereticos, qui se veteres catholicos appellant, ad conventum agendum? — An fas est aedituo catholico in ecclesia ab haereticis praedictis occupata servire, nempe pulsando campanam et ecclesiae ostium aperiendo? — An licet famulo catholico ministrare sacerdoti hujus sectae Missam in ecclesia celebranti?*

Resp. ad 1. Id domino hospitii non licet, si velit neohaereticis favere et recursum praebere, etenim directe et formaliter ad eorum peccata cooperaretur. Nec id ipsi licet seclusa tali intentione, nisi damnum valde grave cogeretur subire, et ex negatione conventus non impediretur, tunc enim conventum haereticorum simpliciter permittere posset (remota fidei falsae suspicione); quia cooperatio materialis, quae tunc obtineret, nonnisi ex causa gravi et proportionata licita evadit.

Ad. 2. Affirmat Laymann [6]) et non improbare videtur s. Alphonsus [7]), posse aedituum catholicum pulsare campanam et aperire ostium ecclesiae in simili casu, ob causam gravissimam v. g. si alias occidendus esset: dummodo scandalum absit, ita nempe ut palam constet, illum invitum agere et exercitiis haereticorum non

---

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 4 S. Alph. n. 77. 4.

[2]) S. Alph. n. 78.

[3]) Idem n. 69.

[4]) Gury n. 256.

[5]) Ita Gousset n. 303., cui Gury n. 255. concordat.

[6]) Theol. mor. Lib. III. cap. 13. n. 5.

[7]) Lib. III. n. 69.

consentire; quia tunc esset cooperatio materialis ex causa gravissima, ideo requisita, quia actio valde propinque concurrit ad aliorum peccata.

Ad. 3. Id sane nullo casu permitti potest, quia sacerdoti hujusmodi Missam celebranti ministrare, perinde est ac proxime et directe cooperari peccatis sacerdotis, et communicare cum haereticis in sacris.

8. — *Evaristus* 1. *matrimonio jungitur cum Bertha, quae scit, illum Sacramentum suscipere in peccato mortali.* 2. *Usurarius cum sit, a famulo juvatur in numerandis pecuniis, et rationibus scribendis.* 3. *Invitat feria sexta ad mensam amicum, carnem ei proponens, quem scit solere etiam die vetito carnes manducare.*

Quaeritur: 1. *An Bertha licite cooperata sit Evaristo in matrimonio ineundo?* 2. *An famulus in dicto negotio excusari possit a peccato?* 3. *An Evaristus peccaverit invitando ad mensam amicum?*

Resp. ad. 1. *Aff.*, si sponsum non potuit movere ad Confessionem sacramentalem rite paragendam, et aliunde gravem causam matrimonium ineundi habuit; cooperatio enim tantum materialis fuit.[1]) — Ad 2. Juxta s. Alphonsum[2]) ille, qui juvat usurarium tantum in numerandis pecuniis, scribendis rationibus, aut in deferendo pignore, potest excusari a peccato sola ratione famulatus. — Ad 3. *Aff.*, quia non tantum permissive, sed directe cooperatus est ad peccatum alterius: peccavit contra charitatem, et contra temperantiam, quae ab invitato laedebatur.[3])

§. 37.

Cohortatio s. Augustini ad Deum et proximum diligendum.

„Quoniam scriptum est, *Deus, canticum novum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi* (Psalm 143.): decem chordarum psalterium, decem praecepta legis intelliguntur. Cantare autem et psallere negotium esse solet amantium. Vetus enim homo in timore est, novus in amore. Ita etiam duo Testamenta discernimus, vetus et novum, quae in allegoria dicit Apostolus etiam in Abrahae filiis figurari, uno de ancilla, altero de libera: Quae sunt, inquit, duo Testamenta. (Gal. 4. 22. etc.) Servitus enim pertinet ad timorem, libertas ad amorem. Dicit enim Apostolus: Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater (Rom. 15). Dicit et Joannes: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem (1. Joan. 4. 18.) Charitas ergo cantat canticum novum. Nam timor ille servilis in veteri homine constitutus potest quidem habere psalterium decem chordarum, quia et Judaeis carnalibus data est ipsa lex decem praeceptorum: sed cantare in illa non potest canticum novum; sub lege est enim, et implere non potest legem. Organum ipsum portat, non

[1]) S. Alph. n. 60.
[2]) n. 78.
[3]) Idem 80.

tractat; et oneratur psalterio, non ornatur. Qui autem sub gratia est, non sub lege, ipse implet legem: quia non est ei pondus, sed decus; nec timenti tormentum est, sed amanti ornamentum. Spiritu enim dilectionis accensus jam in psalterio decem chordarum cantat canticum novum.[1])

O fratres, o filii, o catholica germina, o sancta et superna semina, o in Christo regenerati et desuper nati, audite me, immo per me: *Cantate Domino canticum novum.* Ecce, inquis, canto. Cantas, plane cantas. Audio: sed contra linguam testimonium non dicat vita. Cantate vocibus, cantate cordibus, cantate oribus, cantate moribus: *Cantate Domino canticum novum.*“[2])

[1]) Sermo 33. (al. de divers. 18.) n. 1.
[2]) Sermo 34. (al. de divers. 2.) n. 6.

Tractatus II.

De virtutibus cardinalibus, ceterisque moralibus, quae iis sunt adnexae.

§. 38.

Conspectus dicendorum.

1. — Prudentia, justitia, fortitudo et temperantia recte (ut Lib. I. §. 109 probatum est) appellantur virtutes cardinales, quarum quaelibet sive plurium sive pauciorum virtutum moralium comitatu eximio stipatur.

Ad prudentiam pertinent eubulia, synesis et gnome, quae prudentiam juvant ad inveniendum medium, quod virtutes morales tenere debent.

Ad justitiam generatim omnes virtutes spectant, quae inclinant hominem ad debitum plus minusve strictum alteri praestandum; atque sequentes sunt: 1. religio, 2. humilitas, 3. obedientia, 4. gratitudo, 5. pietas, 6. observantia, 7. veracitas, 8. affabilitas, 9. liberalitas.

Ad fortitudinem referuntur illae virtutes, quae animi firmitatem in rebus arduis produnt, videlicet magnanimitas, patientia et perseverantia.

Ad temperantiam reducuntur virtutes, quae moderationem quandam appetitus important, nimirum mansuetudo, clementia, modestia, studiositas et eutrapelia.

2. — Agemus primum de virtutibus justitiae adnexis, et deinceps de justitia ipsa, quia inter illas est religio, quae virtutibus theologicis valde affinis est, porro humilitas, obedientia et gratitudo, quae nedum ad homines, verum etiam ad Deum recte ordinant hominem; congruum enim esse videtur, ut post theologicas virtutes

protinus illas pertractemus, quae theologicis propius accedunt, atque ad Deum (licet non immediate) respectum habent. Post virtutes justitiae adnexas et justitiam ipsam considerabimus fortitudinem cum adnexis, posthac temperantiam cum suis virtutibus, et postremo prudentiam, quae ceu completiva omnium moralium virtutum (ut a divo Thoma vocatur) simul Tractatum de virtutibus moralibus compleat et concludat.

Sectio I.

De virtutibus justitiae adnexis, deque justitia ipsa.

Caput I.

De virtute religionis et vitiis ei oppositis.

DISTINCTIO I.

De virtute religionis.

Conveniens est, hanc virtutem primum in se, et deinceps in suis actibus inspicere.

A. De virtute religionis in se spectata.

§. 39.

De religionis natura et praestantia.

1. — Religio tripliciter sumitur: 1) pro Dei cognitione et amore; sic dicitur religio falsa et vera, religio Christiana, Catholica; 2) pro virtute, qua Deo cultum debitum exhibemus; et 3) pro statu eorum, qui „totam suam vitam divino cultui dedicant“ [1]) sub certa regula ab Ecclesia approbata, quique *religiosi* specialiter dici solent. In proposito autem sumitur religio in secunda significatione seu quatenus est *virtus moralis inclinans hominem ad debitum cultum Deo ut primo omnium principio et supremo domino exhibendum.* [2])

Objectum materiale seu id, circa quod religio immediate versatur, est Dei cultus, sub quo intelligitur reverentia et submissio

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 1. ad. 5.

[2]) Quoad etymologiam hujus vocis videri possunt s. Thomas: 2. 2 q. 81. a. 1. c. Suarez in prolixo simul et eximio opere *de Religione* Lib. I. cap. 1.

Deo exhibenda tamquam omnium rerum principio ac domino.[1]) *Objectum formale* seu specialis ratio, sub qua haec virtus in objectum suum materiale tendit, est specialis honestas et convenientia, quae deprehenditur in illo cultu, quem quippe velut quoddam tributum Deo deferimus ob summam ipsius excellentiam, utpote cum omnia producat, conservet atque gubernet infinita sapientia, bonitate atque potentia.[2])

PROPOSITIO.

Religio, etsi virtus theologica non sit, valde tamen affinis est virtutibus theologicis, et primum post eas locum obtinet.

2. — Dico 1. *Religio virtus theologica non est.* Probatur a) ex auctoritate. Omnes Theologi tres tantum theologicas virtutes agnoscunt secundum Apostoli effatum: *Nunc autem manent fides, spes et caritas, tria haec.* 1. Cor. 13.; et religionem virtutibus moralibus accensent. — b) Ex intima rei natura. Nam virtutes theologicae versantur immediate circa Deum; ast religio immediate non circa Deum ipsum, sed tantum circa cultum Dei versatur, quemadmodum justitia immediate non hominem, cui jus reddendum est, sed jus, quod homini reddi debet, ut objectum suum respicit.[3]) Seu dici potest: religio duntaxat mediantibus actibus Deum attingit; actus ipsos, quibus nempe Deus colitur, directe et immediate considerat religio.[4])

Dico 2. *Valde affinis est virtutibus theologicis.* Etenim a) religio quamvis non immediate, mediate tamen ad Deum tendit, nempe per cultum, quem ipsi offert, atque pro objecto formali saltem mediato et indirecto divinam excellentiam habet.[5]) — b) Religio est quaedam protestatio fidei, spei et charitatis, ut docet s. Thomas,[6]) sicque intime cum his virtutibus jungitur.

Dico 3. *Religio primum locum post virtutes theologicas tenet,*

---

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 83. a. 3. c.; q. 81. a. 3. c. et ad I., a. 4. ad 1., a. 5. c. Lessius: De justitia ceterisque virt. card. Lib. 2. cap. 36. Sect. 6. Dub. 1. n. 3. et sq. Late Suarez: De religione Lib. 1. cap. 3—7. Ita etiam alii omnes.

[2]) Suarez: De religione Lib. 1. cap. 9. Lessius l. c. Dub. 2. n. 10. Et alii omnes.

[3]) Sic perbene Collet: Tract. de universa Theologia morali Tom. II. P. I. cap. III. n. 1., item cap. II. n. 1. et n. 5.

[4]) Collet l. c. cap. II. n. 1. Lege s. Thom.: 2. 2. q. 81. a. 5., ubi ostendit, Deum non comparari ad virtutem religionis sicut objectum, sed sicut finem.

[5]) S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 2. ad 1. a. 4. c. Collet l. c. Cap. IV. n. 3.

[6]) 2. 2. q. 101. a. 3. ad 1.

ceterisque virtutibus moralibus praestantior est. Etenim nobilior est ea virtus, quae propius Deum attingit. Atqui religio, ut docet Angelicus, *magis de propinquo accedit ad Deum, quam aliae virtutes morales, in quantum operatur ea, quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum.*[1]) Ergo

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 81. a. 1—6. — Suarez: Opus de virtute et statu religionis, Lib. I. cap. 1—9. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. Sect. VI. cap. 36. totum. Collet: Tractatus de universa Theologia morali Tom. II. Pars I. Cap. 1—4. (Parisiis 1758. pag. 1—18.) Lud. Habert: Theologia dogmatica et moralis Tom. IV. Tract. de virtute religionis Cap. 1. (Augustae Vindelicorum 1751. pag. 406—413.) Perrone: Praelectiones Theologicae de virtute religionis deque vitiis oppositis P. I. Sect. I. cap. 1. et 2. (Ratisbonae 1866.)

§. 40.

De necessitate virtutis religionis.

PROPOSITIO.

Deo triplicem cultum, internum, externum et publicum debemus.

1. — Propositio haec est de fide,[2]) quam paucis probare instituimus.

Dico 1. *Deo internum cultum debemus.* Christus enim dicit: „*Spiritus est Deus; et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*" Joa. 4, 24. Accedit ratio sequens: Homo a Deo animam omnesque animae potentias habet; ergo certe tenetur pium animae obsequium Deo referre.

Dico 2. *Deo cultum etiam externum debemus.*[3]) Etenim tum ipsius Redemptoris et Apostolorum institutiones atque exempla, tum constans universalis Ecclesiae disciplina cultum externum urgent. Accedunt rationes sequentes: a) Totus homo a Deo factus est, ergo dignum et justum est, ut homo totus, id est, non solum mente, sed etiam corpore, suam Deo reverentiam et subjectionem contestetur.[4]) — b) Natura docet, Deum esse colendum summo modo, cum sit

---

[1]) 2. 2. q. 81. a. 6.

[2]) Suarez: De Religione Lib. II. cap. 1. n. 8.

[3]) De hoc Theologi antiquiores agunt in Lib. 3. Sent. Dist. 9., s. Thomas in Summa Theolog. 2. 2. q. 81. a. 7. q. 83. a. 12. et alibi, s. Joannes Damasc. Lib. 4. de fide orthodoxa cap. 13.

[4]) Pari ratione Ecclesia Deum exorat, ut *divinis rebus inhaerentes, et corpore ipsi famulemur et mente,* porro ut *et corpore* ipsi *placeamus, et mente.* Contra persec. Eccl.; Feria VI. Quatuor Tempor. Septembris.

summum esse; at magis colit, qui corpore et animo, quam qui animo tantum; igitur corporalibus viribus et caeremoniis Deus est colendus. — c) Deus vere offenditur et ignominia afficitur non solum actu interno, sed etiam externo: igitur honorandus quoque est non solum actu interno, sed simul externo. — d) Omnes aliae virtutes, licet in animo consistant principaliter, tamen consummantur per actus exteriores, ut patet de temperantia, fortitudine etc.: cur ergo non idem dicemus de religione? — e) Tanta est corpus inter et animam connexio, ut affectus et sensus interni ex una parte jam suapte indole in corporeas actiones abundent, et ex altera parte externis signis ac ritibus excitentur et foveantur. [1])

Dico 3. *Deo cultum publicum debemus.* Christus Dominus certo vult cultum communem seu publicum, quia tum Sacramenta, tum Sacrificium Missae instituit addito mandato: *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22. 19. Et Ecclesia a Spiritu sancto instructa numquam non cultum Dei multis institutionibus promovere atque fideles ad eum peragendum sua auctoritate movere studuit. Et quam pius et praeclarus, Deo dignissimus est cultus, quem Ecclesia Deo suo defert! Praesignat et praelibat cultum Dei coelestem, sicut ipse praefiguratus est per cultum Dei in vetere lege praescriptum. [2]) Denique adverte rationes sequentes: a) Nos omnes ejusdem Patris filii, unius corporis membra sumus, quocirca Deo, ut Patri communi, communem etiam reverentiam et subjectionem deferre, nosmetipsos vero invicem aedificare, atque in fide, spe et caritate confirmare in publicis conventibus tenemur. b) Generatim societas religiosa nulla sine cultu Dei sociali seu publico et communi subsistere valet.

2. — Ex dictis sponte sua fluit, cultum externum et publicum ab omnibus, quantumvis putentur perfecti, Deo esse exhibendum; quapropter doctrinae *Beguardorum* et *Beguinarum*, [3]) nec non *Michaëlis Molinos* [4]) contrarium asserentes ab Ecclesia merito proscriptae sunt et condemnatae.

3. — Objiciunt adversarii 1. contra cultum divinum generatim: Deus, ens supremum et sibi sufficientissimum, servitio nostro plane non indiget. Ad quid igitur cultus noster ipsi? 2. Contra cultum Dei externum: Christus dicit: *„Deus*

[1]) S. Thomas: 2. 2. q. 81. a. 7. q. 83. a. 12., q. 84. a. 2., q. 85. a. 2. Bellarmin: De Sacr. Lib. II. cap. 31. S. Thomas: 1. 2. q. 101. a. 2. et q. 103. a. 3.

[2]) In Concilio Viennensi a. 1311. 1312. Error sub n. 8.

[4]) Ab Innocentio XI. Constitut. *Coelestis Pastor* 20. Nov. 1687. propos. 33. 34. 35. 40. 60.

spiritus est, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet.“ Ergo spiritualibus tantum affectibus Deus est colendus. 2. Contra cultum Dei publicum: Oratio debet Dei offerri in occulto: dixit enim Jesus: *„Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Matth. 6. 6.

Resp. *ad 1.* Deo non exhibetur a nobis cultus propter ejus indigentiam et commodum, sed propter ipsius gloriam, nostram autem utilitatem. [1]) *Ad 2.* Etiam externus cultus seu corporalis cultus fit in spiritu, in quantum ex spirituali devotione procedit, et ad eam ordinatur. [2]) *Ad 3.* Dicit s. Chrysostomus (Homil. 13. in Matth.): Eo proposito Dominus vetat in conventu orare, ut a conventu videatur. Unde orans nihil novum facere debet, quod aspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus expandendo. Nec tamen, ut Augustinus dicit in lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 6. videri ab hominibus nefas est, sed ideo hoc agere, ut ab hominibus videaris. [3])

B. De actibus religionis.

Actus praecipui religionis sunt: devotio, odoratio, oratio, sacrificium, usus Sacramentorum, votum, juramentum, adjuratio, sanctificatio quorundam dierum. De Sacrificio et Sacramentis dicetur in tertio Libro. Hic igitur de reliquis.

I. De devotione.

§. 41.

De devotione in genere.

1. — *Devotio est interna sui ad cultum divinum oblatio et traditio.* [4]) Unde, ut s. Thomas ait, *devoti* appellantur, qui seipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant; quemadmodum apud gentiles devoti vocabantur, qui seipsos idolis devovebant in mortem pro sui salute exercitus. [5])

2. — Devotio potissimum ex consideratione divinae benignitatis et beneficiorum, quae ex illa tamquam perenni fonte in nos assidue promanant, enascitur; hinc enim videmus, Deum omni cultu et obsequio esse dignissimum. Unde egregie s. Bernardus devotionem nuncupat *unguentum pretiosum, quod de recolendis divinis beneficiis componi debet.* [6]) Pretiosum sane, quia animam laetitia per-

[1]) Ita s. Thomas: 2. 2. q. 81. a. 6. ad 2.

[2]) Idem 2. 2. q. 84. a. 2. ad 1.

[3]) Idem 2. 2. q 83. a. 12. ad 3.

[4]) Lessius de justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 37. Dub. 1. n. 1. S. Thomas devotionem dicit esse *actum voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei serviendum.* 2. 2. q. 82. a. 1. ad. 1. seu *„voluntatem prompte se tradendi ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum.“* q. 82. a. 2.

[5]) 2. 2. q. 82. a. 1.

[6]) In Cant. Serm. 10. n. 9. coll. n. 7.

fundit, ad Dei laudem et gratiarum actionem excitat, vitae praesentis labores relevat, in coelestis habitationis statum exaltat.[1]) Hoc unguento bona opera condienda.[2])

Advertendum, devotioni sincerae adjunctam quidem plerumque esse interiorem animi laetitiam atque suavitatem, hanc tamen ad ipsam devotionis essentiam minime pertinere, atque hominem in summa etiam spiritus ariditate constitutum bene posse devotum esse, ut s. Franciscus Salesius aliique omnes vitae spiritualis magistri docent.

De magno devotionis pretio exinde convincimur, quod Ecclesia satis frequenter ad Deum orat, ut *piae devotionis erudiamur affectu,* — ut *devotionem nobis augeat et salutem.*

* S. Bernardus: In Cantica Serm. 10. de tribus unguentis spiritualibus, scilicet Contritionis, Devotionis et Pietatis (Op. Tom. IV.). De diversis Serm. 90. (Op. Tom. III.) S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 82. tota. S. Bonaventura: Opusc. de sex alis Seraphim cap. 8. De profectu religiosorum Lib. II. cap. 73. (de septem generibus devotionum.) — Leon. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. Cap. 37. Dub. 1. Card. Bona: De divina psalmodia cap. 19. §. 7.

§. 42.

De devotione erga sacratissimum Cor Jesu.

1. — Devotio multiplex est respectu objectorum divini cultus, ad quae refertur, quamvis ultimo devotio omnis in Deum ipsum redundet. Singulari tamen consideratione dignissima existit devotio in sanctissimum Cor Jesu, ineffabili Domini nostri benignitate in Ecclesia instituta, quae licet a Jansenistis et a Synodo Pistoriensi tamquam superstitiosa acriter impeteretur, omni tamen jure debita est et uberrimos ac plane mirabiles spiritus fructus in Ecclesia protulit atque continuo profert.

Ideo lubentissime accingimur, ut originem, objectum, finem et utilitatem devotionis erga dulcissimum, omnique dilectionis significatione summopere colendum Cor Jesu, quoad convenit instituto nostro, consideremus.

A. Origo hujus devotionis.

2. — Quoad rem cultus sanctissimi Cordis Jesu semper in Ecclesia fuit. Quis adeo est sine intellectu, ut audeat suspicari,

[1]) Idem: Serm. 19. n. 7. Serm. 11. n. 1.

[2]) Idem: Serm. 1. de Nativitate Domini n. 6.

B. V. Mariam non ardentissimo erga Cor Filii sui amore semper fuisse succensam, Virginem, inquam, nulla virtute cuivis Sanctorum inferiorem, imo omnibus Sanctis omni virtute longe superiorem, quae porro in Corde Filii sui suaviter et perpetuo quievit, divini Cordis divitiis cumulatissime repleta erat, quae denique vidit Cor Filii desolatum, amore vulneratum, lancea perforatum, sanguine penitus exhaustum? Transfixum est Cor Matris cum Corde Filii, a quo plane nequibat avelli.[1]) Tenerrimo pariter amore merito creditur sanctum Josephum affectum fuisse erga Cor Jesu, qui ab ipso in ulnis portari dignatus est. Nonne discipulus ille, qui supra pectus Domini in coena recubuit, flammis Cordis divini flagravit? Nonne fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit? Nec alii defuerunt Sancti immensum divini Cordis amorem summopere colentes, et in Corde hoc vulnerato lancea, veluti in foramine petrae, tutissimum latibulum requirentes et invenientes. Inter quos s. Augustinus, s. Bernardus, s. Bonaventura, s. Franciscus Salesius, s. Mechtildis, s. Gertrudis, s. Theresia, praecipue laudantur.[2])

Verumtamen cultum publicum et peculiariter determinatum Salvator divinus ad haec ultima tempora reservavit, ut Christianorum tepor ad novum spiritus fervorem accenderetur.[3]) Quem in finem elegit *B. Margaritam Mariam de Alacoque* († 1690.), religiosam sororem ex Ordine Visitationis B. M. V. Inter varias ipsius apparitiones haec maxime celebris fuit: Quum die quodam infra Octavam Corporis Christi orationi coram sanctissimo Sacramento vacaret, coelestibus gratiis supra modum repleta est. Et ardenter cupienti pro tantis beneficiis aliquid Domino rependere, Jesus dixit: „*Nihil praestare potes, quod mihi futurum sit acceptius, quam si illud perficias, quod te saepius antea monui.*“ Tum Cor suum sacrosanctum detegens dixit: „*Vides Cor meum: Cor illud tanto hominum amore succensum, ut nihil praetermiserit, viribus exhaustis penitus atque consumptis, quo amorem hunc immensum certissimis signis testatum eis relinqueret. Eorum tamen pars maxima usque adeo se mihi gratos amicosque non exhibent, ut*

[1]) S. Bern., in Off. septem Dol. Lect. 4.

[2]) Vid. Nilles S. J.: De rationibus festorum ss. Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae pag. 137—171. Oenip. 1869. Ed. 2.

[3]) Id. s. Joannes Evangelista sanctae Gertrudi revelasse legitur apud cl. Nilles op. c. pag. 9.

me etiam injuriis contumeliisque in hoc amoris mysterio assidue lacessant. Quod eo etiam acerbius accidit, quod a personis mihi dicatis talia quoque pati cogor. Itaque a te requiro, ut feria sexta, quae Octavam Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter sit dedicata: *qua die ad sacram mensam accedendo injuriae Cordi meo in Altaris mysterio inflictae, eo maxime tempore, quo palam fidelium venerationi expositus sum, violati honoris reparatione sarciantur. Et quidem spondeo, eos omnes, qui hoc honore Cor meum* afficient, ipsius *divini Cordis influxu gratiarum copia fore cumulandos.*" [1]) Venerabilis Cordis divini discipula, ut supernae obsequeretur voluntati, omni studio apud omnes, quoad potuit, homines egit, ut *Cor illud Sanctissimum, divinae caritatis sedem,* omnis honoris significatione colerent ac venerarentur. Demum divina favente gratia devotio haec brevi tempore, frustra reluctantibus Jansenistis, in omnes orbis catholici partes mirifice est diffusa, praesertim piis studiis ac laboribus sacerdotum Societatis Jesu; [2]) Romani Pontifices copiosis indulgentiis pios sanctissimi Cordis cultores ditarunt, atque P. M. Clemens XIII. anno 1765., cum cultus ss. Cordis ad novi usque orbis fines propagatus esset, Festum ss. Cordis Jesu quibusdam petentibus Ecclesiis celebrari permisit, quod denique S. P. Pius IX. per Decretum die 23. Aug. 1856. in universa Ecclesia quotannis agi mandavit.

B. Objectum ejusdem devotionis.

3. — Objectum cultus publici et festi sanctissimi Cordis Jesu est 1. Cor Jesu physicum et vivum, 2. immensa Christi charitas erga nos homines, 3. utrumque tamen indivise connexum, videlicet Cor Jesu corporeum, quatenus est symbolum et sedes infinitae ipsius erga homines charitatis, seu Cor Jesu corporeum et verum amore nostri flagrans seu Cor Jesu physicum flagrantissimae erga nos charitatis victima.

---

[1]) Vie et oeuvres de la bienheureuse Marguerite Marie Alacoque, Tom. I. pag. 93. Paris 1867. Nilles: De rationibus festorum ss. Cordis Jesu etc. pag. 98. 96. Ed. 2. Paucis idem refertur in Brevi Beatif. die 19. Aug. 1864.

[2]) Christus ipse edixit, se velle, ut per Ipsius Societatem hic cultus ubique propagaretur et confirmaretur. B. Margarita in quadum epistola ad P. Claudium de la Colombieri data inter alia scripserat: „— *scias vellim, Jesum Christum mihi significasse, se prae ceteris ad hunc cultum ubique terrarum confirmandum hominibus suae Societatis usurum, unaque per hoc medium innumeram fidelium servorum multitudinem ad se attracturum esse.*" Vid. Nilles op. c. pag. 219.

Antequam singula praestituta ex Ecclesiae documentis ostendamus, explicare necesse est, quo sensu cor humanum, adeoque Cor Jesu, symbolum et sedes amoris dicatur.

4. — Dico 1. *Cor humanum est symbolum amoris.* Symbolum (a gr. συμβάλλω confero, compono, conferendo et componendo conjicio) est signum seu indicium sensibile alterius rei, similitudine aliqua rem illam manifestans, declarans, significans. [1]) Jam vero intima consistit relatio inter cor physicum hominis et animum ejusque affectus, praesertim amorem, qui radix est omnium affectuum, ita ut affectibus, quos amor in animo excitat, ad amussim respondeant affectiones cordis similes illis. Hoc a) propria experientia indubie edocemur. Cum enim animus amore (spirituali) accenditur, similiter cor ardet; [2]) si desiderio animus agitatur, ipsum quoque cor vehementer movetur; si animus gaudio perfunditur, etiam cor voluptatis sensu afficitur; si contingat animum moerore vel timore confici, cor simul frigescit et constringitur. [3]) Probatur b) exemplis Sanctorum, in quorum cordibus affectus mirabiles vehementia divini amoris produxit, ut in corde s. Philippi Nerei, s. Gertrudis, s. Theresiae etc. [4]) Confirmatur c) ex s. scriptura: „*Cor meum conturbatum est.*" Psalm. 39. 11. „*Inflammatum est cor meum.*" Psalm. 72. 21. „*Defecit caro mea et cor meum.*" Psalm. 72. 26. „*Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*" Psalm. 77. 37. „*Cor nostrum dilatatum est.*" 2. Cor. 6. 11. Et similia multa in libris divinis leguntur. — Itaque cor humanum est symbolum amoris, quia amor in corde physico producit affectiones sensibiles, quae affectibus spiritualibus, quos in animo progignit, similes sunt, atque illos affectus animi in corde simul manifestat testatosque facit.

Dico 2. *Cor humanum est sedes amoris,* eatenus quidem, quatenus amor spiritualis ex animo in cor redundat, hocque maxime afficit et possidet, ideoque non tantum in animo, sed quodammodo in corde simul continetur; et cor numquam non consideratur tamquam organum, quo sese praecipue manifestat. Nonne omnium consensu amor repraesentatur per cor flammis succensum? Imo tanta

---

[1]) Sic Conc. Trid. Sess. 13. cap. 3. Sacramentum vocat *symbolum rei sacrae,* i. e. signum sensibile gratiam sanctificantem quadam similitudine denotans seu declarans.

[2]) S. Thomas: „naturale est cordi amando ardere." De dilect. Dei cap. 19.

[3]) Idem 1. 2. q. 38. a. 5.

[4]) Vid. Nilles op. c. pag. 134—135.

est in communi hominum aestimatione cordis cum amore conjunctio, ut amor cordis vocabulo exprimi soleat. Ipse Apostolus ad Philipp. 1. 7. scribit, *se habere eos in corde,* nempe amore seu dilectos.

Haec autem, quae dicta sunt de corde humano, conveniunt etiam Cordi Jesu, utpote humano, et maxime omnium ipsi conveniunt (ut merito cl. Nilles observat), utpote humanissimo et praecipua quadam ratione ad amandum conformato. Ergo *Cor Jesu corporeum est symbolum ipsius amoris, sedes charitatis;* id quod insuper Sedis Apostolicae judicio invicte confirmatur, ut mox videbimus.

His ad explicandam rem, de qua agitur, necessario praemissis, sit

5. — **Thesis I.** *Objectum cultus publici ac festi ss. Cordis Jesu est Cor Jesu corporeum et vivum, cum ipsius anima et divina persona unitum.* Probatur 1. Ecclesia illud Cor tamquam objectum cultus et festi proposuit, ad cujus cultum instituendum et promovendum B. Margarita Maria Alacoque divinitus erat electa. Atqui electa erat ad Cordis veri Christi Domini cultum excitandum, quod patet ex dictis n. 2. Detegens enim Jesus Cor suum dixit illi: *Vides Cor meum* (carneum). Probatur 2. ex Bulla dogmatica Pii VI. *Auctorem fidei* die 24. Aug. 1794., in qua prop. 63. contra inanes Jansenistarum cavillationes Summus Pontifex Cor verum seu physicum Jesu seu Cor personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, tamquam objectum cultus publici ac festi hujus tuetur; aliisque missis, quae vir doctissimus *Nilles* solerter collegit, [1]) noster Sanctissimus Pater Pius IX. in Brevi Beatif. Ven. Marg. M. Alacoque die 19. Aug. 1864. de eodem objecto sic loquitur: *„Ecquis enim tam durus ac ferreus sit, quin moveatur ad redamandum Cor illud suavissimum transfixum ac vulneratum lancea?"* Quod Cor utique est physicum corporis.

6. — **Thesis II.** *Objectum cultus publici ac festi ss. Cordis Jesu est simul infinitus Domini nostri amor.* Videlicet amor, quo tot tantaque pro nobis operatus est, exemplum omnium virtutum se praebuit, et potissimum, quo pro generis humani redemptione passus et mortuus est, atque in suae mortis commemorationem instituit Sacramentum Corporis et Sanguinis sui. Probatur 1. Cultus publicus ss. Cordis Jesu ab Ecclesia institutus nititur revelationi beatae Margaritae divinitus factae. Atqui Jesus illi ostendit Cor amore hominum

[1]) In opusc.: Cor Jesu, symbolum caritatis pag. 15—21.

succensum. *Vides,* inquit, *Cor meum: Cor illud tanto hominum amore succensum.* Probatur 2. ex Rescripto S. R. C. ad episc. Poloniae die 6. Febr. 1765. dato, in quo edicitur, per hujusmodi cultum *symbolice renovari memoriam illius divini amoris, quo Unigenitus Dei filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem, praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis corde;* constat etiam ex Officio divino, [1]) ex declaratione S. P. Pii VI. in literis ad Scipionem de Ricci die 29. Junii 1781. datis, ubi dicitur, *substantiam hujus devotionis eo spectare, ut in symbolica Cordis imagine immensam caritatem, effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur;* aliisque silentio praetermissis, [2]) confirmatur quoque ex Decreto S. P. Pii IX. die 23. Aug. 1856. de extensione festi ss. Cordis, in quo declarat, *se festum in honorem sanctissimi Cordis Jesu (a Clemente Papa XIII. nonnullis ecclesiis celebrari permissum ad immensam divini hujus Cordis caritatem recolendam), idcirco in universa Ecclesia quotannis agi mandasse, quod nova cuperit praebere incitamenta fidelibus ad amandum, redamandum, amplectendum vulneratum Cor ejus, qui dilexit nos* etc.

7. — **Thesis III.** *Nec Cor Jesu physicum solum, neque charitas ejus sola et in se absolute spectata, sed utraque haec res indivisim connexa,* videlicet: *Cor Jesu, quatenus est symbolum et Sedes infinitae ipsius charitatis, Cor Jesu charitate flagrans, charitatis flagrantissimae victima,* — vel *charitas Jesu in corporeo ipsius Corde symbolice expressa, charitas Jesu in ipsius Corde ardens,* — *est objectum devotionis, qua publice Cor Jesu ab Ecclesia colitur.* Probatur 1. Ecclesia illum Cordis divini cultum publicum instituit, ad quem inducendum B. Margarita ab ipso Jesu erat electa. Ostendit autem illi *Cor carneum hominum amore succensum,* et Cordi huic colendo voluit festum dedicari. Vid. n. 2. Probatur 2. ex omnibus illis Sedis Apostolicae Decretis jam supra relatis, in quibus enuntiatur, festum ss. Cordis institutum esse ad *charitatem Jesu sub sanctissimi Cordis symbolo* vel *in symbolica Cordis imagine recolendam,* praesertim exinde, quod S. P. *Pius IX.* in Brevi Beat. die 19. Aug.

[1]) Dicitur in Lect. 6. festi, hoc institutum esse, *ut charitatem Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis, atque in suae mortis commemorationem instituentis Sacramentum Corporis et Sanguinis sui fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius et ferventius recolant.*

[2]) De quibus Nilles: Cor Jesu, caritatis symbolum, pag. 21. et seq.

1864. tamquam objectum hujus cultus designat *sacratissimum Cor Jesu, transfixum ac vulneratum lancea, humanum erga genus caritatis igne flagrans, divinae caritatis Sedem;* et in encycl. die 8. Dec. 1864. *dulcissimum Cor, flagrantissimae erga nos charitatis victimam.* Et jam pridem, cum nonnulli ex dictionibus *Cordis symbolum, symbolica Cordis imago,* colligendum putarent, objectum cultus ac festi Cordis Jesu in solo amore divini Redemptoris collocandum esse, Sancta Sedes novum Officium ss. Cordis pro Portugallia approbavit 1799., in quo Cor verum Salvatoris clarius exprimeretur, cum in Invitatorio dicatur: *Cor Jesu, caritatis victimam, venite adoremus.* [1])

8. — *Cor Jesu physicum* (symbolum charitatis) etiam in se infinita veneratione dignum et *cultu latriae* adorandum est, quia est *Cor personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est,* seu propter hypostaticam ejus cum Verbo conjunctionem. [2]) Pius VI. *Auctorem fidei* in prop. 63. Festo autem ab Ecclesia colitur *in se* et prout est *Sedes* et *symbolum charitatis, flagrans charitate* etc., ut supra probavimus.

Possunt ad Ipsum ss. Cor Jesu preces immediate dirigi. Cum enim illud inseparabiliter personae divinae Christi unitum sit, ita ut in illo sit ipse Christus Dei filius: ideo oratio, quae ad Cor Jesu dirigitur, eodem actu ad ipsum Christum Dei filium dirigitur. Adoratur et exoratur persona Christi in Corde suo.

9. — Disceptant Theologi, quod *potius* sit in hoc cultu, utrum Cor Jesu materiale, an charitas in illo contenta et symbolice monstrata. Alii Cor physicum dicunt objectum primarium cultus, alii amorem. Videtur utrumque sub diversa ratione dici posse. 1. Puto Cor verum divini nostri Redemptoris esse primarium in hoc cultu, quatenus primum se offert considerandum et colendum, ut per visibile hoc objectum ad invisibile, nempe immensam charitatem, quae in Corde illo symbolice adumbratur, meditandam et redamandam ascendamus (juxta quod in Praefatione dicitur: *Ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur*), porro quatenus ipsum Christi amorem non meditamur simpliciter atque in se, sed sub symbolo ejus Corde, ita ut omnis cultus ad Cor verum et carneum Jesu redeat; et nonne a Corde proprie dicto devotio et festum nomen traxit? Puto 2. immensum amorem, quo Cor Jesu ardet (indivisum cum Corde ipso), esse primarium in hoc cultu, quatenus festum ab Ecclesia institutum est ad immensam hujus Cordis charitatem pie meditandam et recolendam; ut patet ex Ecclesiae documentis n. 6. relatis.

---

[1]) Nilles: De rationibus festorum etc. pag. 109.

[2]) De dignitate ss. Cordis Jesu vid. auctor praelaudatus pag. 41—43.; 114—117. S. Thomas: „Dignitas carnis Christi non est existimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumentem, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habet dignitatem infinitam." 3. q. 48. a. 2. ad 3.

C. Finis et fructus hujus devotionis.

10. — Finis devotionis erga ss. Cor Jesu ac ejusdem festi potissimum duplex est: 1. ut immensum Christi amorem, quo ardet Cor ejus, pie recolentes ad redamandum hoc Cor suavissimum accendamur, atque ejusdem fructus uberius percipiamus; [1]) 2. ut injurias eidem amantissimo Cordi ab ingratis hominibus, praesertim in ss. Eucharistiae Sacramento, illatas dignis obsequiis compensare studeamus. [2])

Hunc autem amorem amabilissimo Cordi exhibere possumus: 1. dum saepe memores sumus ss. Cordis Jesu nos immense, plusque nos amantis, quam ipsi nos diligere valemus. [3]) — 2 dum in hoc Corde habitare seligimus omnibus diebus vitae nostrae, videlicet cogitationes nostras et affectus omnes, intellectum, memoriam, voluntatem, et libertatem omnem, nosmet totos ss. Cordi offerendo et consecrando; [4]) — 3. dum nobis est idem velle et nolle cum illo, nempe peccata omnia, utpote sanctissimo Cordi alienissima, detestando et e cordibus nostris evellendo, virtutes sanctissimi Cordis imitando et in cordibus nostris fideliter depingendo [5]); — 4. dum in eodem gaudemus et contristamur cum Corde Jesu, nimirum exultando de infinitis ejus perfectionibus, deque honore et amore, quem eidem exhibent animae piae et devotae, e contra dolendo de nostris aliorumque peccatis, et voluntaria expiatione satisfaciendo Cordi Jesu injuriis afflicto. — Haec quippe exercitia amoris sequuntur ex indole amoris, cui proprium est amantem unire cum amato, mente et corde coll. §. 17., et ad hoc tandem deducent, ut jam *in nobis ipsis sentire possimus, quod est in Christo Jesu.*

11. — *Fructum* cultus interioris et exterioris, qui juxta Ecclesiae mentem Cordi Jesu exhibetur, universus orbis catholicus testatur. Ita in Officio divino festi B. Margaritae Mariae Alacoque die 17. Octobris verissime dicitur. Praeterquam enim, quod per hunc cultum non potest non charitas in divinum Redemptorem nostrum accendi, fiducia sancta roborari, [6]) studiumque imitandi virtutes ss.

---

[1]) Cf. Offic. festi. In Brevi Beatif. Vener. Marg. Mariae Alacoque dicitur: „*Hunc vero charitatis ignem ut magis incenderet, sanctissimi sui Cordis venerationem cultumque institui in Ecclesia voluit, ac promoveri.*"

[2]) Constat praesertim ex revelatione B. Margaritae a Christo facta, coll. n. 2.

[3]) S. Bernardus in Off. festi: „Ascendamus ergo ad te, et exultabimus, et laetabimur in te, memores Cordis tui."

[4]) In festo B. Margaritae M. Alacoque Ecclesia orat: „*Domine Jesu Christe, qui investigabiles divitias Cordis tui Beatae Margaritae Virgini mirabiliter revelasti, da nobis ejus meritis et imitatione, ut te in omnibus et super omnia diligentes jugem in eodem Corde tuo mansionem habere mereamur.*"

[5]) Oratio in festo ss. Cordis: „*Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari etc.*"

[6]) Pius IX. in Brevi Beatif. Vener. Marg. M. Alacoque dicit: „*Ecquis enim tam durus ac ferreus est, quin moveatur ad redamandum Cor illud suavissimum idcirco transfixum ac vulneratum lancea, ut animus ibi noster quoddam quasi latibulum ac perfugium habeat, quo se ab hostium incursione insidiisque recipiat ac tueatur.*"

Cordis continuo foveri: Jesus Christus ipse copiosissima gratiarum dona et beneficia quaevis piis Cordis sui cultoribus promisit, nec non historia simul atque experientia quotidiana testantibus largitus est et sine intermissione elargitur.

Gratiarum praemia a Christo cultoribus ss. Cordis sui repromissa.

Dixit B. Margaritae Mariae in revelatione supra relata: „*Spondeo, eos omnes, qui hoc honore Cor meum afficient, ipsius divini Cordis influxu coelestium donorum copia fore cumulandos.*"

Distinctius coelestium donorum plenitudinem exposuit his verbis: „*Cura, ut haec devotio ubique locorum innotescat, eamque hominibus summe commenda tamquam non modo tutum, sed etiam suave et admodum facile medium, verum Dei amorem consequendi.*"

„*Commenda sacerdotibus et religiosis, ut viam certissimam, qua ad status sui perfectionem perveniant.*"

„*Animarum pastoribus, ut instrumentum aptissimum, quo corda saxis duriora ad poenitentiae lacrymas emolliant.*"

„*Fidelibus omnibus, ut modum praestantissimum, quo de indomitis animi affectionibus plenum dominium reportent.*"

„*Quin imo genus religionis efficacissimum esse doce, quo pax inter dissidentes familias restitui, amor erga me qua calidissimus, qua tenerrimus accendi, denique et perbrevi tempore et ratione quam facillima virtutis apex obtineri possit.*"

Alia vice ipsi dixit: „*Nec mensuram ponam, nec terminum gratiis meis pro omnibus, qui eas quaerunt in Corde meo.*"

Rursus aperuit illi, „*se — Cor suum hominibus manifestare, huncque thesaurum amoris et misericordiae, gratiarumque omnium ad salutem et perfectionem conducentium reserare eo fine, ut quotquot huic sacrosancto Cordi debitam reverentiam et amorem adhibere vellent, infinitarum, quas complectitur, divitiarum participes efficerentur: affirmans praeterea, cultum illum peculiarem Cordi suo delatum sibi esse acceptissimum; et hinc velle se, ut imago Cordis sui coloribus expressa fidelium oculis palam exponeretur, quo emolliri eorum durities specie tam amabili posset: pollicens insuper eos omnes, qui talem imaginem peculiariter colerent, maximis gratiis ab hujus divinissimi Cordis plenitudine cumulandos.*" [1])

* Nilles S. J.: De rationibus festorum sacratissimi Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae. Ed. 2. (tertia exspectatur) Oeniponte 1869. Cor Jesu, divini Redemptoris nostri caritatis symbolum (selectis quibusdam annotationibus illustratum). Oeniponte 1872. Jungmann S. J.: Fünf Sätze zur Erklärung und zur wissenschaftlichen Begründung der Andacht zum heiligsten Herzen Jesu etc. Innsbruck 1869. Die Andacht zum heiligsten Herzen Jesu und die Bedenken gegen dieselbe. Innsbruck 1871. Hattler S. J.: Winke zur Einführung der Herz-Jesu-Andacht. (Der Sendbote des göttlichen Herzens Jesu. August, Sept., October). Catalogum plurimorum auctorum, qui de hoc cultu aliquid commentati sunt, invenies penes cl. Nilles in op. de rationibus festorum etc. supra commemorato.

---

[1]) Nilles op. saepe laudato pag. 210—215. Ephemerides relig. a P. Malfatti Oeniponte editae: *Der Sendbote des göttl. Herzens* plane abundant relationibus fide dignis beneficiorum, quae per invocationem et cultum ss. Cordis a fidelibus continuo impetrantur.

§. 43.

De devotione erga purissimum Cor B. Mariae Virginis.

1. — Cultu publico et festo ss. Cordis Jesu ab Ecclesia constituto, consequens erat, ut etiam cultus et festum Cordis Mariae institueretur; Filio enim suo conjunctissima et simillima est Virgo sanctissima. Ideo quoque evenit, ut paulo post libelli de cultu utriusque sacratissimi Cordis ederentur, altaria ss. Cordi Jesu et Mariae dicarentur, numismata imaginibus utriusque Cordis insignita divulgarentur; imo et confraternitates sub titulo Cordis Jesu et Mariae erigerentur indulgentiis a Sede Apostolica donatae. Postea etiam festum s. Cordis Mariae in pluribus Dioecesibus et Ordinibus religiosis celebrari coepit; idque S. R. C. die 31. Aug. 1805. et postea saepius expresse indulsit. Tandem S. P. Pius IX. per S. R. Congregationem die 21. Julii 1855. Officium proprium et Missam *purissimi Cordis B. Mariae Virginis* approbavit. [1])

2. — *Objectum* hujus cultus et festi est *purissimum Cor Virginis Mariae,* videlicet sacratissimum *Cor verum B. Mariae Virginis amore ardentissimo Dei et hominum succensum* seu *immensus amor, quo Cor Virginis ardet* seu *Cor B. Mariae Virginis carneum prouti est symbolum et sedes purissimi et ardentissimi amoris.* Probatur 1. S. R. Congregatio a. 1855. Officium novum approbavit juxta vota Consultorum. Jam vero in uno voto dicitur, a Sede Apostolica cultum Cordis B. Mariae Virginis probatum esse, ut *hoc titulo Cordis immensa ejus caritas erga Deum et effusus amor hominum* designetur. In altero voto proponitur in Officio ponendum epitheton *purissimum* (Cor), et eo explicatur, quod *sacratissimum Cor Mariae Virginis considerandum sit tamquam sedes omnium perfectionum purissimarum et tamquam symbolum purissimi et ardentissimi amoris,* quodque *perfectissima puritas revera hujus sacratissimi Cordis maxime propria esse videtur.* — Probatur 2. ex Missa et Officio hujus festi. Dicitur in Oratione una: „*Omnipotens, sempiterne Deus, qui in Corde B. Mariae Virginis dignum Spiritus sancti habitaculum praeparasti, concede propitius, ut ejusdem purissimi Cordis festivitatem devota mente recolentes* etc." Quibus verbis Cor verum, sed purissimum seu (juxta explicationem prius datam) purissimo amore succensum exprimitur. In Oratione

---

[1]) Haec et alia penes cl. Nilles op. c. P. II. pag. 301—341.

alia: *„Deus, qui B. Mariae Virginis Cor* — *ad imaginem divini Cordis Filii Tui Jesu Christi caritate et misericordia plenum esse voluisti* etc.“ Nec desunt aliae preces a Sede Apostolica approbatae, in quibus Cor Mariae simillimum Cordi Jesu dicitur vel etiam junctim cum Corde Jesu colitur; unde colligere licet, quoad objectum hujus cultus simile valere ac de objecto cultus ss. Cordis Jesu, hoc tamen discrimine, quod Cor B. Mariae Virginis tamquam sedes amoris erga Deum et homines consideratur. Porro in Officio festi Noct. II. Cor Mariae *fornax divini amoris, divino amore ardens* verbis s. Bernardini appellatur. Cultus, qui Cordi Mariae debetur, est cultus hyperduliae. Vid. §. 46.

3. — Finis devotionis erga purissimum Cor Mariae expressis verbis in Decretis Sedis Apostolicae non indicatur, attamen ex liturgia nec non ex occasione, qua institutum est festum, colligi potest. Et quidem finis 1) est, ut charitatem ineffabilem B. V. Mariae erga Deum et homines sub symbolo Cordis ipsius devota mente recolamus, et spem certissimam in ea repositam habentes ejus apud Deum patrocinia sentiamus; [1]) 2) ut imitatione et „per merita Cordis Mariae“ nostra quoque corda divini amoris flammis accendantur.

Fructus autem hujus cultus, ut jam ex ejusdem fine colligere licet, non possunt non saluberrimi esse; atque experientia testante devotio haec revera ubique fructus salutis amplissimos profert praesertim per sodalitatem sub invocatione purissimi Cordis Mariae *pro conversione peccatorum* Parisiis institutam.

Pia precatio. [2])

Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium, Cor immaculatum beatae Mariae Virginis divino Cordi Filii tui Jesu Christi caritate et misericordia simillimum esse voluisti: concede, ut qui hujus dulcissimi et amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem beatae Virginis meritis et intercessione, secundum Cor Jesu inveniri mereamur. Per eundem Dominum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

---

[1]) Consultor unus S. R. C. anno 1855. opportunitatem concessionis Officii ostendit, maxime quod aetate nostra Petri navis undequaque et raro exemplo saevis tempestatum fluctibus jactetur, ac proinde nunc, si unquam ante, validissimum B. Mariae Virginis patrocinium sit implorandum. Penes doct. Nilles pag. 336.

[2]) Ex lib. liturg. deprompta apud auctorem eundem pag. 374.

* Nilles S. J.: De rationibus festorum sacratissimi Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae. P. II. Ed. 2. Oeniponte 1869.

II. De adoratione Dei et cultu B. V. M. et Sanctorum.

§. 44.

Notiones praeviae.

Adoratio, quamvis *late* accepta sit quaecunque veneratio alicui exhibita propter ipsius excellentiam, [1]) *presse* tamen sumpta significat cultum supremum Deo debitum ob infinitam ipsius et absolutam excellentiam, atque *cultus latriae* etiam appellari solet; dum veneratio, quae alicui personae praestatur propter excellentiam humanam seu naturalem, nempe humanam dignitatem vel virtutem, vocatur *observantia humana*, porro cultus, qui Angelis et Sanctis debetur, dicitur *cultus duliae;* denique cultus, qui B. Mariae Virgini convenit, *cultus hyperduliae* appellatur.

§. 45.

De cultu latriae.

1. — Cultus latriae Deo, ipsique soli deferendus est 1) ex jure naturae, ob infinitam ipsius excellentiam atque supremum in creaturas dominium; 2) ex jure positivo divino, ut constat ex innumeris s. scripturae locis e. g.: *„Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.“* Matth. 4, 10. Signum divini cultus proprium est sacrificium; alia signa cultus, ut e. g. capitis inclinatio, genuflexio, incensum, indifferentia sunt, quae ad certum cultum sive latriae sive duliae etc. determinantur vel ex speciali praescripto vel communi usu vel ex intentione agentis.

2. — Exponere superfluum foret, cultu latriae etiam humanam Christi naturam esse adorandam, propter unionem hypostaticam humanitatis Christi cum ejus divinitate. Nec edisserere necesse est, ex praescripto Concilii Tridentini (Sess. 25.) *imagines Christi* (ut et B. Virginis et Sanctorum) in templis praesertim esse habendas et colendas, ita tamen, ut per imagines, quas colimus, Christum ipsum adoremus; itemque *Cruci dominicae* nec non *ejus imagini* cultum religiosum deberi, qui est adoratio ipsi Christo indirecte exhibita. Haec enim omnia ad Theologiam dogmaticam pertinent. Ex tantum,

---

[1]) Quo sensu latiori illa vox frequenter in libris divinis occurrit.

quae de externo cultu Cruci Domini exhibendo Ecclesiae leges specialiter statuunt, hic adnotentur.

Reliquiae Crucis verae D. N. non debent promiscue cum Sanctorum reliquiis reponi, sed in thecis separatis collocandae sunt. Congr. Ind. 22. Febr. 1847.

Si reliquia s. Crucis super altari fuerit exposita, transeuntes ante illam unico genu usque ad terram flexo venerari debent, ut decretum est Nonis Maji 1746., sola vero capitis inclinatione, si praefata reliquia recondita sit in custodia, ut patet ex Decr. C. R. 18. Febr. 1843.

§. 46.

De cultu hyperduliae.

1. — Cultus hyperduliae merito debetur B. Virgini Mariae, ob singularem ac prorsus ineffabilem excellentiam, qua omnes Sanctos et Angelos superat, et qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. [1]) Ideo *omni laude dignissima* ab Ecclesia praedicatur.

2. — Ad excellentiam illam, qua B. V. Maria omnes immense transcendit creaturas, atque cultum hyperduliae meretur, pertinent:

1. Dignitas ineffabilis, qua ut Dei mater excellit. *„Haec est Virginis nostrae gloria, haec singularis et excellens praerogativa Mariae, quod filium unum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem.“* Ita s. Bernardus. [2]) *„Beata Virgo ex hoc, quod est mater Dei, habet quamdam d i g n i t a t e m i n f i n i t a m, ex bono infinito, quod est Deus.“* Ita s. Thomas. [3]) *Maternitas divina quodammodo ad ordinem unionis hypostaticae pertinet.* Ita s. Alphonsus. [4])

2. Praerogativae plane singulares cum divina ipsius maternitate intime conjunctae, nimirum ipsius praedestinatio ante omnem creaturam, immaculta Conceptio, perpetua Virginitas, gratiarum plenitudo, super choros Angelorum exaltatio, et cum Christo super omnes creaturas dominatio. Maternitas quippe divina est radix et causa ceterarum omnium perfectionum et gratiarum, quibus Maria fuit cumulata. Quia namque Dei mater est, ideo praecognita et praede-

[1]) Pius IX. in Bulla dogm. de immac. Virg. conceptione.

[2]) De Annuntiat. B. Mariae Virg. Serm. 2. n. 2.

[3]) Summa Theologica 1. q. 25. a. 6. ad 4. Idem s. A l p h o n s u s, S u a r e z, aliique affirmant.

[4]) Le Glorie di Maria P. II. disc. 4. p. 2.

stinata ante omnem creaturam, ita ut post Christum sit causa finalis totius mundi; etenim propter Filium et propter matrem simul mundum conditum esse, indicant illa Sapientiae (Eccli. 24. Prov. 8.) loca, quae ab Ecclesia s. Mariae constanter adaptantur. [1]) Quia Dei mater, ideo sine labe originali concepta et tota pulchra, [2]) ideo semper Virgo, ideo gratia plena, longe ante omnes angelicos spiritus, cunctosque Sanctos coelestium omnium charismatum copia mirifice cumulata, [3]) ideo super choros Angelorum exaltata [4]) et regina mundi. [5]) *„O admirandam et omni honore dignissimam Virginem! Hanc certe nec hominum lingua, nec sublimior angelorum mens sat dignis laudibus efferre potest.“* [6])

3. Virtutes splendidissimae, quibus omnes homines, beatos simul omnes spiritus longissime superat. Haec enimvero beatissima Virgo est *tota pulchra, una formosa, una perfecta.* Cant. 2. 10.; 6. 8., ita, ut *nec filius alius talem virginem, nec talem filium decuerit*

[1]) S. Alph. op. c. P. II. disc. 4. p. 3.

[2]) Ecclesia enim sic orat: *„Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti* etc.“

[3]) S. P. P i u s IX. in Bulla dogmat. S. T h o m a s dicit: „Quanto quid magis appropinquat principio in alio genere, tanto magis participat effectum illius principii. — Christus autem est principium gratiae, — unde Joa. 1. dicitur, gratia et veritas per Jesum Christum facta est: beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea recepit humanam naturam. Et ideo prae ceteris majorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere.“ 3. q. 27. a. 5. c. S. B o n a v e n t u r a scribit: „Omnia charismata intrant in Mariam, flumen gratiae Patriarcharum, et Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratiae Apostolorum intrat in Mariam, flumen gratiae Martyrum, Confessorum, Virginum, Doctorum intrat in Mariam. Sed quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit.“ Speculum Virginis cap. 3. Hinc s. I l d e p h o n s u s dicit: „Ceteris electis *ex parte* data gratia, huic vero virgini *tota* se infundit *plenitudo gratiae.*“ Serm. 6. de Assumpt. p. 467. in Bibl. Vet. Patr. Tom. VII. Coloniae 1618. Idemque s. P e t r u s C h r y s o l o g u s Serm. 174., s. B e r n a r d u s aliique habent. Unde passim docent Theologi, *quidquid alicui Sanctorum a Deo fuit indultum, id B. Virgini, utpote Matri Dei, non fuisse negatum, imo plenius, quam ulli concessum.*

[4]) En Ecclesiae congratulatio: *„Beata es, virgo Maria, Dei genitrix, quae credidisti Domino: perfecta sunt in te, quae dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum.“* In festo Assumpt.

[5]) S. J o a n n e s D a m a s c. ait: „Maria omnibus rebus conditis dominatur, *velut Dei mater*, qui creator est et Opifex, rerumque omnium imperio potitur.“ Oratio 2. de Assumpt. Dei genitricis p. 597. in op. ed. per Jac. Billium Parisiis 1619. B. Virgo, jam ex maternitate divina, constituta Regina et Domina totius mundi, post assumptionem praesertim in hujus juris exercitium intravit. Ita s. A l p h. op. c. P. I. c. 1. P. II. disc. 8. p. 1.

[6]) S. B e r n a r d u s: Super *Missus est* Homil. 2. n. 3. S. J o a n. D a m a s c.: De dormit. s. Genitricis Dei Orat. 1. p. 580.

virgo alia. [1]) Decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret tam venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius. [2])

4. Privilegium singulare, quo est *mediatrix ad mediatorem, „thesauraria gratiarum, erogatrix munerum,“* ita nempe, ut omnia gratiarum dona atque beneficia per Christi quidem merita, sed per intercessionem simul sanctissimae Virginis a Deo nobis communicentur, quia sic est voluntas Dei, qui totum nos habere voluit per Mariam. Ast sententia haec, praeprimis a sancto Alphonso propugnata, infra §. 50. declarabitur.

3. — Ex his, quae de singulari excellentia et dignitate B. V. Mariae diximus, liquidissime patet, eam cultu hyperduliae omnino dignam existere. Et idcirco Ecclesia frequentius et instantius ad B. V. Mariam, quam ad Sanctos et Angelos orat, orationi Dominicae salutationem angelicam adjungit, singulis diebus publicas preces illi offert in horis canonicis, a fidelibus ter salutari vult publice dato signo campanae. Praeterea ad sanctissimam Virginem et Matrem singulariter colendam praescripsit profundiorem capitis inclinationem, dum ipsius nomen invocatur, in sacris faciendam; plures dies festos illi habet dicatos, atque sodalitates pias sub ejus titulo erectas fovet, commendat, indulgentiisque copiosis ditat.

Pia sancti Anselmi precatio. [3])

„Certe, Jesu fili Dei, et tu, Maria mater; et vos vultis et aequum est, ut quidquid vos diligitis, diligatur a nobis. Ergo, bone fili, rogo te per dilectionem, qua diligis matrem tuam, ut sicut tu vere diligis et diligi vis eam: ita et mihi des, ut vere diligam eam. Bona mater, rogo te per dilectionem, qua diligis filium tuum, ut sicut tu vere diligis et diligi vis eum; ita mihi impetres, ut vere diligam eum. Ecce enim peto, quod ut fiat, vere est in vestra voluntate. Cur ergo propter peccata mea non fiet, cum sit in vestra potestate? Amator et miserator hominum, tu potuisti reos tuos usque ad mortem amare: et poteris te roganti amorem tui et matris tuae negare? Mater hujus amatoris nostri, quae illum in ventre portare et in sinu meruisti lactare, an tu non poteris aut non

[1]) S. Bernardus: De Assumpt. B. V. M. Serm. 4. n. 5.

[2]) S. P Pius IX. in Bulla dogmat.

[3]) Oratio 51. ad sanctam Virginem Mariam.

volueris poscenti ejus amorem et tuum impetrare? Veretur igitur vos, sicut digni estis, mens mea; amet vos, sicut aequum est, cor meum; diligat vos, sicut sibi expedit, anima mea; serviat vobis, sicut debet, caro mea: et in hoc consummetur vita mea, ut in aeternum psallat tota substantia mea: Benedictus Dominus in aeternum. Fiat, fiat.“

§. 47.

De cultu duliae.

1. — Cultus Sanctorum consistit in eorum veneratione et invocatione. Porro Concilium Tridentinum (Sess. 25.) definivit, *bonum et utile esse, suppliciter eos* (nempe Sanctos una cum Christo regnantes) *invocare.* Simul declaravit, *reliquias Sanctorum esse venerandas atque etiam utiliter honorari, nec non Christi, Deiparae Virginis et aliorum Sanctorum imagines in templis praesertim esse habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, quae tamen veneratio ad prototypa referatur, quae illae repraesentant.*

Ast imagines *Beatorum* non possunt exponi in ecclesiis et oratoriis, inconsulta Sede Apostolica; et ubi indultum fuerit per Apostolicam Sedem, in pariete tantum, non in altari collocari possunt. Decr. Alex. VII. die 27. Sept. 1659. Licet autem imaginem alicujus Beati in altari exponere, ubi indultum fuerit, Missam de eodem Beato celebrare. S. R. C. die 17. April. 1660.

Reliquiae *Beati* non Canonizati publicae fidelium venerationi proponi, non tamen in solemnibus supplicationibus deferri possunt. Utrumque autem fieri licet cum reliquiis eorum, qui sunt canonizati.

2. — Porro non est permissum, superimponere Sanctorum reliquias pictasque imagines tabernaculo, in quo augustissimum Sacramentum asservatur, ita, ut idem tabernaculum pro basi inserviat, ut constat ex S. R. C. decreto generali 31. Martii 1721., quod etiam valet pro reliquiis ss. Crucis vel alterius instrumenti Dominicae Passionis publicae venerationi expositi, ut patet ex Decr. S. R. C. 12. Martii 1836. Nec licet ante tabernaculi ostiolum collocare alicujus Sancti reliquiam die, qua ejusdem festum colitur, ut habetur in Decr. S. R. C. 6. Sept. 1845.

3. — Homines, qui sanctitatis fama celebres e vita migraverint, cultu publico honorari nequeunt, nisi in album Sanctorum vel Beatorum relati fuerint. Quare non licet eis ecclesias vel altaria in ecclesiis erigere, vel publice eos in-

vocare in litaniis. Nec licet, ut Summus Pontifex Urbanus VIII. per decretum sub die 13. Martii 1625. editum et die 5. Julii 1634. confirmatum declaravit, quorumvis hominum cum sanctitatis seu martyrii fama defunctorum imagines publicae venerationi exponere, vel eorundem imagines aureolis aut radiis seu splendoribus adornare, vel ad eorum sepulchra lampades sive alia quaecunque lumina accendere, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur.

Non tamen prohibitum est, illorum imagines vel reliquias privatim asservare et venerari, quia talis cultus est omnino privatus.

III. De oratione.

§. 48.

De ejus notione, divisione et necessitate.

1. — Oratio latius accepta est quivis pius animi affectus in Deum et supernaturalia, quo sensu s. Joannes Damascenus ait: „*Oratio est ascensio mentis in Deum.*“ [1]) Strictius accepta oratio est *petitio decentium a Deo,* ut idem Sanctus tradit, [2]) quem alii communiter sequuntur. [3]) Ad orationem duo actus concurrunt: *Primus* est desiderium, quo bonum aliquod nobis aliisve conferri aut malum averti cupimus. *Secundus* est hujus desiderii explicatio seu significatio ad aliquid a Deo obtinendum, et haec nihil aliud est, quam petitio; unde dicitur in Psalm. 10. 17. „*Desiderium pauperum exaudivit Dominus,*“ cum nimirum petitio quodammodo sit desiderii interpres, ut id explicat Angelicus Doctor, [4]) et pari ratione Patres dicunt, orationem esse conversationem, sermocinationem, colloquium cum Deo, ut s. Gregorius Nyss., [5]) s. Joa. Chrysostomus [6]) et alii. Primus actus est causa orandi, secundus oratio ipsa. Et ideo consequenter oratio dicitur *actus rationis,* quia licet ad orandum remote concurrat appetitus seu affectus desiderando, proxime tamen et principaliter concurrit intellectus desiderium explicando et proponendo. [7])

[1]) Lib. 3. de fide orthod. cap. 24.

[2]) l. c. Similiter s. Basilius in Orat. in Julittam Martyr. ait: „Oratio est boni cujusdam petitio, quae a piis ad Deum effunditur.“ S. Greg. Nyss.: „*Oratio est petitio bonorum, quae Deo cum supplicatione offertur.*“ Or. 1. de Oratione Dominica.

[3]) S. Thom.: 2. 2. q. 83. a. 1. c. Lessius, Suarez, Laymann, Collet etc.

[4]) 2. 2. q. 83. a. 1. ad 1.

[5]) Orat. 1. de Oratione Dominica: „Oratio est conversatio, sermocinatioque cum Deo.“

[6]) Homil. 30. in Gen. „Oratio colloquium est cum Deo.“

[7]) S. Thomas: 2. 2. q. 83. c. 1. Bellarmin.: De bonis operibus in particulari Lib. 1. cap. 1. et alii contra alios, qui dicunt, orationem esse actum voluntatis.

2. — Oratio est 1) *mentalis* vel *vocalis,* prout fit sola mente, vel simul ore; unde oratio vocalis nulla est oratio sine mentali, nec prodest strepitus oris muto corde Joan. 4. 24. Est 2) *publica* vel *privata,* prouti fit a publico ministro, auctoritate et nomine Ecclesiae, vel a persona privata et privato nomine.

PROPOSITIO.

Oratio omnibus adultis necessaria est ad salutem tum necessitate praecepti, tum etiam, saltem communiter, necessitate medii.

3. — Negarunt hanc veritatem 1) Pelagiani, qui sublata gratiae necessitate, consequenter necessitatem orationis evertebant, quare s. Augustinus inter praecipuos Pelagianorum errores posuit, quod destruerunt orationes Ecclesiae. [1]) Itemque 2) Wicleffitae, qui de bonis operibus interpretabantur, quaecunque in scripturis leguntur de necessitate orationis, adeo, ut juxta eos orare nihil aliud esset, quam bene operari. 3) Eandem doctrinam vesana impietate impugnant Deistae, quod mirum non est; quia cum e medio tollant providentiam Dei erga res humanas, consequenter necessitatem orationis admittere nequeunt. Quid enim prodest orare, si Deus nostra non curat? — 4) Inter errantes de orationis necessitate etiam referendus est Michaël Molinos, qui inter propositiones ab Innocentio XI. a. 1687. damnatas hanc sub num. 14. asseruit: *Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio: — et est velle, quod divina voluntas nostrae conformetur: et illud Evangelii,* Petite, et accipietis, *non est dictum a Christo pro animabus internis.* Adversus istos omnes igitur

4. — Dico I. *Oratio omnibus adultis necessaria est necessitate praecepti.* Constat ex divinis literis. Christus enim dicit: „*Vigilate et orate*“ Matth. 26. 41. „*Oportet semper orare et non deficere.*“ Luc. 18. 1. Apostolus Paulus ait: „*Sine intermissione* orate.“ 1. Thess. 5. 17. „*Orationi instate, vigilantes in ea*“ Coloss. 4. 2. Atqui haec verba: *orate, oportet orare, orationi instare,* praeceptum indicant, ut omnes Catholici interpretantur. Et s. Petrus 1. 3, 7.; 4. 7. et s. Joannes 1. 3, 22.; 5. 14. 16. christianos hortantur ad salutarem orandi necessitatem. Idem ss. Patres [2]) et Theologi [3]) unanimi sen-

[1]) In Libro de haeres. c. 88., et in epist. 106. ad Paulinum.

[2]) E. g. sanctus Augustinus sic scribens: „Quam sit saluti nostrae perniciosum atque contrarium, ipsi religioni, qua imbuti sumus, et pietati, qua Deum colimus, adversum, ut Dominum non rogemus, verbis explicare non possumus.“ Lib. 2. de peccat. meritis et remiss. c. 2. n. 2.

[3]) S. Thomas: 2. 2. q. 83. a. 2. — Suarez: Tom. II. de virtute et statu religionis Lib. I. cap. 29. Laymann: Theol. mor. Lib. 4. Tract. 1. cap. 1. n. 2. Lessius: De justitia ceterisque virtut. cardin. Lib. 2. cap. 37. Dub. 3. Reiffenstuel, Reuter, Voit, Scavini, Gousset, Gury, Kenrick etc.

tentia tradunt. — Ipsa etiam Ecclesia orandi necessitatem ostendit illo Dominicae precationis quasi proëmio: *„Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere."* — Accedit ratio sequens: Quod necessarium est necessitate medii, est etiam necessarium necessitate praecepti, ut tradit d. Thomas,[1] et est quasi axioma communiter receptum; praecipit enim Deus, ut mediis ad salutem necessariis utamur. Atqui oratio necessaria est necessitate medii, ut mox probabimus. Ergo.[2] — Praeceptum orandi non est mere positivum, sed naturale, ut communiter tradunt,[3] adeoque semper viguit.

Dico II. *Oratio necessaria est, omnibus adultis, saltem communiter, necessitate medii ad salutem.* Etenim a) illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo, attento providentiae divinae ordine, salus obtineri non potest. Atqui sine oratione obtineri non potest salus. Haec enim non obtinetur nisi per gratiam: porro oratio medium est ad gratiam obtinendam necessarium, ut patet ex verbis Christi: *„Petite et dabitur vobis, quaerite, et invenietis, pulsate et aperietur vobis."* Matth. 7. 7. Luc. 11. 9. *„Petite et accipietis"* Joa. 26. 24., et ex verbis Apostoli: *„Non habetis propterea, quod non postulatis."* Jac. 4. 2. Ergo oratio necessitate medii necessaria est ad salutem. — b) Idem habent ss. Patres. Inprimis hîc commemorari debent s. Augustinus et s. Hieronymus, qui impugnantes Pelagium sentiunt, tam necessariam esse orationem ad salutem, quam est necessarium divinum auxilium; est autem de fide certum, auxilium Dei esse necessarium ad salutem; ergo eodem modo necessaria oratio est juxta sententiam dictorum Patrum.[4] — c) Non minus clare hanc veritatem propugnant Scholae magistri,[5] praeeunte Angelico Doctore, qui scribit: *„Ad orationem quilibet homo tenetur ad bona spiritualia procuranda, quae nonnisi divinitus dan-*

---

[1]) 2. 2. q. 2. a. 5.: q. 3. a. 2.; 3. q. 68. a. 1.

[2]) Suarez: Tom. II. de virtute et statu religionis Lib. 1. cap. 29. Laymann: Theol. mor. Lib. 4. Tract. 1. cap. 1. n. 2. Collet: Tractat. de Religione Par. II. cap. 2. art. 2. n. 25.

[3]) Vide Suarez: l. c. n. 3. et 4. Laymann l. c.

[4]) Sic argumentatur Suarez op. c. Lib. 1. cap. 28. n. 3.

[5]) Suarez: Tom. II. de virtute et statu religionis Lib. 1. cap. 28. Bellarmin.: De bonis operibus in particulari Lib. 1. cap. 3. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinal. Lib. 2. cap. 37. Dub. 3., ubi n. 10. ait: *„Fide tenendum, orationem adultis ad salutem esse necessariam."* Laymann: Theol. mor. Lib. 4. Tract. 1. cap. 1. n. 2. Collet: Tract. de Religione Par. II. cap. 2. art. 2. n., 25., et alii. Praecipue s. Alph.: Vom Gebete cap. 1.

tur: unde alio modo procurari non possunt, nisi ab ipso petantur."[1]) — d) Haec denique doctrina deducitur ex Concilii Trident. verbis: *„Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet et facere, quod possis, et petere, quod non possis."* (Sess. 6. cap. 11.) Quibus verbis significatur, petitionem auxilii divini esse tam necessariam, quam impletionem mandatorum, quia sine illa nobis esset impossibile, servare omnia mandata.[2]) Et e) Catechismus ad Parochos docet: *„— quum nihil cuique debeat Deus: reliquum profecto est, ut, quae nobis opus sunt, ab eo precibus expetamus; quas preces tamquam instrumentum necessarium nobis dedit ad id, quod optaremus, consequendum."*[3]) — Accedit f) ratio theologica. Operatur Deus per causas secundas, quoad commode fieri potest. Cum ergo possimus saltem orando cooperari ad salutem, postquam per gratiam praeventi sumus, hanc cooperationem merito a nobis exigit. Praeterea, sicuti in adultis ad consequendam gloriam est necessarium meritum, et ad consequendam gratiam sanctificantem est necessaria dispositio: ita convenienter ad obtinenda divina auxilia opportuna est necessaria oratio. Ita Suarez.[4])

Dixi: *communiter saltem* necessaria est oratio necessitate medii ad salutem; quia quandoque Deus pro nimia sua bonitate et abundante liberalitate gratias etiam non petitas solet hominibus elargiri; unde s. Augustinus ait: *„Constat, Deum non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus praeparasse, sicut usque ad finem perseverantiam."*[5])

Inprimis Deus omnibus hominibus semper dat gratiam, qua possunt actu orare, si velint; ope autem orationis omnes possunt obtinere omnia ad servanda mandata et salutem consequendam auxilia necessaria. Quam doctrinam sapienter firmiterque evincit s. Alphonsus[6]) contra Jansenium commentientem, multis deesse gratiam, qua possint precari, adeoque iisdem etiam deesse gratiam (ope orationis impetrandam), qua Dei praecepta possibilia fiant.[7])

5. — Praeceptum orandi obligat *frequenter,* ut patet ex textibus superius relatis, non tamen sine intermissione, quod plane ex-

---

[1]) In 4. Sent. Dist. 15. q. 4. a. 1.

[2]) Sic Suarez op. cit. Lib. 1. cap. 28. n. 3.

[3]) Par. 4. cap. 1. quaest. 3.

[4]) l. c. n. 5.

[5]) Lib. 2. de bono perseverantiae cap. 16. V. etiam d. Thom. 2. 2. q. 83. a. 2. ad 3.

[6]) Vom Gebet, II. Th. c. 3. et 4.

[7]) De gratia Christi lib. 3. c. 13. et 14.

cedit humanam imbecillitatem. Verba: *Oportet semper orare, sine intermissione orate*, ex communi Doctorum interpretatione non continuationem temporis, sed orationis instantiam tempore opportuno, vel statutis horis significant, ita ut numquam cessemus ex taedio vel animi dejectione ab oratione peragenda; vel etiam indicant, actiones nostras generatim ad Deum esse dirigendas.

Obligat autem hoc praeceptum tum per se, tum per accidens.

Obligat *per se:* 1) initio vitae moralis, quando scilicet homo usum rationis adipiscitur, 2) in periculo mortis, et 3) saepe in vita, nempe juxta alios saltem semel in anno, secundum alios semel in mense, sub gravi. Porro obligatio est orandi mane et vespere, sub veniali, tum, quia sic fert fidelium consuetudo, quae est tam antiqua, quam Ecclesia; tum, quia singulis diebus indigemus auxiliis divinis; tum quia per petitionem Dominicae orationis: „*panem nostrum quotidianum da nobis hodie*" insinuatur quotidie a singulis ad Deum esse orandum.[1]) Multi negant, adesse obligationem, preces matutinas aut vespertinas peragendi, attamen advertunt, raro aliquam abesse negligentiae culpam. Non desunt, qui obligationem statuunt, ante et post mensam Deo gratias debitas rependendi.[2])

Obligat *per accidens:* 1) quoties urget aliquod praeceptum, quod impleri non possit absque oratione v. c. susceptio Eucharistiae, 2) quando gravis insurgit tentatio, praesertim contra castitatem, 3) in publicis calamitatibus, et 4) quoties aliquod auxilium divinum speciale videtur nobis necessarium.

§. 49.

Orationis effectus.

PROPOSITIO.

Tres sunt primarii orationis effectus, satisfactio, meritum et impetratio.

1. — Primus orationis effectus est *satisfactio* pro peccatis. Etenim ea opera bona sunt satisfactoria, quae sunt laboriosa et carnis afflictiva. Atqui nemo negabit, quin sit oratio inter illa opera numeranda, cum satis constet, orationem non tantum bonam, sed

[1]) Sic Catechism. Romanus: Par. IV. cap. 13. q. 17. Lessius: De justitia etc. Lib. 2. cap. 37. Dub. 4. n. 17. Stapf: Tom. II. §. 209. Gousset: n. 410.

[2]) Vid. Elbel: De virt. relig. n. 400. Martin Lehrb. der kath. Moral §. 207.

etiam laboriosam, fatigiosam esse: „*Frequens meditatio carnis est afflictio.*" Eccl. 12. 12. Hinc Concilium Trid. Sess. 14. can. 13. inter opera satisfactoria orationem collocat.

Secundus effectus est *meritum.* Oratio enim, sive impetret, quod postulat, sive non impetret, semper est meritoria majoris gratiae et gloriae, quando ab homine justo, et sicut oportet, funditur: „*Tu autem*, Christus inquit, *cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*" Matth. 6. 4. Quo loco Dominus ostendit, orationem esse opus bonum, cui, si bene fiat, merces a Deo debetur: ex quo fit, ut sit meritoria, cum merces merito respondeat.[1])

Tertius effectus est *impetratio*, quae est effectus soli orationi proprius, siquidem cum ceteris operibus bonis id commune habet, quod sit meritoria et satisfactoria.

2. — Ecquidem *oratio debitis peracta conditionibus efficaciam impetrandi habet infallibilem ex Dei promissione.* Dicitur enim: „*Invoca me in die tribulationis, et eruam te.*" Psalm. 49. 15. „*Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum.*" Isai. 58. 9. „*Eritque, antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.*" Isai. 65. 24. „*Petite et accipietis.*" Joa. 16. 24. „*Petite et dabitur vobis. Omnis, qui petit, accipit.*" Luc. 11. 10. „*Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*" Joa. 16. 23. Unde s. Augustinus: „*Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio.*" S. Basilius: „*Per orationes purissimas omnia nobis, quae sunt utilia, tribuuntur a Domino: et cuncta, quae noxia sunt, procul dubio effugantur.*"[2]) Similiter et alii ss. Patres.

Imo digne et devote orantes multo plus impetrant, quam postulant: quod et Apostolus testatur Ephes. 3. 20., et illa prodigi filii similitudo Luc. 15. declarat.[3])

Conditiones autem requisitae sunt, ut fiat oratio 1) pie, attente et devote, 2) cum humilitate et fiducia, 3) cum perseverantia, 4) de rebus vere necessariis et utilibus.[4]) Primum quod omnino et sine condi-

[1]) Ad quid autem valebit oratio peccatoris? — Docet Angelicus, bona omnia (ergo etiam orationem) peracta a fidelibus in statu peccati ad triplex bonum valere, nempe 1) ad assuefactionem bonorum operum, 2) ad temporalium consecutionem, et 3) ad dispositionem ad gratiam. Suppl. q. 14. a. 4.

[2]) Admon. ad fil. spirit.

[3]) Catechism. ad Parochos P. IV. cap. 2. q. 5.

[4]) Unde Ecclesia orat: „Pateant

tione optandum, quaerendum, postulandum, est Dei gloria, et deinceps omnia, quae summo illi bono conjungere nos queant, ut fides, amor Dei. Corporis bona petenda sunt necessitatis causa, ut possimus in Dei servitio sustentari. Honorem, ingenii et doctrinae bona petere licet ea tantum conditione, si nobis ad Dei gloriam et salutem profutura sint. [1]) Etiam mala temporalia, quae non sunt peccata, ut e. g. infirmitas, humiliatio, peti licite possunt ex recto fine, uti ad virtutes excolendas et perficiendas, ad tentationes supprimendas; dicit enim Angelicus generatim: *hoc licet orare, quod licet desiderare;* atque hujusmodi res ex fine virtuoso licet desiderare: ergo et orando a Deo petere. [2])

Quodsi igitur orationes nostrae non exaudiantur, hoc ideo fit, quia conditionibus legitimis non sunt instructae, unde s. Jacobus: *„petitis et non accipitis, eo quod male petatis."* Jac. 4. 3. Quotiescunque autem bene oramus, oratio infructuosa non est. Praeclare s. Bernardus dicit: *„Nemo vestrum Fratres parvi pendat orationem suam. Dico enim vobis, quia ipse, ad quem oramus, non parvi pendit eam. Priusquam egressa sit ab ore vestro, ipse scribi jubet eam in libro suo. Et unum indubitanter e duobus sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus, aut quod noverit, nobis esse utilius."* [3])

3. — Praeter hos tres primarios orationis fructus, nempe meritum, satisfactionem et impetrationem, sunt alii permulti, quasi secundarii.

Nam 1) oratio frequens mentem illustrat: neque enim fieri potest, ut aliquis cordis oculos in Deum, qui lux est, attente defigat, quin ab eo illustretur. Hinc David ait: *Accedite ad eum et illuminamini.* Ps. 33. 6.

2) Oratio fidem alit. Ut enim rite illi non orant, qui fidem Deo non habent („quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt" Rom. 10. 14.), sic fideles, quo studiosius orant, eo meliorem et certiorem reddunt fidem divinae curae et providentiae.

3) Oratio fiduciam auget; quo enim aliquis cum alio frequentius loquitur, eo fidentius ad eum accedit. „Vult nos Deus quotidie rite petendo petere fidentius, vult, impetratis iis, quae postulamus, in dies magis testificari ac praedicare suam in nos ipsos benignitatem." [4])

4) Oratio inflammat caritatem. Nam „ut amantes colloquio et congressu magis ad amorem accenduntur: sic pii homines, quo saepius orantes cum Deo colloquuntur, eo lucidius ejus cognoscunt benignitatem, eoque ardentius ad eum amandum et colendum incitantur." [5])

---

aures misericordiae tuae, Domine, precibus supplicantium, et ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quae tibi sunt placita, postulare." Feria IV. infra Hebdom. quart. Quadrag.

[1]) Catech. ad Par. P. IV. cap. 4.

[2]) Suarez: op. c. cap. 19. Laymann: Lib. 4. Tract. 1. cap. 1. n. 8.

[3]) In Quadragesima Serm. 5. n. 5.

[4]) Catech. Rom. Par. IV. Cap. 2. q. 7.

[5]) Idem l. c. q. 8.

5) Oratio auget humilitatem et castum timorem. Nam qui ad orationem se accingit, intelligit se Dei esse mendicum, ac per hoc humiliter coram eo apparere studet, et diligentissime cavet, ne illum offendat, cujus benignitatem continuo experitur. [1])

6) Oratio nutrit petendi studium, sicque animum dilatat et capacem reddit ad illa dona recipienda, quae antea angustus animus capere non poterat. [2])

7) Oratio frequens gignit in animo orantis contemptum rerum omnium temporalium. Neque enim fieri potest, ut non vilescant et sordescant terrena omnia illi, qui coelestia atque aeterna assidue speculatur. [3])

8) Oratio parit delectationem ineffabilem atque consolationem; quia cum Deo, fonte inexhausto gaudii et consolationis, animum conjungit. Quam ob rem sic loquebatur Dominus: *„Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum."* Joa. 16. 24.

9) Denique oratio adfert etiam dignitatem atque honorem non exiguum oranti. Nam, ut s. Chrysostomus observat, ipsi etiam Angeli animam illam honorant, quam cernunt tam familiariter et crebro ad colloquium divinae Majestatis admitti.

4. — *Orare debemus non tantum pro nobismet ipsis, sed etiam pro iis omnibus, qui beatitudinis aeternae sunt capaces.* Probatur: 1. Debemus pro iis orare, quibus debemus bona desiderare; atque bona desiderare debemus non solum nobis, sed etiam aliis, nempe hominibus viatoribus, etiam infidelibus et inimicis, porro animabus in purgatorio detentis; hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam illis debemus impendere. [4]) 2. Apostolus dicit: *„Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus etc."* [5]) 1. Tim. 2. 1. 2.

Ordo autem ille in oratione servetur, qui in charitate praescribitur, ita ut in nostris precibus peculiarem habeamus rationem eorum, qui nobis consanguinitate, amicitia, religione etc. sunt magis conjuncti. Pro iis etiam specialiter orandum est, quibus ruinam spiritualem attulimus, ut sic quantum ipsis nocuit exemplum nostrum, tantum iisdem prosit oratio nostra.

5. — Ex superius dictis constat, quod praeter Deum etiam B. V. Mariam, angelos et Sanctos exorare debeamus.

Infantes baptizati et ante usum rationis defuncti invocari possunt privatim; idem probabilius dicendum de animabus in purgatorio detentis, juxta Lessium, Bellarminum, s. Alphonsum et alios.

---

[1]) Bellarm.: de bonis operibus in partic. Lib. 1. cap. 3.

[2]) S. Augustinus: Lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 7.

[3]) Bellarm. l. c.

[4]) S. Thomas: 2. 2. q. 83. a. 7, c.

[5]) Difficilis hujus loci interpretationem videas apud Bellarminum. De bonis operibus in particulari Lib. 1. cap. 2., ubi multas Patrum et Doctorum sententias desuper refert.

* Tertullianus: Liber de oratione. Origenes: Liber de oratione. S. Cyprianus: Liber de oratione Dominica. S. Basilius: Homilia 4. et 5. S. Gregorius Nyssenus: De Oratione Homiliae 5, lectu dignissimae (Op. Tom. I.) S. Augustinus: Serm. 56. 57. 58. 80. 105. 115. 135. 145. 354. (Op. Tom. V.) Epist. 130. (Op. Tom. II.) S. Cyrillus Alexandrinus: Homil. 18. (Op. Tom. V.) S. Petrus Chrysologus: Serm. 39. 132. S. Fulgentius: Epist. 4. ad Probam. S. Bernardus: De diversis Serm. 25. (supra verbis Apostoli: „*Volo primum fieri obsecrationes* etc.“); Serm. 107. (de affectionibus orationum). In Quadragesima Serm. 4. (de oratione et jejunio), Serm. 5. (de triplici modo orationis), Serm. 6. (de oratione Dominica) (Op. Tom. III.) S. Thomas Aquinas: Summa Theologica 2. 2. q. 83. tota. S. Bonaventura: Breviloquium, P. V. cap. 10. S. Alphonsus: Del Grand mezzo della Preghiera, per conseguire la salute eterna e tutte le grazie che desideriamo da Dio. Vom Gebete, als einem mächtigen Mittel, um das ewige Heil und alle Gnaden, die wir nur von Gott wünschen, zu erlangen. — Suarez: De virtute et statu religionis Tom. II. Lib. 1. cap. 1—30. (valde prolixe). Bellarminus: De bonis operibus in particulari Lib. I. cap. 1—9. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 37. Dubitatio 2—7. Laymann: Theologia moralis Lib. IV. Tract. 1. cap. 1. Collet: Tractatus de universa Theologia morali, Tom. II. De virtute religionis Par. II. cap. 2. art. 1—8. Sporer: Theol. moral. super Decalogum P. I. Tract. II. cap. 7. Sect. 2. Stapf: Theologia moralis in compendium redacta Tom. II. Part. alt. pag. 83—103. (Ed. 7. Oenoponti 1856). Martin: Lehrbuch der kath. Moral. §. 200. etc. 1859. Palasthy: Theologia morum catholica Par. II. p. 171—186. Ratisbonae 1861.

§. 50.

B. Maria Virgo, thesauraria et erogatrix divinarum gratiarum.

1. — Ad beneficia a Deo impetranda oratio est necessaria, non modo praecepti, verum etiam medii necessitate, ut in antecedentibus probatum est. Porro accipimus a Deo gratiarum dona per merita Christi, sed simul per intercessionem et veluti per manus sanctissimae Dei genitricis Mariae. Opus enim est mediatore ad mediatorem. Quam doctrinam in honorem Dei et gloriam matris suae nunc breviter explicare et probare intendimus.

Pie creditur, intercessionem B. Mariae Virginis esse moraliter necessariam ad gratiarum dona et beneficia per merita Christi a Deo impetranda; ideoque illa nobis non communicari, nisi per Mariam.

2. — Explicationis causa sequentia praenotari oportet: 1. Intercessio s. Mariae non absolute, sicuti intercessio Christi, sed *moraliter* tantum necessaria dicitur; quia nimirum Deus ad sanctissimam suam matrem glorificandam nostramque simul fiduciam roborandam

totum nos habere voluit per Mariam, ut s. Bernardus [1]) docet. 2. B. Maria Virgo in nomine Jesu pro nobis intercedit, et nonnisi per ipsius merita gratiam nobis obtinet et salutem, si Christus quidem solus est Redemptor et Salvator noster, qui passione et morte sua nobis promeruit gratias, et solus Mediator proprie dictus et principalis, qui solus per semetipsum accedit ad Deum Patrem, aliis non accedentibus, nisi per ipsum; [2]) quocirca in assertione praestituta vis impetrandi principaliter Christi meritis attribuitur.

3. — Jam vero doctrina enuntiata optime probari potest ex liturgia Ecclesiae, ex effatis ss. Patrum et Doctorum et ex suffragio Theologorum; atque ex ipsa ratione theologica suadetur.

Probatur 1. ex s. liturgia Ecclesiae. Et quidem sequentia s. scripturae eloquia: „*In me omnis spes vitae et virtutis.*“ „*In me omnis gratia vitae et veritatis.*“ Eccli. 24. 25. „*Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.*“ Prov. 8. 35., ab Ecclesia in libris liturgicis constanter ad B. Mariam Virginem applicantur; atqui hac applicatione haud dubie Ecclesia sensum suum manifestat, videlicet sanctissimam Virginem esse veluti thesaurariam omnium donorum divinorum, atque omnem gratiam et salutem nobis a Deo non nisi per Mariam advenire, in qua dicitur omnis gratia et salus inveniri. Id autem multo adhuc gravioris ponderis est, quod in Missa festi purissimi Cordis Mariae (in Missali quodam Galliae contenta), quae incipit: *Proba me,* [3]) habetur Collecta sic incipiens: „*Deus, qui gratiae plenitudinem posuisti in Corde Mariae, ut per ipsum quasi canalem abundanter in nos flueret —*“; quibus verbis sententia nostra manifeste exprimitur.

Probatur 2. ex scriptis ss. Ecclesiae Patrum et Doctorum. Etenim ss. Patres, explicantes verba: *gratia plena,* passim dicunt, B. V. Mariam non tantum pro se, sed pro nobis etiam accepisse gratiam. [4]) Etiam multo clarius loquuntur. S. Hieronymus vel quis-

---

[1]) Serm. de Aquae ductu n. 7., ubi inter alia dicit: „*Sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec, inquam, voluntas ejus, sed pro nobis. In omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem etc.*“

[2]) Vid. Schwetz: Theol. dogm., Tom. III. §. 178.

[3]) Penes doct. Nilles: De rat. fest. ss. Cordis Jesu et purissimi Cordis Mar. pag. 515.

[4]) S. Epiphanius ait: „*Ave, gratia plena, quae sitientes perennis fontis dulcedine satias.*“ Or. de laudis S. Mariae Dei parae. S. Petrus Chrys.: Serm.

quis sit auctor Sermonis de Assumptione B. V. M., eam comparat collo, per quod a capite Christo gratiarum copia in corpus Ecclesiae descendit. S. Germanus s. Mariam vocat *fontem effundentem aquas;* [1]) imo dicit: „*Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te, Virgo sanctissima; nemo est, qui liberetur a malis, nisi per te, o purissima; nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, castissima; nemo est, cui misereatur gratia, nisi per te, honestissima!*“ [2]) Porro S. Joan. Damascenus sanctissimam Dei matrem appellat *uberrimum benedictionis scaturiginem, bonorum omnium causam et parentem.* [3]) Idem sentit s. Ildefonsus, B. Virginem vocans *puteum aquarum viventium, introitum vitae,* [4]) et expresse docet: „*Collata est gratia et benedictio* (sanctae Mariae) *in specie, ut diffunderetur in omne genus Ecclesiae.*“ [5]) Praeclare s. Petrus Damiani ait: „*Deus meus misericordia mea; Domina mea misericordiae porta. Ducat nos mater ad Filium, Filius ad Patrem.*“ [6]) „*In manibus tuis* (o Domina) *sunt thesauri miserationum Domini.*“ [7]) Et ne nimis longi simus, aliis omissis, s. Bonaventura clarissimis verbis idem enuntiat: „*Per manus enim hujus Dominae habemus, quidquid boni possidemus, testante s. Bernardo, qui ait: „Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariae manus non transiret,*“ [8]) vocat eam *erogatricem munerum,* deprecans: „*Quem vis, salvus erit: et a quo avertis faciem, ibit in interitum.*“ [9]) In primis autem s. Bernardus, a Doctore Seraphico, ut mox audivimus, interpellatus, hanc doctrinam ceteris omnibus, qui ante ipsum floruerunt, copiosius firmiusque edisseruit, cujus rei specimina vid. infra. Post Doctorem melifluum maxime s. Alphonsus eandem doctrinam constanter asseruit, rationibus firmiter probavit et propugnavit. [10]) Idque notatu dignum, quod tempore, quo de sancto Alphonso in catalogum ss. Ecclesiae Doctorum referendo agebatur, in aliqua supplicatione, cui 76 episcopi subscripserant, ad Sedem Apostolicam directa, inter alia

3. de Annunt. S. Bernardus: Sermo de Aquaeductu n. 5.

[1]) In Praesentat. Deiparae.

[2]) Sermo de zona Virginis.

[3]) Orat. 1. de dormitione B. V. M. Op. ed. per Billium 1619. pag. 584.

[4]) Serm. 3. de Assumptione B. M. V. Bibl. Vet. Patr. Tom. VII. pag. 464.

[5]) ibid. pag 463.

[6]) Serm. 11. de Nativ. V. M. Op. ed. per Const. Cajetani 1783. Tom. II. pag. 55.

[7]) Serm. 44. de Nativ. B. V. M. Tom. II. pag. 223.

[8]) Speculum B. Virginis cap. 3.

[9]) Psalter. Virginis.

[10]) In opere: Le Glorie di Maria. Die Herrlichkeiten Mariens I. B. C. 5. II. B. Betracht. 6. Regensb. 1842.

ejusdem Sancti merita refertur, quod „adstruit multisque argumentis probat doctrinam, hodie a Theologis communiter receptam, scilicet Beatissimam Virginem a Deo constitutam fuisse omnium gratiarum Thesaurariam et Dispensatricem, seu omnes, quas a Deo accipimus gratias, nobis concedi per ejus intercessionem et interventum“; [1]) in qua re simul insigne habes tot episcoporum testimonium de eadem doctrina.

Probatur 3. ex suffragio Theologorum, qui communiter in eandem sententiam conveniunt, ut jure merito praelaudati episcopi dixerunt. Inter hos praeprimis Suarez, B. Canisius, Gersonius, Bossuetus, Vega, Contenson, Alexander Natalis, commemorari merentur. [2])

His omnibus 4. ratio theologica accedit. Nimirum sanctissima Virgo ex Dei voluntate concurrebat ad opus redemptionis cum Christo (utpote „arctissimo et indissolubili vinculo cum Eo conjuncta,“ ut S. P. Pius IX. in Bulla dogm. de immac. Conc. dicit.) Inde autem conveniens esse videtur, ut ipsa ex divina voluntate simul cum Filio suo concurrat ad dispensationem gratiarum, quae sunt fructus redemptionis peractae.

Concurrebat B. V. Maria ad opus redemptionis, testantibus ss. Patribus, a quibus ideo *reparatrix orbis perditi, conciliatrix generis humani, salutis nostrae auctrix,* et similiter appellatur. [3]) Quod idem indicant verba divina: „*Ipsa conteret caput tuum.*“ Gen. 3. 15. Et quidem a) Deo matrem pro Filio se eligenti per Archangelum, obedientiam plane singularem praestitit, qua exhibita Verbum caro

[1]) Acta Concessionis Tituli Doctoris in honorem s. Alphonsi etc. Romae 1870. pag. 27.

[2]) Suarez sequentia habet: Quidquid alii impetrant, aliquo modo per Virginem impetrant, qui (ut s. Bernardus dixit) illa est mediatrix ad mediatorem, et veluti collum, per quod influentiae capitis ad corpus descendunt. — Et hinc ortum est, ut inter Sanctos alios non utamur uno ut intercessore ad alium, quia omnes sunt ejusdem ordinis: ad Virginem autem tamquam ad reginam et dominam alii adhibentur intercessores. — Sentit ergo Ecclesia, Virginis intercessionem et orationem prae omnibus aliis sibi esse utilem ac necessariam: est ergo Beata Virgo a nobis prae omnibus oranda.“ In III. Part. d. Thomae Disp. XXIII. Sect. 3.

[3]) S. Petrus Damiani ait: „Per ipsam, et in ipsa, et de ipsa et cum ipsa totum hoc (opus redemptionis) faciendum decernitur, ut sicut sine illo (Verbo) nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit.“ Homil. XI. de Annunt. B. V. M. pag. 51. Tom. II. Rationem profert s. Bernardus dicens: „— sufficere poterat Christus, siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat, esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostrae reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset.“ Sermo in Domin. infra Oct. Assumpt. B. V. M. n. 1.

factum est ad nos redimendos. Ab ejus consensu Deus incarnationem pendere voluit, ut passim ss. Patres et Doctores asserunt.[1]) Ideoque d. Thomas ait, *opus salutis nostrae aliquo modo initiatum esse per mulierem, scilicet Beatam Virginem.*[2]) — b) Obtulit Filium suum dilectissimum pro peccatis totius mundi. Advertunt s. Bonaventura et s. Antoninus,[3]) quod Joa. 3. Rom. 8. de Patre aeterno Christi dicitur, idem etiam de ejus matre dici posse: *Sic scilicet Maria dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, scilicet passum, voluntate et affectu.*[4]) — c) Passiones suas ac supplicationes conjunxit tormentis ac precibus Filii, easque obtulit Deo Patri pro mundi salute. Quocirca Ecclesia ad eam refert verba Judith 13. *„Non pepercisti animae tuae propter angustias et tribulationem generis tui, sed subvenisti ruinae ante conspectum Dei nostri."*[5])

Jam vero, si sanctissima Dei genitrix Virgo (amore et dolore) concurrebat et cooperabatur cum Christo Redemptore nostro ad opus nostrae reparationis: consequens esse videtur, illam quoque concurrere ad dispensationem gratiarum, quae sunt fructus redemptionis, ita nimirum, ut omnes gratiae a Deo nobis communicentur quidem per merita Christi, qui est mediator principalis et proprie dictus, sed simul per interventum Mariae, quae est mediatrix apud mediatorem, mediatrix secundaria; et sicut intercessio Christi absolute necessaria est, ita intercessio B. M. V. moraliter necessaria dici queat ad gratias a Deo impetrandas, qui *totum nos habere voluit per Mariam.*

---

[1]) S. Augustinus vel quisquis sit auctor Serm. 15. de Sanctis ipsi adscripti dicit: *„Singulari tuo assensu mundo succurristi perdito."* Eleganter id eloquitur s. Bernardus: Homil. IV. super *Missus est* n. 8. Praeterea ss. Patres, ut s. Irenaeus (Lib. 3. contra haereses cap. 33.), s. Epiphanius (adv. haereses Lib. 3. haeres. 78.) s. Augustinus (Serm. 17. de Nativ.), s. Petrus Damiani (Hom. 47. in Nat. B. V. M.) tradunt, sicut inobedientia Evae fuerat causa mortis et damnationis, ita obedientiam Mariae fuisse causam vitae et salutis.

[2]) In Lib. III. Sent. Dist. 12. q. 3. a. 1. Solut. 2.

[3]) Summa Theol. P. IV. Tit. 15. c. 20. §. 11.

[4]) S. Bernardinus ideo exclamat: „O inaestimabilis Dei et Virginis dilectio charitatis! Qui ut servum redimerent, communem filium tradiderunt." Serm. 1. t. 51. n. 4.

[5]) Ideo s. Augustinus ait: „Maria plane mater membrorum ejus (Christi), quod nos sumus; quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur." De sancta Virg. cap. 6. n. 6. S. Alph. Herrlichk. Mariens. Ueber die Schmerzen Mariens im Allgem. S. 226. Regensb. 1842.

Sanctissima Mater tamquam aquae ductus a sancto Bernardo celebrata.

„Vita aeterna, fons indeficiens, qui universam irrigat superficiem paradisi. Nec modo irrigat, sed inebriat, fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano, et fluminis impetus laetificat civitatem Dei. Quis vero fons vitae, nisi Christus Dominus? *„Cum Christus,* inquit Apostolus,[1]) *apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria."* Sane ipsa sese plenitudo exinanivit, ut fieret nobis justitia et sanctificatio et remissio: necdum apparens vita, aut gloria, aut beatitudo. Derivatus est fons usque ad nos, in plateis derivatae sunt aquae, licet non bibat alienus ex eis. Descendit per aquaeductum vena illa coelestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiae arentibus cordibus nostris infundens: aliis quidem plus, aliis minus. Plenus equidem aquaeductus, ut accipiant ceteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam. Advertistis jam, ni fallor, quem velim dicere aquaeductum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, si non prout est, saltem prout capere poteramus. Nostis enim cui dictum sit: *„Ave gratia plena."*

Altius ergo intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens auster ille divinus, ut undique fluant et effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum: ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi; quid, nisi caligo involvens et umbra mortis ac densissimae tenebrae relinquuntur?

Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. In omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium,

---

[1]) Coloss. 3 4.

An vero trepidas et ad ipsum? Frater tuus est caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan et in ipso majestatem vereatur divinam, quod, licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturae. Nec dubius dixerim exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae. Quid enim? Potest-ne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. „*Invenisti,* ait Angelus, *gratiam apud Deum.*" Feliciter. Semper haec inveniet gratiam, et sola est gratia, qua egemus. Prudens Virgo non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua salvamur. Quid nos alia concupiscimus, Fratres? Quaeramus gratiam et per Mariam quaeramus; quia quod quaerit, invenit et frustrari non potest." [1])

IV. De voto.

§. 51.

Voti definitio et partitio.

1. — Votum, quatenus est actus religionis, [2]) definitur a d. Thoma: *promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili.*[3])

Dicitur: a) *promissio,* i. e. firma voluntas sese alicui obligandi ad aliquid faciendum: et sic distinguitur votum a simplici proposito, quod quidem etiam est voluntas aliquid faciendi, sed absque intentione, se ad id obligandi, ideoque propositum ex se ne sub levi quidem obligat. [4]) b) *Deo facta,* quia votum, cum sit actus religionis et latriae, ut docet s. Thomas, soli Deo fieri debet. Certissimum tamen est, dicit Bellarminus, [5]) posse *aliquo modo* etiam Sanctis vota

[1]) Serm. in Nativ. B. V. Mariae de Aquaeductu n. 3. 4. 6. et 7.

[2]) In sensu lato nempe votum significat *desiderium*, ut in Canone Missae: „*Tibique reddunt, vota sua,*" vel etiam *propositum*, quod est simplex voluntas aliquid faciendi.

[3]) 2. 2. q. 88. a. 1. et 2. Similiter et alii in 4. Lib. Sent. Dist. 38. ubi s. Bonaventura a. 1. q. 1. et 2. S. Antoninus p. 2. tit. 11. c. 2.

[4]) S. Alph.: Homo Apost. Tr. V. n. 21.

[5]) Lib. III. de cultu Sanctorum cap. 9

nuncupari; idque probat ex testimoniis ss. Patrum, quibus accedit communis Theologorum sententia. [1]) Hujusmodi enim vota intelligi debent eo sensu, quo templa et altaria Sanctis dicari dicuntur, quatenus nimirum censetur homo vovere ipsi Deo, quod Sanctis se impleturum promittit, cum Sancti sint Dei amici cum ipso regnantes; ita, ut vota, quae fieri dicuntur Sanctis, fiant Deo in Sanctis, atque honor eis tributus, in Deum ipsum redeat; quemadmodum maledicta in Sanctos prolata dicuntur blasphemiae, quia Deus in Sanctis, ut suis amicis dilectis maledicitur. [2]) Additur denique c) *de bono meliori*, nam opus, quod vovetur, debet esse bonum, non malum, vel indifferens, imo et melius, quam ejus oppositum, ut inferius probabitur.

2. — Distinguitur: 1. votum *personale* et *reale,* prout actio vel omissio (oratio, jejunium), vel aliqua res (eleemosyna) promittitur.

2. Votum *absolutum* et *conditionatum,* prouti fit simpliciter e. g. voveo eleemosynam, vel fit apposita conditione v. c. voveo eleemosynam, si a morbo convaluero, ita, ut conditione non expleta, obligatio non urgeat. Conditionatum vocatur *poenale,* si per modum conditionis poena adnectitur, ut e. g. voveo eleemosynam, si iterum hoc vel illud peccatum commisero.

3. Votum *determinatum* et *disjunctivum,* prouti res promissa accurate designatur, ut si quis vovet, se Romam ad limina Apostolorum esse peregrinaturum, vel duae vel plures res proponuntur, inter quas reservatur electio, ut si quis voveat, se velle peregrinari vel Romam vel Jerosolymam.

4. Votum *expressum* et *tacitum,* prout verbo vel scripto sufficienter declaratur, ut solet communiter fieri; vel eo ipso fit, quo quis voluntarie aliquid agit, cui scit votum connexum esse: tale est, quod fit in susceptione Subdiaconatus Ordinis, cui ex Ecclesiae decreto connexum est votum castitatis. [3])

[1]) S. Thomas: 2. 2. q. 88. a. 5. ad 3. Suarez: De virtute et statu religionis Tract. VI. de voto, Lib. I. cap. 16. Lessius: De justitia ceterisque virt. card. Lib. II. cap. 40. Dub. 5. n. 27. Laymann: Theol. mor. Lib. IV. Tract. 4. cap. 1. n. 6. Collet: Tractatus de universa Th. mor. Tom. II. Tract. de Relig. Par. II. cap. 5. art. 1. n. 5. Abelly: Medulla Theologica Par. II. de Decalogi praeceptis Sect. II. §. 3. de voto.

[2]) Bellarmin.: De cultu Sanctorum Lib. III. cap. 9. Videri etiam possunt d. Thomas: 2. 2. q. 88. a. 5. ad 3., s. Alphonsus: Lib. IV. n. 194.

[3]) Itemque datur professio religiosa et *expressa* et *tacita*, ut videri potest apud D. Bouix: De Jure regularium

5. Votum *solemne* et *simplex*, prouti ab Ecclesia ut solemne acceptatur, vel seclusa tali Ecclesiae acceptatione nuncupatur.[1]) Vota solemnia sunt vota complurium ordinum religiosorum, et votum perpetuae castitatis Ordinibus sacris adnexum.

Ubi notandum, quod votum solemne efficit personam inhabilem ad actum, qui voto repugnat, et consequenter actum ipsum non tantum illicitum, sed etiam invalidum reddit; dum votum simplex hominem inhabilem non reddit ad actum voto contrarium, et ideo actum talem illicitum quidem, sed non invalidum facit. Sic v. c. qui votum solemne castitatis, paupertatis etc. emiserat, inhabilis est ad valide contrahendum matrimonium, ad habendum rei alicujus dominium etc.; quam inhabilitatem non contrahunt, qui simplicia vota nuncupant, quandoquidem, qui simplex paupertatis vel castitatis votum emittit, nec dominii habendi, nec matrimonii valide contrahendi incapax efficitur, attamen contra votum agendo peccat.[2])

§. 52.

De conditionibus ad votum requisitis.

1. — Conditiones ad voti validitatem requisitae in ipsa voti definitione continentur. Sunt nimirum 1. intentio, deliberatio et libera voluntas, 2. materia apta.

Tom. I. Par. IV. Sect. II. cap. 1. q. 3. et c. 3. pag. 604. 607—609. Parisiis 1857.

[1]) Diversitas utriusque voti igitur non est sita in majori aut minori apparatu rituum, qui in actu vovendi adhiberi solent.

[2]) Laborant Theologi in enodanda quaestione, undenam voti solemnis et simplicis distinctio dimanet. Nimirum 1) alii dicunt, hanc distinctionem inde peti, quod in voto solemni fiat vera sui traditio ad Deum et ad ordinem religiosum vel ad Ecclesiam, non autem in voto simplici. Ast votum simplex ut tale non necessario traditionem excludit. Vota enim Scholasticorum Societatis Jesu sunt simplicia, et tamen in illis intervenit traditio. Vide Suarez: De virtute et statu religionis Tract. VII. Lib. 2. cap. 7. n. 15. Greg. de Valentia: Tom. III. Disp. 10. q. 4. part. 5. — 2) Aliis placet voti solemnitatem reponere in quadam personae consecratione aut benedictione spirituali. At vero obstat praxis adprobata multorum ordinum religiosorum, in quibus fiunt vota substantialiter solemnia, quamvis nulla interveniat ejusmodi benedictio aut consecratio. Talis est Societas Jesu, ordo s. Dominici etc. Vid. Suarez op. cit. Tract. 7. Lib. 2. c. 6. n. 4. — Denique 3) permulti censent, voti solemnitatem consistere in decreto Ecclesiae, quo statuitur, ut per certa quaedam vota, et non per alia homo inhabilis sit ad certos actus seu contractus. Haec opinio, quae communior est, tenenda esse videtur, quia Bonifacius VIII. cap. De voto in 6. expresse dicit: „*Voti solemnitas ex sola Constitutione Ecclesiae est inventa;*“ idque repetit Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente Domino*. Vid. Suarez op. cit. Tract. 7. Lib. 2. c. 10. n. 1. 7. etc. —

A. De intentione et deliberata voluntate ad votum requisita.

2. — **Principium:** *Ad voti validitatem ex parte voventis tria requiruntur: intentio, deliberatio et voluntas.* Ita doctores communiter.[1]) Singula penitius inspicienda sunt.

Requiritur I. intentio, scilicet vere se obligandi ad aliquid agendum vel omittendum. Ratio, quia votum est lex quaedam particularis, quam vovens sibi imponit, et qua Deo se obligat.[2]) Atqui sine intentione obligandi lex nulla inducitur. — Sufficit autem a) *intentio virtualis.* Sic e. g. Novitius mane eliciens intentionem profitendi vota religiosa, valide postmodum coram superiore emitit vota religiosa, etsi ita distractus turbatusque verba proferat votorum, ut nullam formalem ad ea advertentiam habeat; quia actualis intentio, quam prius elicuit et non revocavit, virtute adhuc perseverat in effectu, scilicet in accessu ad altare et votorum recitatione.[3]) Sufficit b) *intentio implicita,* ut patet ex susceptione Ordinum sacrorum, ubi votum fit implicite eo ipso, quod sciens, Ecclesiam illis Ordinibus votum castitatis adnexisse, eos suscipit.[4])

3. — *Requiritur II. deliberatio,* quia obligationem nemo censetur sibi imponere, nisi eam cognoverit et deliberate elegerit. Hinc e. g. votum ex repentino animi motu emissum non tenet.[5])

Sufficit autem ad valide vovendum advertentia et deliberatio, quae satis est ad peccatum mortale. Haec regula communiter traditur.[6]) Igitur non requiritur, ut vovens diuturnam deliberationem instituat; sufficit enimvero, ut sciat obligationem voti et advertenter judicet, eam rem, quam vovere intendit, esse voto congruentem et aptam. Confirmatur ex c. 2. *de voto,* ubi Alexander III. votum peregrinandi Hierosolymam in puerili aetate, facilitate potius, quam dis-

Qui uberiorem hujus materiae exoptat cognitionem, praeter Suarez in op. cit. consulat doctiss. D. Bouix: Tractatus de jure Regularium Tom. I. Part. I. Sect. 3. pag. 66. ut sq. Parisiis 1857. *Archiv für katholisches Kirchenrecht.* Innsbruck. II. Band. S. 619—622.

[1]) Teste s. Alphonso Lib. IV. n. 196.

[2]) S. Augustinus: „Per votum ipse sibi effecit non licere.“ Quaest. in Numer. Lib. 4. q. 56. S. Thom.: 2. 2. q. 88. a. 1.; q. 189. a. 3.

[3]) S. Alph. n. 201. La Croix: Th. m. Lib. III. P. 1. n. 367. Voit n. 571. et alii.

[4]) S. Alph. n. 200.

[5]) S. Alph. l. IV. n. 196.

[6]) S. Alph. l. c. S. Antonin.: p. 2. tit. 2. c. 2. Suarez: Lib. 1. de voto cap. 9. Salmat. tr. 17. c. 1. §. 1. n. 9. Lessius: De Justitia ceterisque virt. card. Lib. 2. cap. 40. Dub. 1. n. 2. Sotus: Lib. 7. de justitia q. 1. a. 2. et alii. — Et Glossa in c. mulier, 32. q. 2. dicit: „*Qui se potest obligare diabolo, potest etiam obligare Deo.*“

cretionis arbitrio factum commutat, quo igitur supponitur, illud fuisse validum.

Quoad votum ex errore et ignorantia emissum, *haec observanda sunt*: 1) Si error et ignorantia versetur *circa substantiam rei*, vel *circa substantiales circumstantias*, quae nimirum substantiam rei afficiunt, vel principaliter intenduntur, vel versetur *circa circumstantias accidentales magni momenti, quibus cognitis votum non fuisset emissum*, votum nullum est; quia tunc res promissa non est satis cognita et volita. [1]) Hinc e. g. non valet votum, donandi certum aliquem calicem ecclesiae, quem putas esse argenteum, cum tamen sit aureus; nec votum, ingrediendi certum monasterium quod putas esse ordinis s. Benedicti, cum reapse sit Carthusianorum; quia in utroque voto error versatur circa substantiam rei promissae. Item votum invalidum est, quo quis ingressum vovet in monasterium, in quo putabat religiosam disciplinam accurate servari, cum tamen ita non sit; quia error versatur circa circumstantiam substantialem.

2) Si error versetur *circa circumstantias accidentales minoris momenti*, ita, ut eis cognitis votum adhuc fuisset emissum, votum valet, quia tunc res promissa sufficienter est cognita et volita. [2]) Hinc e. g. valet votum tuum peregrinandi ad Cellas Marianas, licet via paulo sit longior, quam putasti.

Numquam autem invalida fiunt vota castitatis, et vota emissa in professione religiosa ob incommoda, quae quis postea experitur in iis observandis, quia incommoda ex natura rei praevideri poterant, et Deo auxiliante aptis mediis superari possunt. [3])

4. — *Ad voti validitatem requiritur III. libera voluntas*, seu requiritur, ut sit in nostra potestate, votum emittere, vel non. Ratio est, quia votum est actus humanus ac gravissimus, ab hominis arbitrio omnino dependens.

Et quidem 1. valet et obligat votum *ex animi passione* elicitum, nisi passio tollat voluntarium in actu vovendi. Ita communiter. [4]) Confirmatur ex c. *Dudum* de convers. conjug., ubi innuitur,

---

[1]) S. Alph. n. 198.

[2]) Ita s. Alphons.: n. 198. et alii.

[3]) Vid. s. Alph.: Lib. V. n. 50. Voit n. 573. 591.

[4]) S. Alph.: n. 196. 2. — Hinc in dubio, an passio ita obscuraverit mentem, ut non adfuerit nisi semiplena advertentia, standum est pro valore voti, nisi tales conjecturae occurant in contrarium, ut prudenter credas, te non satis considerasse necessaria ad obligationem contrahendam. Ita La Croix: Lib. III. P. 1. n. 388. cum Suarez, Sanchez et aliis.

votum ex calore iracundiae conceptum esse validum, modo talis passio non auferat rationis usum.

2. Votum *ex metu* factum a) invalidum est, si metus sit *gravis, injustus et incussus ad votum extorquendum*. Constat ex jure canonico c. *Perlatum* quoad vota solemnia Religionis, et probabilius idem tenendum de ceteris votis juxta interpretationem communem Theologorum. [1]) b) Valet autem in ceteris casibus (ubi metus est gravis sed juste incussus, vel non incussus ad extorquendum votum, vel metus intrinsecus), nisi metus tantus sit, ut voventi auferat consensus libertatem. Hinc e. g. valide vovet, qui ad evitandam mortem, quae sibi imminet ex morbo, naufragio, peste, fulmine, minis latronum etc., votum cum sufficiente voluntatis libertate emittit. A fortiori hoc valet, quando metus levis est, quia hic non influit efficaciter in actum, et facile rejici potest. [2])

5. — In fine hujus tractationis adhuc notanda sunt sequentia:

1. Qui dubitat, utrum votum emiserit, an simplex propositum, voto non tenetur; quia *lex dubia non obligat*, et *melior est conditio possidentis*, nempe libertatis. Si autem meminerit, se putasse, quod sit peccaturus, promissionem non implendo, censendum est, eum vere vovisse. [3]) Idem praesumendum, si usurpaverit verba, quae ex se significant votum, quia *nemo censetur dicere id, quod non habet in mente*. [4]) Qui dubitat, an in voto comprehendatur aliquid, non tenetur ad partem, de qua dubitat. [5])

2. Dubitans, an sufficientem habuerit deliberationem in vovendo, regulariter tenetur voto, quia *in dubio praesumitur omne factum recte factum* seu *in dubio standum est pro valore actus*. In dubio de sufficiente deliberatione ob defectum aetatis, obligat votum, si fuerit emissum post septennium; secus, si emissum fuerit ante septennium; quia ex communiter contingentibus in priori casu praesumitur usus rationis, non item in casu posteriori. In dubio, an votum fuerit emissum ante, an vero post septennium: praesumitur usus rationis, ideoque factum i. e. votum rite factum. [6])

---

[1]) S. Alph. n. 197. Utrum autem metus injuste incussus ad votum extorquendum irritet votum non modo ex jure ecclesiastico, sed etiam ex jure naturali vel divino, theologi non conveniunt.

[2]) S. Alph. L. IV. n. 197.

[3]) S. Alph.: H. A. Tr. V. n. 21.

[4]) La Croix: Lib. III. P. 1. n. 381. cum aliis.

[5]) S. Alph. n. 201. Quaer. III. La Croix n. 382. et alii communiter.

[6]) Idem n. 196. cum Suarez et aliis. Cf. etiam d. Thom. in 4 Lib. Sent. Dist. 35. q. 1. a. 3.

B. De materia voti.

6. — **Principium:** *Materia voti debet esse bonum, imo bonum melius, atque bonum possibile.* Ita omnes.

Materia voti I. debet esse *de bono,* quia intrinsecus finis voti est, Deum colere, Deus autem actione indifferente vel mala non colitur. [1]) *Displicet Deo stulta promissio.* Eccl. 5. 3. Itaque irritum est votum de re indifferente, nisi ex fine vel circumstantiis res illa fiat bona; et sic vovens venialiter peccat. A fortiori irritum est votum de re mala; et sic vovens graviter peccat, quamvis res illa sit tantum venialiter mala, quia gravis injuria Deo infertur; sed communiter ob ignorantiam non est nisi veniale. [2])

An autem valet votum rei bonae ob finem pravum? Disting. 1. Si finis pravus sit *totalis* illius voti, ut si quis voveat eleemosynam, ideo ut plausum captet, votum est nullum, quia sumitur tamquam medium ad rem malam. 2. Si vero finis ille pravus sit *concomitans,* ut si quis ex corde jejunium voveat, sed id faciat elata voce, ut ab aliis commendetur, votum validum est, cum finis pravus substantiam voti non afficiat. [3])

7. — Materia voti II. debet esse *de bono meliori,* quia per votum Deo promittitur specialis cultus; talis autem non est, nisi actio vel omissio promissa sit melior, quam ejus oppositum. Ita omnes. [4])

Bonum autem melius non tantum *absolute* in se, verum etiam *relative* ad voventem aestimandum est. Sic e. g. coelibatus est bonum melius absolute in se, relate autem ad hominem aliquem potest matrimonium esse bonum melius, quam coelibatus, puta ad carnis peccata vitanda, quum alia remedia meliora adhibere *nolit,* juxta Apostoli verbum: *„melius est nubere, quam uri.“* 1. Cor. 7. 9.[5])

Plura de variis dubiis circa vota solvendis erudite congessit La Croix: Theol. mor. Lib. III. Par. I. n. 381—398.

[1]) S. Ambrosius ait: *„Melius est non vovere, quam vovere id, quod sibi cui promittitur, nolit exsolvi.“* De offic. Lib. 3. c. 12. n. 78. — Suarez: Lib. 2. de voto c. 4. n. 2. Lessius: De justitia etc. Lib. 2. cap. 40. Dub. 7. n. 35.

[2]) S. Alph. n. 204. 205

[3]) Scavini: Tom. II. pag. 57.

[4]) D. Thom.: 2. 2. q. 88. a. 2., a. 10. In 4 Lib. Dist. 38. q. 1. a. 1; a. 4. q. 1. S. Alph. n. 202. — Suarez: Lib. 2. c. 7. n. 2. Lessius: Lib. 2. cap. 40. Dub. 7. n. 42

[5]) Vid. s. Alph. n. 209. Dicitur, qui alia remedia adhibere *nolit,* non autem qui non possit: nullus enim, qui velit opportunis remediis uti, dici potest, ea adhibere non posse. Quis ceterum prohibetur uti saltem oratione, qua procul dubio potest omnes concupiscentias superare ex illo Lucae 11. *Omnis, qui petit, accipit.* Ita s. Alph. l. c.

Quare votum nubendi per se loquendo nullum, exceptive validum esse potest. [1])

Verum tamen valet votum de materia aliunde jam praecepta, quia facere aliquid ex voto, melius magisque meritorium est, quam idem facere sine voto. Qui enim vi voti agit, ex motivo religionis et proposito firmiori magisque constanti operatur. [2])

8. — Postremo III. voti materia debet esse *de bono possibili,* quia ad impossibilia nulla datur obligatio, adeoque inepta stultaque esset illius promissio. Si vero res sit partim possibilis, partim impossibilis, et dividi possit, tunc votum pro parte possibili valet, ut e. g. si conjux voverit castitatem, tenetur ad non petendum; si voveris pauperibus dare centum, et non possis nisi viginti, teneris ad viginti etc. Ita etiam valet votum, si principale illius sit possibile, licet accessorium sit impossibile, sed non vice versa; nam *ruente principali, ruit et accessorium.* Hinc e. g. qui vovit se peregrinaturum pedestri itinere, ac postea non possit hoc modo peregrinari, tenetur curru peregrinationem perficere. [3])

An ergo valet votum non peccandi? Disting. 1. Non valet votum, vitandi omnia peccata etiam levissima, quia hoc impossibile est absque speciali Dei privilegio, ut ex Conc. Trid. Sess. 7. c. 23. patet. 2. Valet autem votum vitandi omnia mortalia vel etiam venialia perfecte voluntaria; quia hujusmodi peccata ordinario Dei auxilio evitari possunt. Pariter valet votum abstinendi a venialibus certi generis v. c. numquam mentiendi; quamvis ob nimiam executionis difficultatem ejusmodi vota non expediant. Ita s. Alph. [4]) et alii.

* S. Ambrosius: De officiis Lib. III. cap. 12. (de juramentis et votis ineptis). S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 88. a. 2. In Lib. IV. Sent. Dist. 38. a. 1. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 196—210. — Voit: Theologia moralis Par. I. n. 554—560. 567—574. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. V. Cap. 1. art. 2. Gury: Compendium Theologiae moralis P. I. n. 320—324.

Casus.

9. — *Fabricius, qui votum emiserat numquam chartis ludendi, quadam die blandis amici sui verbis ad ludendum cum ipso adducitur, atque lucrum haud exiguum inde reportat. Quaeritur 1. An votum non ludendi sit validum? et 2. An Fabricius censeatur peccasse, et ad restitutionem lucri teneatur?*

---

[1]) Vide s. Alph. n. 207. 209.

[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 88. a. 6.

[3]) S. Alph. n. 202. — Suarez: Lib. II. c. 2. n. 7. Lessius: L. II. c. 40. Dub. 7. n. 34.

[4]) Lib. IV. n. 203.

Resp. ad 1. Quamvis ludere per se indifferens sit, nihilominus tamen votum de abstinentia a ludo validum esse potest, quando nimirum fit ob finem honestum, e. g. ad vitanda peccata, ad exercendam mortificationem; secus vero, si talis finis non intenderetur, e. g. si quis voveret non ludere cum certo homine ad ostendendam aversionem, vel quia credebat se in ista domo esse infortunatum. Ratio patet ex dictis n. 6.

R. ad 2. Solutio quaestionis, an Fabricius ludendo peccaverit, ex distinctione praemissa pendet. Certo peccavit, si abstinere a ludo intenderit in finem moraliter bonum, quia tunc votum validum emisit, quod proinde ludendo violavit. In hoc autem, ait s. Alphonsus, [1]) bene dari potest parvitas materiae, quae metienda est juxta finem a vovente intentum. Excusaretur tamen ab omni peccato, si intendisset vitare lusum tantum illicitum, et talis non fuisset lusus, de quo agitur; — spectanda igitur est intentio voventis. [2]) — Non tenetur ad restituendum lucrum, esto votum violaverit, quia tunc contra religionem, non vero contra justitiam peccavit, nisi forsitan dolo et fraude usus sit. [3])

10. — *Lucretia audiens, Cellis Marianis per intercessionem B. V. M. beneficia multa impetrari, dicit corde: volo peregrinari in hunc locum gratiarum. Posthac sumpta sacra Communione pie erga Christum affecta ait: Domine, offero Tibi meam virginitatem. Dubitat nunc, an voverit peregrinationem et castitatem perpetuam?*

Resp. Cum Lucretia usa sit verbis indifferentibus ad votum et propositum, in dubio, an voverit, potest judicare, se propositum tantum elicuisse. Quodsi usa esset verbis, quae votum significant, non censeretur dixisse, quod in mente non habuit, proindeque votum praesumendum esset. [4]) Cf. n. 5.

11. — *Fabius bellidux instante proelio vovet, se ecclesiae cuidam, quam pauperem esse putat, centum florenos esse oblaturum, si cum exercitu victoriam reportaverit. At vero bellum injustum est, porro ecclesia non est pauper, sed sufficientes redditus habet. Hinc quaeritur, an iste bellidux valide voverit.*

Resp, *Aff.;* etenim 1. licet bellum sit injustum adeoque malum, victoriam tamen reportare est effectus in se bonus et Dei donum; porro votum illud non cadit super causam malam, sed super effectum bonum, quapropter votum validum est: [5]) — 2. paupertas ecclesiae in casu, ut jacet, non fuit causa motiva voti, adeoque error est mere accidentalis, qui votum non infirmat.

§. 53.

De obligatione voti.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Voti vinculum ligat voventem, neminem alterum premit.* Dicitur 1. *Voti vinculum ligat voventem.* Est de fide. [6]) Probatur a) ex s. scriptura: *„Quodcunque voveris, redde: multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. Displicet enim Deo infidelis et stulta promissio."* Eccl. 5. 3.

[1]) Lib. IV. n. 178.

[2]) Late hunc casum prosequitur La Croix: Lib. III. P. I. n. 452—458.

[3]) Vid. s. Alph. de simili casu Lib. IV. n. 870.

[4]) Reuter: P. II. n. 348. 349.

[5]) S. Alph. cum Busenbaum Lib. III. n. 206. Suarez: Lib. II. cap. 5. n. 19. La Croix: Lib. III. P. I. n. 421.

[6]) Ita Voit n. 560.

„Vovete et reddite." Ps. 75, 12. — Prob. b) ex ss. Doctoribus, qui frequenter hanc obligationem Christifidelibus inculcant. S. Augustinus scribit: *„Quia vovisti, jam te obstrinxisti; aliud tibi facere non licet."* [1]) Rursus: *„vovere est voluntatis, sed reddere necessitatis."* [2]) Doctor Angelicus ait: *„haereticum est, asserere, votum non obligare."* [3]) Probatur c) ex ratione. Magis homo Deo, quam homo homini obligatur. Atqui homo tenetur homini factam exequi promissionem. Ergo a potiori promissionem Deo factam. — Dicitur 2. *Voti vinculum alterum neminem premit.* Colligi potest ex 5. Mos. 23, 23. et aperte ab omnibus doctoribus traditur. [4]) Ratio evidens est, siquidem nemo actionem vel rem alienam promittere potest.

Quare a) irrita sunt vota parentum filios devoventium statui religioso vel statui sacerdotali, vel quamcunque ipsis imponentium obligationem. [5])

b) Communitates vel Universitates civitatum seu locorum non tenentur ex praecepto servare festa ex voto eorundem indicta, cum sub praecepto teneantur tantum personae voventes. S. R. C. die 18. April 1643. et 4. Mart. 1645.

c) Si communitas aliquid voverit, in quod posteri non consenserunt, isti non tenentur id servare vi voti, sed interdum ratione pacti, statuti, vel longae consuetudinis. [6])

d) Cum vero teneatur haeres solvere vota realia defuncti, non tenetur ad id vi voti, sed ex justitia, sicut tenetur alia defuncti debita, legata etc. solvere. [7])

2. — **Principium II.** *Votum obligat vel sub gravi vel sub levi pro quantitate materiae, et secundum intentionem voventis.* Est doctrina communis, sed accurate explananda.

Dico 1. *Votum obligat juxta quantitatem materiae.* Etenim votum est lex particularis, atqui lex obligat juxta materiae quantitatem. [8]) Porro *materia gravis* censetur, quae aut ex se aut spectatis

[1]) Epist. 127. (al. 45.) n. 8.

[2]) Similia habet s. Bernardus: Libr. de praecepto et dispensatione, cap. 1. n. 2.

[3]) Quodl. 3. art. 12.

[4]) S. Thomas: „obligatio voti ex *propria* voluntate et intentione causatur." 2. 2. q. 88. a. 3. ad 3. S. Alph. Lib. IV. n. 212. Suarez: Lib. III. cap. 2. n. 4. Lessius: Lib. II. cap. 40. Dub. 10. n. 62.

[5]) Unde, si qui canones videntur indicare, filium a patre religioni devotum teneri eam profiteri, intelligendi sunt, si filius votum patris semel ratificaverit. S. Alph. n. 213. 5.

[6]) S. Alph. L. IV. n. 216.

[7]) S. Alph. n. 213. 6. et n. 214.

[8]) V. s. Alph. n. 211.

circumstantiis ad honorem Dei vel ad proximi vel ipsius voventis utilitatem notabiliter influit, aut a lege divina vel Ecclesiastica sub gravi praecipi solet. Sic e. g. si quis jejunium, Missae auditionem, sacramentalem Confessionem vovisset, haec vota per se obligarent sub gravi, quia sub gravi obligant praecepta Ecclesiastica, quae easdem res fieri jubent. [1])

Possunt materiae leves in votis coalescere et ad gravem materiam pervenire, quando materiae leves voventur per modum *unius*, ut praesumitur in votis realibus; non autem, si voveantur *separatim* in honorem diei, sicut censendum est in votis personalibus. Sic e. g. si vovisti, per annum integrum alere pauperem, et hoc pluribus diebus intermittis, materiae censentur coalescere, sicut in casu, quo pluribus diebus domino surripias rem de se levem. E contrario, qui vovet, se per plures dies velle jejunare, non peccat graviter, si aliquid leve diebus singulis comedat. Ita communiter. [2])

Dico 2. *Votum etiam obligat secundum intentionem voventis.* Potest enim vovens in materia quantumvis gravi se obligare sub levi, quia votum est lex particularis, qua vovens ipse Deo se obstringit; at vero legislator quivis potest in materia gravi obligare sub levi coll. Lib. 1. §. 56. n. 4. Non tamen vicissim graviter in re levi potest se obligare, quia materia levis non est capax obligationis gravis, ut ibidem dictum est. [3])

Communiter tamen censetur, voventem se voluisse graviter obligare in materia gravi, nisi constet de intentione voventis, se obligandi sub levi. [4])

3. — **Principium III.** *Votum implendum est tempore fixo, atque hoc elapso non obligat amplius, nisi tempus determinatum fuerit ad urgendam tantum, non ad finiendam obligationem.* Nam instar legis est et obligat votum. Si nullum tempus fuerit praefixum, votum impleri debet, quam primum commode fieri potest. Dicitur nimirum in s. scriptura 5. Mos. 23. 31.: *„Quum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum."* [5])

---

[1]) Laymann: Lib. 4. t. 4. cap. 3. Gobat: Experimentalis Theolog. Tr. V. n. 52. Reuter: P. II. n. 338. Voit: Tom. I. n. 562.

[2]) Vid. s. Alph. n. 212. Laymann: Lib. IV. Tr. IV. cap. 3. n. 3.

[3]) S. Alph. n. 211. et 213. 2.

[4]) S. Alph. n. 213. 2.

[5]) Vid. S. Bernard. epist. 108. S. Thomas: 2. 2. q. 88. a. 3. ad 3. S. Alph. n. 220. et 221. Voit n. 365.

Hinc e. g. qui jejunium vovit in honorem B. V. M. Sabbato servandum, si hoc die sive inculpabiliter sive culpabiliter illud non observaverit, deinceps ad nihil tenetur; neque tenebatur praevenire, si praeviderit impedimentum eo tempore superventurum, nisi alia sit voventis intentio. [1]) Qui autem vovit peregrinationem sine temporis determinatione, ad eam peragendam, cum primum commode potest, tenetur, nec obligatio, longa mora interposita, cessat.

Ad quaestionem: *Quaenam dilatio voti implendi sit gravis censenda?* Resp. 1. Si tempus determinatum fuerit pro voto implendo, e. g. hac die jejunandi, vel Missam audiendi, tunc gravis est quaelibet dilatio voti graviter obligantis ultra tempus determinatum, quia hoc elapso votum non potest amplius impleri, cum tempori fuerit affixum. 2. Si autem tempus determinatum non fuerit, aut ad urgendam tantum voti executionem, non finiendam, determinatum fuerit: dilatio notabilis in re gravi erit peccatum grave. Porro dilatio notabilis sancto Alphonso [2]) aliisque videtur, si impletio voti *temporanei* absque justa causa differatur ad duos vel tres annos, et impletio voti *perpetui*, v. c. ingrediendi ordinem religiosum, sine rationabili, causa differatur ultra sex menses.

4. — Qui votum de re aliunde jam praecepta violat, duplex peccatum committit, unum videlicet contra virtutem, ad quam pertinet res promissa, et alterum contra virtutem religionis. Qui votum de re non praecepta violat, unum duntaxat peccatum, nempe contra religionem committit. [3])

5. — **Principium IV.** *Vota personalia nonnisi per actionem ipsius voventis, vota realia autem etiam per alterius cujusdam solutionem a vovente acceptatam vel ratificatam impleri possunt.* Ratio est, quia actio alterius non potest fieri actio voventis; quod autem alter dat, fit ipsius proprium. Ita s. Alphonsus [4]) et alii. Hinc e. g. qui vovit peregrinationem, non satisfacit, dum alium conducit ad eam peragendam. Qui autem eleemosynam vovit, certe satisfacit, si alius sive rogatus sive sponte sua pro ipso solvat, quamvis ipse ex suis solvere valeat. Imo satis probabiliter adhuc satisfacit voto eleemosynae, qui eam ab alio in hunc finem praestitam ipso inscio, postea,

---

[1]) S. Alph. n. 220.

[2]) Th. m. Lib. IV. n. 221.

[3]) S. Alph. n. 213. 4. et n. 224. Utrum autem violatio cujuscunque voti induat malitiam sacrilegii, — alii negant, alii affirmant. Vide s. Alph. Lib. IV. n. 47.

[4]) n. 217.

cum noverit, ratificat; quia tunc jam impletur votum cum consensu voventis. [1])

Communiter tradunt, eum, qui voti immemor praestat opus promissum, satisfacere voto, modo tamen illud opus non applicet ad alium finem. Ratio est, quia ponit substantiam actus, ad quam tenetur. [2])

6. — **Principium V.** *Interpretatio votorum plane eadem est ac legum.* Ratio habetur in ipsa voti natura; votum enim quaedam lex est particularis et privata.

Hinc 1. Qui vovit sine certa quantitate e. c. eleemosynam, frumentum, satisfacit dando, quantum voluerit, dummodo non tam parum tribuat, ut videatur potius Deo illudere, quam votum implere.

2. Qui vovit sine certa qualitate v. c. calicem, satisfacit, si donet secundum usum communem, ut calicem argenteum. [3])

3. Qui vovit sine certo loco ingressum in Ordinem aliquem, satisfacit intrando quodcunque monasterium ejusdem Ordinis, in quo servantur substantialia regulae. [4])

Qui vovit ingredi religionem certam, et religionem aliam, imo laxiorem, ingreditur et in ea profitetur, potest in eadem licite manere. Pro voto tamen non completo erit eidem poenitentia imponenda. Sic decrevit Bonifacius VIII. *qui post votum* (5. de regular., in 6).

4. Votum indeterminatum quoad temporis durationem v. c. de rosario diurno, de jejunio singulis sabbatis servando, obligat perpetuo, nisi aliud ex circumstantiis colligere liceat. In dubio, an votum sit temporaneum vel perpetuum, aut pro mense vel anno, minimum tenendum est. [5])

5. Qui vovit audire sacrum per mensem vel annum, probabilius non tenetur in festis audire duo sacra, nisi explicite hoc voverit. Item non tenetur jejunare die dominica, qui per mensem, annum, vel totam vitam jejunare vovit, nisi expresse ad id sese obligaverit, quia censetur vovere jejunium juxta morem Ecclesiae faciendum. [6])

6. Qui vovit jejunium pro vigilia alicujus Sancti, si haec in

---

[1]) S. Alph. n. 217.
[2]) Idem n. 224. Lib. 1. n. 163.
[3]) Idem n. 222. 16.
[4]) Idem n. 222. 15.
[5]) Idem n. 221.
[6]) S. Alph. n. 224.

diem dominicam incidat, sabbato juxta consuetudinem Ecclesiae votum adimplere potest. [1])

7. Qui vovet se recitaturum rosarium, satisfacit recitando tertiam partem, quia communiter sic intelligitur. [2])

* S. Augustinus: Epist. 127. al. 45. Epist. 220. al. 70. (de votis persolvendis) (Op. Tom. II.) S. Petrus Damiani: Opusc. 42. (de servanda fide Deo obstricta). S. Bernardus: Epist. 108. (de periculosa voti dilatione) (Op. Tom. I.) S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 88. a. 3. In Lib. IV. Sent. Dist. 38. a. 4. q. 1. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. 4. n. 211—224. — Suarez: De virtute et statu religionis Tom. II. Tract. VI. Lib. 4. et 5. Sporer: Theol. mor. super Decal. P. III. cap. II. Sect. 3. Reiffenstuel: Theologia moralis, Tom. III. Tr. V. Dist. 3. Quaest. 2. n. 12—24. Voit: Theologia moralis P. I. n. 560—590. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. V. Disp. II. cap. 1. art. 3.

Casus.

7. — *Gerardus 1. vovit, se curaturum, ut tres Missae pro fidelibus e sua familia defunctis legantur; sed distulit voti impletionem ad aliquot menses. 2. Vovit quoque proximo mense semel devotionis causa peregrinari; sed distulit in finem mensis, quo non potuit id efficere. 3. Vovit, se singulis diebus oraturum quinquies Pater et Ave pro anima in purgatorio maxime deserta, quod tamen per annum neglexit. Quaeritur: Quomodo in his Gerardus peccaverit?*

Resp. ad 1. Si nullum praefiniverit tempus Missis legendis, tenebatur proximo, quo sine incommodo poterat, votum implere coll. n. 3.; ac proinde differendo Missas absque rationabili causa, certe peccavit, sed non graviter, quia coll. n. 3. dilatio voti temporanei ad aliquot menses non videtur esse gravis.

R. ad 2. Si praevidit, se in fine mensis impeditum iri a peregrinatione, differendo eam peccavit, tenebatur enim praevenire, et die commodo ejusdem mensis voto satisfacere: quemadmodum praevidens, se die dominica post horam nonam non amplius posse sacro interesse, tenetur Missam audire citius, v. g. hora sexta vel septima, quo potest, juxta dicta Lib. I. §. 64. n. 5. Quodsi impedimentum non praeviderit, ab omni culpa excusatur.

R. ad 3. Non peccavit graviter, quia obligatio haec per se levis est (ob parvitatem materiae), et affixa diei, ideoque sicut cum obligatione alterius diei nullam habet connexionem, ita neglectus unius diei non coalescit cum neglectu alterius diei. Toties igitur venialiter peccavit, quoties preces promissas neglexit.

§. 54.

De voti extinctione I. ex causis intrinsecis.

Obligatio voti cessare potest 1. ob causas intrinsecas, et 2. ob causas extrinsecas.

Causae intrinsecae voti vinculum solventes sunt 1. cessatio causae motivae, et 2. notabilis mutatio rei promissae. De quibus notanda sunt sequentia

---

[1]) S. Alph. ibid.
[2]) Idem l. c.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Extinguitur votum cessante causa motiva.* Ratio est, quia hujusmodi causa cessante, fundamentum obligationis cessat. Hinc e. g. ad nihil tenetur, qui vovit se non esse ingressurum domum aliquam ob periculum peccati, quod postmodum cessat; vel qui vovit peregrinationem pro impetranda filii valetudine, hic autem interim moritur etc. Ita omnes. [1])

Principium II. *Cessat voti obligatio notabili rei promissae immutatione, per quam nempe materia voti fiat vel illicita, vel impossibilis.* Ratio est, quia in hujusmodi casibus votum nec incipere potuisset coll. §. 52. n. 6. Ita omnes. [2]) Hinc e. g. non tenetur ad eleemosynam pauperi cuidam faciendam, ad quam voto se obligaverat, si ille temporis tractu eleemosyna abutitur ad se inebriandum etc., quia res promissa evasit illicita. Nec tenetur ad jejunium Deo promissum, si postea infirmetur, vel ad aedificationem ecclesiae, quam vovit, si dein pauper factus sit etc.; quia tunc res promissae impossibiles evaserunt. Porro, etsi *tua culpa,* materia seu res promissa facta sit impossibilis, vel plane inutilis, adhuc cessat obligatio, sed poenitendum est de culpa. [3]) — Quodsi tamen res sit divisibilis et ex parte remaneat possibilis, ad hanc partem exequendam obligatio perdurat coll. §. 52. n. 8.

2. — *Nec votum tenet, ubi supervenit circumstantia, quae si fuerit praevisa, votum non esset emissum.* Ita s. Alphonsus [4]) et alii communius [5]) cum d. Thoma, qui scribit: *„id liberat ab obligatione voti aut juramenti, quod si ab initio accidisset aut notum fuisset, haec fieri impediret.“* [6]) Ratio est, quia lex se non extendit ultra intentionem legislatoris; ergo nec votum, quod quippe lex est quaedam privata et particularis. Sic e. g. si vovisses, te daturum eleemosynam pauperi cuidam vitam honestam agenti, non esses obligatus ad eleemosynam eidem postmodum improbo facto elargiendam, supposito, quod solum probo viro volueris subvenire. — In dubio tamen, utrum superveniens circumstantia excuset a voto, standum

---

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 188. — Laymann: De voto, cap. 8. n. 2. Suarez: Lib. 4. de voto cap. 18.

[2]) S. Alph. n. 225. — Sanchez, Lessius, Suarez, Laymann etc.

[3]) S. Alph. n. 225. 1. — Voit: n. 591.

[4]) n. 226.

[5]) Suarez: Lib. 4. de voto c. 19. n. 4. Laymann: l. c. c. 8. n. 2. Reiffenstuel: Tom. III. Tr. 6. n. 27. Voit: n. 592.

[6]) In Lib. 4. Sent. Dist. 38. q. 1. a. 3. ad 1.

est pro valore voti, ideoque pro ejus relaxatione ad Superiorem esset recurrendum. — Porro a regula exposita excipiuntur vota castitatis, et vota emissa in professione religiosa, quae quippe firma manent, quaecunque circumstantia eorum executionem aggravans superveniat. Cf. §. 52. n. 4.

Casus.

3. — 1. *Francisca indeterminate vovit profiteri in aliquo ordine monialium. Igitur ad votum implendum se contulit in aliquod monasterium ordinis s. Benedicti; at vero ob morbum, a quo corripiebatur, anno probationis dimissa est. Qua re Confessario exposita Francisca sciscitatur, an liberata sit a voto?*

Resp. Non est liberata a voto, sed tenetur procurare votum implere, quamdiu apparet probabilis spes illud implendi, eumque in finem non quidem extraordinarium, sed ordinarium tamen medium adhibere. Quapropter sanitate recuperata debet eundem ordinem ingredi, vel si repulsam tulerit, mediocrem diligentiam adhibendo alium ordinem religiosum saltem ejusdem provinciae quaerere, ad quem se aptam esse arbitratur, et pro susceptionis gratia supplicare. Ratio est, quia quisquis tenetur ad finem, pariter tenetur ad media saltem ordinaria. [1]) Si vero aliquoties repulsam tulerit, vel absque successu ordinem ingressa fuerit, a voto censetur liberata.

2. *Timotheus vovit profiteri in ordine Capucinorum. Sed ordinem ingressus anno probationis vitam religiosam experitur incommodam. Hinc quaeritur, an possit hanc religionem relinquere?*

Resp. *Neg.*, modo incommodum non sit tale, ut ipsi, licet fortiter pugnanti, intolerabile videatur: quia ita praesumitur se voluisse obstringere, ut non possit egredi, si ratio vivendi ipsi sit tolerabilis seu moraliter possibilis. [2])

§. 55.

De voti extinctione II. ex causis extrinsecis.

Causae extrinsecae, per quas voti obligatio solvitur, vel saltem suspenditur, sunt: 1. commutatio, 2. dispensatio, et 3. irritatio; de quibus singillatim tractandum.

De commutatione votorum.

1. — *Commutatio voti est substitutio alicujus operis in locum operis promissi.* Triplici autem modo fieri potest, scilicet: in *melius,* in *aequale,* in *minus* bonum. Dicitur autem *melius,* quod est tale relate ad utilitatem spiritualem voventis et Deo gratius. [3])

---

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. S. Alph. Lib. V. n. 72. *Quaeritur* III. Laymann: Lib. IV. Tr. V. cap. 6. n. 13. Elbel: De vot. Conf. 9. n. 249. et alii.

[2]) S. Alph.: Lib. V. n. 72. *Quaeritur* IV.

[3]) S. Alph. Lib. IV. n. 243.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Commutatio voti in opus *evidenter melius* ab ipso vovente fieri potest, etiam sine speciali causa. Est doctrina communis. [1]) Ratio est, quia in majori minus continetur. Constat aliunde ex jure canon. c. 3. de jurejurando: *„Non enim propositum aut promissum infringit, qui in melius commutat.“* Hinc, qui e. g. vovit cereum offerre in ecclesia, idem poterit hoc votum propria auctoritate mutare in oblationem calicis. — Excipiuntur tamen vota reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum.

Principium II. Ad validam voti commutationem in opus *minus bonum* requiritur auctoritas Ecclesiastica; quia commutatio est actus jurisdictionis. Angelicus ait: *„Commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit absque consensu ejus, qui vicem gerit Dei in terris, scilicet Praelati.“* [2]) Quoad commutationem voti in opus *aequale*, certe *probabilius* est, eam privata voventis voluntate fieri non posse, quia merito censetur Deo gratius esse, rem promissam ex fidelitate praestare quam aliam, licet aequalem, suo arbitrio eligere. Ita s. Alphonsus [3]) cum aliis.

Hic autem observandum: 1) Qui potest dispensare, etiam potest commutare vota, ex reg. 53. in 6. *Cui licet, quod est plus, licet ubique, quod est minus;* non autem vicissim, quia major potestas in minori non continetur.

2) Qui habet potestatem commutandi, sed non dispensandi, debet votum commutare in aequale; quia si in minus mutaret, ex parte jam dispensaret. Ast aequalitas large, non mathematice aestimanda, secus enim innumeris difficultatibus ac scrupulis obnoxia, et pene impossibilis res foret. [4])

3. — **Principium III.** Requiritur porro causa justa, ut commutatio in minus vel aequale bonum sit licita, et probabiliter etiam, ut sit valida. [5]) In dubio autem, utrum causa commutationis fuerit sufficiens, an non, docet s. Thomas, [6]) posse voventem acquiescere judicio commutantis. Minor tamen causa ad commutandum requiritur, quam ad dispensandum. Itemque minor causa sufficit ad votum commutandum in opus aequale, quam ad commutandum in minus bonum. Ceterum justa causa commutandi est major voventis in aliquod bonum opus propensio, vel minus periculum transgrediendi votum; ut docet s. Alphonsus, [1]) qui simul adjungit: *„Conetur Confessarius talia opera substituere, quae poenitenti videantur magis utilia, et non nimis difficilia.“* Potest opus personale commutare in reale, et vice versa, perpetuum in temporale. [2]) Et signanter monet: *„Commutatio autem tutior in omni votorum genere erit in frequentiam Sacramentorum.“* [3])

[1]) S. Alph. l. c.
[2]) In Lib. 4. Dist. 38. q. 1. a. 4
[3]) n. 244.
[4]) S. Alph. Lib. IV. n. 247.
[5]) Vide Alph. n. 245.
[6]) 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2.

4. — **Principium IV.** Voti commutatione a superiore legitime facta, votum primum exstinctum est, quare non teneris ad primum opus redire, ubi secundum evaserit impossibile, et id, etiamsi tua culpa evaserit impossibile; v. c. pro eleemosyna subrogatum est jejunium hac die: si jejunare potuisti, sed noluisti, certe peccasti, sed non teneris ad eleemosynam. Hoc tamen non currit, si commutatio fiat voluntate et electione propria, quia votum primum non exstinguitur; quapropter si non impletur secundum opus, implendum est primum. Et hoc certum est. Sic s. Alphonsus [4]) cum aliis tradit.

Ceterum facta commutatione adhuc voventi liberum est, ad primam voti materiam redire, si commutatio contigerit in bonum minus vel aequale, ut communiter docent. Imo juxta sententiam probabiliorem potest vovens ad primum votum regredi, tametsi commutatio facta sit in bonum melius, quia commutatio fit in favorem voventis. [5])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 243—249.

§. 56.

De dispensatione votorum.

Dispensatio voti est absoluta voti remissio a superiore legitimo Dei nomine facta.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Potestas dispensandi convenit solis Praelatis, qui gaudent jurisdictione spirituali in foro externo.* Ratio est, quia haec potestas pertinet ad externam Ecclesiae gubernationem, sicuti potestas ferendi leges et censuras.

Equidem dispensare possunt 1. *Papa* pro tota Ecclesia,

[1]) H. A. Tr. V. n. 38.
[2]) Th. m. n. 247.
[3]) Th. m. n. 243. Praxis. Confess. §. 4. n. 26.
[4]) Th. m. n. 249.
[5]) Vid. s. Alph. Lib. IV. n. 248.

2. *Episcopi,* et Sede vacante *Vicarius Capitularis,* pro dioecesanis, 3. *Abbates jurisdictionem quasi episcopalem habentes* pro subditis respectivis. 4. *Praelati regulares* pro religiosis et novitiis, licet vota emissa essent in saeculo; vel saltem suspendere possunt illa, quatenus praejudicant novo vitae statui. In votis autem ordinis substantialibus vel ipsis adnexis, prout in voto non edendi carnes, renuntiandi dignitatibus etc., quae in nonnullis religionibus solent emitti, nonnisi a Pontifice potest dispensari. — Parochus autem aliique sacerdotes in votis dispensare non valent, nisi habeant potestatem delegatam. [1])

2. — Summus Pontifex dispensare potest *in omnibus votis simplicibus.* Sic omnes docent. Idem pariter dispensare potest *in votis solemnibus* quoad clericos in sacris constitutos et religiosos. Est sententia communis [2]) et certa. [3]) Ratio una est, quia recte censetur hoc Pontifici concessum, cui concessit Deus totius Ecclesiae regimen. Ratio altera et multo adhuc fortior desumitur ex ipsa Romanorum Pontificum praxi, utpote quae oppositam opinionem temerariam satis ostendit. Sic Benedictus IV. dispensavit cum Ramiro presbytero et religionem professo, ut labentem Arragoniae prosapiam accepta uxore excitaret. Julius III. Cardinali Polo, legati munere in Anglia fungenti, facultatem fecit dispensandi cum presbyteris, diaconis, subdiaconis, qui tempore anglicani schismatis matrimonium attentarunt, ut si uterque eorum superstes maneat, inter se legitime contraherent, sed omni Ordinum exercitio sublato. Porro Pius VII. vestigia Julii III. secutus est quoad ecclesiasticos viros, qui in sacris constituti, tempore revolutionis gallicanae matrimonium attentarunt. [4])

Episcopi et Praelati regulares dispensare possunt in omnibus

[1]) Idem: Lib. IV. n. 256. 257. H. A. Tr. 5. n. 42.

[2]) D. Thomas quoad clericos in sacris constitutos hoc docet 2. 2. q. 88. a. 11., quoad religiosos in 4. Dist. 38. q. 1. a. 4. ad 3., quamvis de his 2. 2. q. 88. a. 11. contrarium asseruisse videatur. Ast contradictio haec tantum apparens est, et legitima interpretatione dissolvi potest. Vid. Suarez: de relig. Lib. 6. c. 17. n. 25. S. Alph.: Th. m. L. IV. n. 256.

[3]) Plerumque Theologi sententiam illam tantum *probabiliorem* dicunt; at vero R. Pontificum acta et decreta eam omnino certam reddunt, certamque eandem vocat Bouix: Tract. de Jure regularium Tom. II. Sect. 3. cap. 1. pag. 481—483. Fuse veritatem illam probat Suarez: De religione Tom. III. Lib. 6. c. 16. Collet: Tract. de Relig. Par. II. c. 5. n. 205—223.

[4]) Scavini: Tom. II. pag. 73. Alia exempla apud Lessium: Lib. II. c. 40. Dub. 19. n. 141.

votis Sedi Apostolicae non reservatis. Haec autem, praeter solemnia, sunt: 1) votum castitatis perfectae et perpetuae, non vero votum virginitatis tantum; 2) votum ingrediendi religionem ab Ecclesia approbatam; 3) votum peregrinandi Hierosolymam ad sepulchrum Christi; 4) votum peregrinandi Romam ad limina Apostolorum; et 5) votum peregrinandi Compostellam ad s. Jacobum. Haec autem, ut sint reservata, debent esse *absoluta* (non conditionata vel poenalia), *determinata* (non disjunctiva), *perfecta ratione libertatis* (quare non sunt reservata, si sint emissa etiam ex levi metu ab alio incusso), *perfecta ratione materiae* (quapropter e. g. votum castitatis non est reservatum, si non excludat omnem actum venereum internum, ut votum non nubendi, non fornicandi, non petendi debitum; nec reservatum est votum, quod indirecte tantum castitatem respicit, uti esset votum sacros Ordines suscipiendi). Porro vota illa supra nominata tantum quoad *substantiam* reservata sunt, non quoad *circumstantias;* quare si quis e. g. voverit ingressum in religionem rigidiorem, episcopus potest dispensare, ut ingrediatur mitiorem; item, si votum sit ingrediendi statim, potest episcopus dispensare, ut differatur ingressus. [1])

Ceterum episcopi et similem jurisdictionem habentes possunt in votis reservatis dispensare *exceptive,* nimirum in urgenti necessitate, si non facilis sit accessus ad Summum Pontificem, et in mora periculum gravis damni vel spiritualis vel temporalis, proprii aut alieni. [2]) Praeterea in Quinquennalibus conceditur episcopis facultas „dispensandi et commutandi vota simplicia in alia opera pia, exceptis votis castitatis et religionis“.

3. — Si reservatum votum sit commutatum in aliud pium opus, hoc reservatum non est, licet vinculum voti habeat. [3])

4. — Sed hic incidit quaestio: *An votum in beneficium tertii emissum dispensatione dissolvi possit?* Resp. 1. Potest solvi, si votum non fuerit acceptatum a proximo. 2. Non potest, si jam fuerit acceptatum, quia tunc obligatio contractus intercedit. [4]) Excipiunt

[1]) S. Alph. n. 258. *Notandum III.*

[2]) Idem l. c. *Notandum II.*

[3]) Idem n. 260. *communiter et probabilius.*

[4]) Etiam tempore Jubilaei, quando Confessarius donatus facultate, vota etiam Apostolicae Sedi reservata in alia pia et salutaria opera dispensando commutandi, excipiuntur semper (praeter vota religionis et castitatis) *vota obligationis, quae a tertio acceptata fuerit, seu in quibus agatur de praejudicio tertii;* ut videre licet ex lit. Apost. P. M. Pii IX. die 11. April 1869. de indulgentia plenaria in forma Jubilaei causa Conc. oecumenici.

tamen probabiliter, quando votum emissum fuerit principaliter in Dei honorem, quia tunc tertius non acquireret verum jus ad rem promissam, nisi dependenter a Dei voluntate, quae quidem relaxari potest. [1])

5. — **Principium II.** Ad validitatem dispensationis semper requiritur justa causa. Ita communiter. [2]) Ratio est, quia vota soli Deo fiunt, cui voventes ad aliquid praestandum se obligant; ergo homo in iis dispensare non valet nisi ut superior secundarius; sed secundarius sine sufficienti causa valide dispensare nequit, coll. Lib. I. §. 66. n. 8.

Justae causae dispensandi sunt: 1) bonum Ecclesiae vel reipublicae vel familiae, vel major profectus ipsius voventis; 2) notabilis difficultas in voti observatione etsi praevisa e. g. si scrupulis vel gravibus tentationibus voti causa opprimeretur, qui voto obstrictus est; nec non periculum, illud transgrediendi; 3) imperfecta deliberatio et libertas in voti nuncupatione, ut e. g. si votum processerit ex tristitia, ira, metu intrinseco vel extrinseco; itemque si votum esset factum tempore impubertatis. [3])

Ubi causa non sufficit ad integram dispensationem, partim dispensari in voto, partim id commutari potest. [4])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 250—262.

Casus.

6. — *Amalia puella 20 circiter annorum fatetur, se aliquot abhinc annis graviter aegrotantem ex metu mortis votum numquam nubendi sub conditione, si convaluerit, nuncupasse; nuper tamen in sponsalia consensisse, tum quia parentes ita voluerunt, tum praesertim, quia sponsus sit homo valde bonus et amplo patrimonio provisus. Scire proin a Confessario cupit, num quis voti obligationem auferre valeat, et an fortasse stante hoc voto nubere possit. Quid ad haec Confessarius?*

Resp. Confessarius puellae veritatem aperiat declarando, quod stante hoc voto nequeat tuta conscientia nubere, quoniam etsi non invalidum, tamen illicitum matrimonium facit votum simplex non nubendi; ideoque illam jam peccasse sponsalia contrahendo. Cf. §. 51. n. 2. — Addat Confessarius, in hoc voto ab episcopo posse dispensari. Ratio, quia votum castitatis Sedi Apostolicae reservatum est castitatis perfectae et perpetuae; illud autem votum puellae non respicit castitatem perfectam nisi forsitan plus intenderit, quam expresserit verbis. Imo etsi Amalia voto perfectae et perpetuae castitatis se obstrinxisset, episcopus adhuc in casu praedicto

[1]) Vid. s. Alph. n. 255.
[2]) S. Alph. n. 250.
[3]) S. Alph. n. 250. 252. Hinc Innocentius III. c. *Magnae in voto* monet, tria attendenda esse in dispensatione votorum: 1. quid liceat secundum aequitatem, 2. quid liceat secundum honestatem; 3. quid expediat secundum utilitatem.
[4]) S. Alph. n. 254.

dispensari posset: a) quia votum emissum est sub conditione, et b) quia imperfectum est ratione libertatis, utpote ex metu mortis nuncupatum.

§. 57.
De irritatione votorum.

1. — *Irritatio voti est ejusdem annullatio vel suspensio facta ab eo, qui potestatem habet in voventem, vel in materiam voti.*

Ideo irritatio voti duplex est: 1. *directa*, quae nempe directe tendit in votum, ejusque obligationem tollit, ita, ut numquam reviviscat; 2. *indirecta*, quae tantum in materiam voti tendit alteri subjectam, atque voto remanente, ejusdem obligationem tantum suspendit, ita ut impedimento cessante reviviscat.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Omnis superior, qui habet potestatem in alterius voluntatem, omnia ejusdem vota d i r e c t e irritare potest.* Sic fert doctrina communis et certa. Ratio petitur ex jure naturae. Etenim inferior, cujus voluntas plene dependet a voluntate superioris, salvo istius jure, de se ipso disponere nequit, unde ejusdem vota, quaecunque sint, semper tacitam hanc involvunt conditionem: *nisi superior contradixerit.* Hinc vota ab hujusmodi subdito emissa, valida quidem sunt, quamdiu superior non contradixerit ex cap. Monacho 20. q. 4.; superiore autem declarante voti nullitatem, omnis corruit obligatio suscepta.

In specie:

1. Vota religiosorum, non tamen novitiorum, etiam sub praedecessoribus emissa, irritare possunt directe praeter Pontificem, qui potest omnium religiosorum vota directe irritare, et praeter episcopum, qui monialium subjectarum vota potest directe irritare, — Superiores Ordinis, Abbates, Quardiani, Priores, Rectores (absentibus superioribus primariis etiam secundarii); itemque vota monialium Abbatissae. [1]) Excipitur tantum votum transeundi in religionem strictiorem, ut definivit Innocentius III. c. 18. de regular., quia

[1]) Vide s. Alph. n. 227., et quoad abbatissas Lib. V. n. 53. — Videatur etiam D. Bouix: Tractatus de Jure Regularium Tom. II Par. VI. pag. 504. 505. (quoad Praelatos regulares), *et ibid.* pag. 458. (quoad monialium superiorissas). — Sed Abbatissae seu superiorissae monialium *dispensare* in votis suarum monialium, aut ea *commutare* non possunt, quia carent jurisdictionis potestate. S. Alph. Lib. V. n. 53. Bouix l. c. pag. 459.

superiores non habent a Deo potestatem impediendi majus bonum.[1]) Excipiuntur pariter vota essentialia, et votis essentialibus absolute adnexa, ut e. g. est apud Patres de Mercede votum redimendi captivos; quia alioquin funditus evertere possint religionem, cujus conservationi studere debent.[2]) — Vota emissa ante professionem omnia per eam extinguuntur, ut habetur ex c. *Scripturas de voto.*[3])

2. Vota impuberum personalia et realia, etiam castitatis et religionis, directe irritare potest pater, et patris defectu avus paternus, imo etiam mater, modo non contradicat pater, ut patet ex c. *Puella.*[4]) (Impubertas autem secundum jura finitur in masculis anno 14. completo, in foeminis 12. completo, a die nativitatis computando). Porro potest pater irritare votum a filio emissum tempore impubertatis, licet filius jam factus sit puber, modo filius non confirmet votum in pubertate, cognoscens illud fuisse infirmum.[5])

3. *Probabilius* secundum d. Thomam[6]) et s. Alphonsum[7]) aliosque multos[8]) maritus directe irritare potest vota uxoris tempore matrimonii emissa, licet non praejudicent usui matrimonii vel prolis educationi vel gubernationi domesticae, etiam vota exequenda post mortem mariti v. c. religionis, castitatis. Rationem profert s Alphonsus, „quia expedit valde ad pacem familiae, ad mutuum amorem fovendum, quod uxor voluntatem totaliter a viro dependentem habeat". *Negant* tamen alii, dicentes, maritum ea tantum vota uxoris posse directe irritare, quae juribus suis obstant, cum uxor quoad alia marito non sit subjecta.[9])

3. — **Principium II.** *Omnis superior, qui habet tantum potestatem in materiam voti, i n d i r e c t e irritare potest vota subditorum in iis, in quibus laeditur ipsius potestas.* Est doctrina communis et

---

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 233. Collet: Tract. de Relig. P. II. c. 5. n. 243. Bouix: op. cit. pag. 504.

[2]) Laymann: cap. 7. n. 6. Collet op. cit. n. 243. et communiter.

[3]) S. Alph. 237. — Est communis sententia (inquit Suarez: De religione Tom. III. Lib. 6. c. 14. n. 3.), omnia vota praecendentia extingui per professionem religionis, *veluti per quandam commutationem* in quidpiam ita melius, ut universaliter et quasi eminenter omnia praecedentia comprehendat; ita tenet d. Thomas." Videri potest hoc de argumento D. Bouix: op. cit. pag. 497. 498.

[4]) S. Thomas dicit: „*Si puer ante pubertatis annos attingit usum rationis, potest quidem, quantum in ipso est, se obligare; sed votum ejus potest irritari per parentes, quorum juri remanet adhuc subjectus.*" 2. 2. q. 88. a. 9. Ita etiam Suarez et alii omnes.

[5]) S. Alph. n. 238. cum aliis.

[6]) 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3.

[7]) L. IV. n. 234.

[8]) Vid. R. D. Kutschker: Eherecht 3. B. S. 623. u. f. Wien 1856.

[9]) Sporer: De voto c. 3. n. 27. Laymann, Sylvius, Azor etc. Voit n. 600.

certa. Ratio patet ex lege naturae, vi cujus nemo potest alteri promittere aliquid in praejudicium tertii.[1])

In specie:

1. Pontifex vota omnium fidelium, episcopi vota subditorum indirecte possunt irritare, in quantum ipsis praejudicant.[2])

2. Superiores ordinum religiosorum indirecte irritare possunt vota novitiorum in iis, quae impediunt regulae impletionem.[3]) Si autem novitius ad saeculum redeat, reviviscunt vota ipsius indirecte irritata; quia irritatio indirecta eorum obligationem non prorsus deleverat, sed tantum suspenderat.[4])

3. Pater potest indirecte irritare vota realia puberum, in quantum ipsis nondum competit bonorum suorum administratio. Idem valet de matre, tutore etc. Nequeunt autem hi indirecte irritare vota *personalia,* e. g. castitatis, frequentiae Sacramentorum, nisi quae praejudicent domesticae gubernationi, prout vota longae peregrinationis, jejunii incompatibilis cum modo familiae etc.[5])

4. Herus indirecte irritare potest vota famulorum, quae obsequium debitum impediunt.[6])

5. Maritus indirecte irritare potest vota ab uxore ante matrimonium emissa, quatenus ipsius juribus obstant. Et pari ratione uxor irritare potest indirecte vota mariti, juribus suis obstantia.[7])

4. — Irritatio voti, quae fit *sine justa causa,* valida quidem est, quia dominus valide disponit de re sua; sed illicita, quia irrationabiliter impeditur Dei cultus atque profectus spiritualis subditi; id tamen communiter peccatum veniale non excedit.[8])

Superior valide potest irritare vota subditi, quamvis prius ea approbaverit, quia non potest se abdicare potestate, quam ipsi concedit lex naturalis. Peccat tamen sine causa irritando in tali casu, si non graviter, certe venialiter.[9])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 227—240.

---

[1]) S. Thomas: In 4. Sent. Dist. 38. S. Alph. n. 241.

[2]) S. Alph. n. 242.

[3]) S. Alph. n. 242. — Ferraris, verbo *votum*, art. 3. n. 26. Suarez etc. Dicit D. Bouix: „Praedicta potestas praelatorum regularium vota novitiorum *indirecte* irritandi, extenditur etiam *ad quinque vota Papae reservata.* Nam reservatio Pontificia afficit tantum potestatem jurisdictionalem praelatorum inferiorum, non autem potestatem eorum dominativam." Op. c. pag. 503.

[4]) Suarez: De religione Tom. II. Lib. 6. e. 7. n. 12.

[5]) S. Alph. n. 229. 242.

[6]) S. Alph. n. 242.

[7]) Idem n. 237. 242.

[8]) Idem n. 228.

[9]) Idem n. 239.

V. De juramento.

§. 58.

De juramenti definitione, divisione et honestate.

1. — *Juramentum est invocatio numinis divini in testimonium alicujus rei.* [1]) Haec autem invocatio in eo consistit, quod jurans cupiat ac velit, ut Deus id quod jurat, attestetur et manifestet tamquam verum, quando et quomodo ipsi placuerit, saltem, *cum illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* 1. Cor. 4. 5. [2])

Finis et effectus juramenti est confirmatio veritatis, testante Apostolo: „*Omnis controversiae finis* (inter homines), *ad confirmationem est juramentum.*" Hebr. 6. 16.

Distinguitur multiplex juramentum:

1. *Assertorium* et *promissorium*, prout eo aliquid ceu verum asseritur, aut promissio seu pactum confirmatur. Quibus accedit *imprecatorium* (seu execratorium), quo Deus invocatur in testem veritatis et in vindicem perjurii, ut cum e. g. dicitur: Deus me puniat, si mentior, vel nisi hoc faciam etc. Tale juramentum est Apostoli: „*Ego autem testem Deum invoco in animam meam*" 2. Cor. 1. 23., i. e. in me, seu contra me, si non verum dico. Hebraei hac formula usi sunt: „*Hoc faciat mihi Deus, et haec addat.*" Ruth. 1. 1. Reg. 14, 20. Huc revocatur etiam formula in foro Ecclesiastico adhiberi solita: *Sic me Deus adjuvet, et haec sancta evangelia;* uti habetur in c. *Ego — de jurejur.* [3])

2. *Solemne* et *simplex*, prout fit forma jure requisita et ceremoniis solemnibus, aut privatim iis seclusis.

---

[1]) *Juramenti* seu *jurisjurandi* nomen dictum est a jure, sive quia *qui utitur iuramento, jus veritatis reddit Deo, cui proprie convenit patrocinium veritatis suscipere,* ut docet s. Augustinus Serm. 180. (al. 28. de verbis Apost.); sive quia jure introductum est juramentum ad confirmationem veritatis; sive demum, quia respectu jurantis est quasi jus et lex, qua se obstringit ad id implendum, quod juravit. — Juramentum quandoque tum in jure canonico, tum apud profanos auctores dicitur *sacramentum*, quia fit per rem sacram, imo Deum ipsum, et aliunde est rei sacrae signum, scilicet infallibilis veritatis testimonium. Suarez: Lib. 1. de juramento cap. 1. Collet: Tract. de Religione Par. II. cap. 4. a. 1. n. 1.

[2]) Ita s. Thomas: 2. 2. q. 89. a. 1. a. 2. ad 3. s. Alph.: Lib. IV. n. 133. Laymann: Lib. IV. Tr. 3. c. 1. n. 1. Suarez et communiter DD.

[3]) S. Augustinus: Enarr. in Ps. 7. dicit: „*Jurare per exceratíonem — est gravissimum jurisjurandi genus; cum homo dicit, si illud feci, illud patiar.*"

3. *Explicitum* et *implicitum*, prout Deus expresse ut testis alicujus rei invocatur, aut adhibentur in testimonium creaturae, in quibus attributa divina specialiter relucent. [1])

2. — Nonnulli haeretici juramenti usum licitum esse negarunt, videlicet 1. Pelagiani, [2]) 2. Apostolici tempore s. Bernardi, [3]) et sub idem tempus Waldenses, [4]) et Albigenses, [5]) 3. Wicleffus, cujus error 43. in Concilio Constantiensi proscriptus is erat: *Illicita sunt juramenta, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia;* 4. idem sentiunt Anabaptistae. Sit igitur contra istos haereticos

PROPOSITIO.

Juramentum debitis vestitum conditionibus honestum est et licitum.

3. — Proposita haec doctrina est de fide. Probatur 1) ex s. scriptura, qua testante Deus ipse juravit Psalm. 109. 4. Hebr. 6. 13, 17. et modum jurandi praescripsit 5. Mos. 6, 13. Jerem. 4. 2.; jurarunt et Angeli Apoc. 10, 6. jurarunt Sancti, non solum tempore legis naturalis et scriptae, ut constat de Abraham, Isaac et Jacob Gen. 21. 26. et 32., de Mose 5 Mos. 3. et 4., de Davide Psalm. 62, 12.; 131. 2. de Prophetis, quibus familiaris fuit haec formula: *Vivit Dominus;* sed etiam tempore legis evangelicae, ut s. Paulus: „*testem Deum invoco in animam meam*" 2. Cor. 1. 23. „*quae — scribo vobis, ecce coram Deo, qui non mentior.*" Gal. 1. 20. [6]) — Probatur 2) ex ss. Patribus. Unum pro ceteris adducimus, s. Augustinum, qui scribit: „*Invenimus jurasse Sanctos, jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum; non ergo est peccatum jurare.*" [7]) — Probatur 3) ex continua praxi Ecclesiae, quae saepe juramenta exigit, ut patet ex titulis *De jurejur. et testib.;* ac praeterea aliis omissis confirmatur ex Concilio Constantiensi, quod Sess. 8. errorem

---

[1]) Quaeritur, an omnia ista juramenta sint ejusdem speciei. Negat Pal.; sed melius affirmat sententia communis cum Salm. cum Sot. Less., Sanch. etc. Sic s. Alph. Lib. IV. n. 142.

[2]) Constat ex ep. 156. (al. 88.) Hilarii ad August., et ep. 157. (al. 89.) s. Aug. ad Hilar. n. 40.

[3]) Quod patet ex ejusdem Homilia 65. in Cant. n. 2.

[4]) Vide Professionem fidei Waldensibus ad Ecclesiam reducibus praescriptam ab Innocentio III. a. 1210. apud Denzinger: Enchiridion etc. pag. 161. Ed. 4. 1865.

[5]) Bzovius scribit: Albigenses anno 1240. condemnatos fuisse in Synodo Tarraconae habita, cum dixissent, *in nullo casu esse jurandum.*

[6]) Quod Sancti utriusque Testamenti fecisse leguntur, malum et illicitum haberi nequit, nam, ut dicit s. Augustinus, *intellectus sacrae scripturae ex actibus Sanctorum intelligitur: quia idem Spiritus, quo sacrae scripturae sunt editae, Sanctos viros ad operandum inducit.*

[7]) Serm. 180. (alias 28. de verbis Apostoli).

Wicleffi supra commemoratum ut haereticum damnavit. — Probatur 4) ex juramenti natura, si quidem jusjurandum est actus religionis, ad latriam pertinens. Cum enim Deus ut summa veritas in testimonium cujusdam rei invocatur, celsitudinis ipsius professio fit,[1]) atque honor et reverentia ipsi exhibetur.[2])

4. — Ast jusjurandum, quamvis secundum se sit bonum et virtuosum, non tamen expedit, nisi debitis conditionibus sit vestitum, inter quas illa est, ut nemo eo utatur nisi *ex gravi necessitate*. Juramentum, ut Angelicus infert,[3]) non est ex genere bonorum, quae sunt absolute appetenda, ut v. c. oratio, eleemosyna, votum, sed illorum, quae tantum appetenda sunt posita aliqua necessitate. Servit nimirum ad subveniendum defectui fidei humanae, sicut medicina ad subveniendum infirmitati corporali; et dehinc nec expedit, nisi necessitas ipsum usurpandi urgeat, quemadmodum medicina non nisi premente aegritudine prodest.

Difficultates.

5. — 1. Christus Matth. 5. 33, sic loquitur: „*Audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per coelum, — neque per terram.*“ Et paulo post: „*Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non; quod autem his abundantius est, a malo est.*“ Idem expresse docet s. Jacobus 5. 12. „*Ante omnia autem*, inquit, *fratres mei, nolite jurare, neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non; ut non sub judicio decidatis.*“ Atqui haec verba omne prorsus et quodcunque juramentum prohibent.

Resp. 1. ad textum s. Matthaei cum s. Augustino: „*Intelligendum est illud, quod dictum est omnino, ad hoc positum, ut quantum in te est, non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum, ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, et ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in perjurium decidatur.*“[4]) Nec obstat, quod juxta divinum Salvatorem, quidquid dicitur ultra *est, est; non, non; — a malo est.* Juramentum siquidem non dicitur esse *malum*, sed *a malo*, quia supponit infirmitatem, tum ex parte ejus, qui jurat, tum ex parte illius, cui juratur; neque enim opus esset juramento, si homines hinc quidem satis creduli, illinc satis fideles essent. In primaeva hominis integritate omne juramentum fuisset superfluum, atque praesens jurandi necessitas

---

[1]) Hebr. 6. 16. „*Homines enim per majorem sui jurant.*“

[2]) S. Hieronymus dicit: „qui jurat, aut veneratur aut diligit eum, per quem jurat.“ Vide d. Thom.: 2. 2. q. 89. a. 4. *Catechism. ad Parochos:* Par. III. cap. 3. q. 16.

[3]) 2. 2. q. 89. a. 5. c.

[4]) Lib. de mendacio cap. 15. n. 28. Post eum s. Thom.: 2. 2. q. 89. a. 2. ad 1. Innocentius III. in c. *Etsi Christus*, de jurejur. Suarez: De juramento Lib. 1. cap. 2. Gregorius de Valentia: Disp. 5. q. 7. punct. 3. et alii. *Catechismus Romanus* dicit: „— *Salvator docet, omnino a jurejurando abstinendum esse, nisi id flagitet necessitas.*“ Par. III. cap. 3. q. 18.

a malo, seu ex inducta hominum depravatione descendit.[1]) Hinc s. Augustinus: „*Si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades: quae utique infirmitas malum est. Itaque non dixit: quod amplius est, malum est. Tu enim non malum facis, qui bene uteris juratione, ut alteri persuadeas, quod utiliter persuadeas. Sed a malo est illius, cujus infirmitate jurare cogeris.*“[2])

Resp. 2. ad verba, non jurandum esse, *neque per coelum, neque per terram etc.*, cum d. Thoma,[3]) non prohiberi juramentum simpliciter, sed juramentum per creaturas, tamquam per numina. *Judaei* enim, ait s. Hieronymus, *per Angelos et cetera jurantes, creaturas venerabantur Dei honore.*

6. — Sed ss. Patres omne prorsus juramentum Christianis illicitum esse declarant. S. Cyprianus ait: „*Cogeris maledicere, quod divina lex prohibet; compelleris jurare, quod non licet.*“[4]) S. Basilius in verba Psalmi „qui jurat proximo suo et non decipit“ ait: „*Hic juramentum homini perfecto inter eas virtutes, quae illum decent, concedi videtur, in Evangelio vero prorsus prohibetur.*“[5]) S. Gregorius Naz. scribit: „*Regis sermonibus advertere convenit, ac jusjurandum omni ratione fugere, idque praesertim, quod in Dei nomine concipitur.*“[6]) Similiter s. Joannes Chrysostomus[7]) et alii loquuntur.

Resp. Nulla ratione concedi potest, sanctos Patres de juramento locutos fuisse sensu fidei doctrinae contrario, quia non est credibile, eos ignorasse hanc doctrinam, siquidem in Ecclesia usus juramenti in rebus necessariis semper fuit, atque s. Augustinus suam doctrinam supra expositam, non ut novam, sed ut indubitatam in Ecclesia tradidit. Dicendum igitur est, sanctos Patres, dum juramenta illicita vel prohibita et fugienda esse declarant, ea intelligere juramenta, quae sine debita causa ex quadam jurandi facilitate, vel tamquam bona propter se appetenda assumuntur; quo sensu etiam Christum Dominum juramenta reprobasse vidimus. Nec offendere potest, quod ss. Patres nullam exceptionem notant: hoc enim non erat necessarium, et Christus etiam eam non expressit. Reprehendunt nimirum homines assuefactos et propensos ad jurandum, quos non oportebat docere, juramentum quandoque licitum esse; hoc enim per se clarum omnibusque notum erat.[8]) Fortasse etiam dici potest, sanctos Patres juramenta prohibendo voluisse fidelibus remedium praescribere ad consuetudinem jurandi satis frequenter deponendam vel vitandam;[9]) vel etiam voluisse fideles ad tantum veritatis amorem excitare, ut prorsus superflua redderentur juramenta.[10])

---

[1]) Vide Ambr. Stapf: Theol. moralia in Compendium redacta Tom. II. §. 235. Collet: Tract. de Relig. P. II. cap. 4. n. 51 — *Catechismus ad Parochos:* „— *propter humanam imbecillitatem* inquit, *jusjurandum institutum est.*“ P. III. cap. 3. q. 19.

[2]) Lib. I. de Sermone Domini in monte cap. 17. n. 51. — Vide d. Thom.: 2. 2. q. 89. a. 2. ad 2.

[3]) 2. 2. q. 89. a. 6. ad 1.

[4]) De mortalitate.

[5]) Homil. in Psalm. 14.

[6]) Orat. 53. c. 8.

[7]) Homil. 19. et 87. ad populum, Homil. 17. in Matth.

[8]) Vide Suarez: Lib. I. de juramento cap. 2. n. 19. et 20.

[9]) Hoc remedium sane proponit s. Chysostomus in Homil. ad baptizandos: „*Ab omnibus conjunctis hoc postula, hoc pete beneficium, ut te jurantem arguant et confundant.*“ S. Augustinus autem ad Hilarium scribit: „*Jurationem cave, quantum potes. Melius quippe nec verum juratur, quam jurandi consuetudine, et in perjurium saepe caditur, et semper perjurio propinquatur.*“ Epist. 157. (al. 88.) n. 40. Vide etiam epist. 47. (al. 154). n. 2. Serm. 180. (al. 28. de verbis Apostoli) n. 2. et 3.

[10]) S. Hieronymus epist. 14. ad

* S. Augustinus: Serm. 180. (al. 28. de verbis Apostoli Jacobi c. 5. *Ante omnia nolite jurare*). (Op. Tom. V.) S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 89. a. 1. 2. 3. 4. et 5. In Lib. III. Sent. Dist. 39. a. 1.; a. 2. q. 1. et 2. — Suarez: Lib. I. de juramento cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 42. Dubit. 1. 2. et 3. Laymann: Theologia moralis Lib. IV. Tract. III. cap. 1. 3. et 4. Collet: Tractatus de universa Theologia morali Tom. II. Tract. de Religione Par. II. cap. 4. art. 1. 2. et 3. Martin: Lehrbuch der kath. Moral. §. 216. 217. Iocham: Moraltheologie Th. III. §. 147.

§. 59.

De conditionibus ad juramentum requisitis.

Aliae sunt conditiones, quae ad juramenti essentiam, aliae, quae ad ejus liceitatem requiruntur.

A. De conditionibus, quae ad essentiam juramenti requiruntur.

1. — **Principium**: *Ad verum juramentum duo requiruntur: 1. intentio jurandi, et 2. formula juratoria.* Ita omnes. Sed singula practice evolvenda sunt.

I. *Requiritur intentio jurandi,* saltem virtualis, quia sine tali intentione non est volitum juramentum, ergo nec validum pro foro interno.

Hinc 1. non valet juramentum promissorium ficte seu sine animo jurandi et implendi promissionem emissum, ob voluntatis defectum. Graviter autem peccat sic jurans, quia divino testimonio illudit. [1])

2. Nec valet, *probabilius* saltem, juramentum praestitum cum animo quidem jurandi, sed non se obligandi; [2]) attamen peccatum grave est.

3. Valet autem juramentum emissum cum animo jurandi et se obligandi, sed non implendi; hoc quidem perjurium est. [3])

4. Vere jurat, quisquis intentionem habet jurandi, sive his sive illis verbis ac signis utatur; imo vere jurat, qui utitur verbis nullo modo importantibus juramentum, si putet, ea esse juramenta. [4])

2. — II. *Requiritur formula jurandi per Deum sive explicite sive implicite* saltem pro foro externo, quia cum Deus ut testis invocetur, hoc in juramento exprimi debet. [5])

Celantiam scribit: *„Mentiri et jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit amor veri, ut quidquid dixeris, juratum putes.“*

¹) S. Alph.: Th. m. Lib. IV. n. 172.

²) S. Alph.: Th. m. lib. IV. n. 172.

³) Idem n. 172.

⁴) Idem n. 134.

⁵) Idem n. 134.

1. Jurat igitur, qui dicit: *Juro per Deum, — per Sanctos, —* per creaturas, in quibus modo speciali relucet bonitas aut potentia Dei, — nimirum *per Ecclesiam. — crucem — Sacramentum, — sancta Evangelia, — fidem catholicam, — animam, — coelum, — terram.* [1]) Item, qui dicit: *Deus sit testis, Deum invoco testem.* [2])

2. Non est juramentum dicere: *Novit Deus, — coram Deo loquor, —* si haec narrative proferantur; secus vero, si invocative, quod dignoscitur ex circumstantiis et intentione loquentis. [3]) Nec est juramentum dicere: *Est tam verum hoc, quam existit Deus, — vel quam ego existo, — vel quam sum in hoc loco.* Neque jurat, qui dicit: *per fidem meam, — per conscientiam meam, — diabolus me perdat, nisi ita sit.* [4])

* S. Alphonsus, Theologia moralis Lib. IV. n. 133—138.

B. De conditionibus, quae ad liceitatem juramenti requiruntur.

3. — **Principium**: *Juramentum, ut honestum licitumque sit, fieri debet in veritate, judicio et justitia.* Constat ex verbis prophetae: *„Jurabis: Vivit Dominus, in veritate, et in judicio et in justitia.“* Jerem. 4. 2. Unde s. Hieronymus: *„Animadvertendum est, quod jusjurandum hos habet comites: veritatem, judicium et justitiam.“* [5])

Requiritur 1. *veritas,* eaque subjectiva, id est, conformitas assertionis cum cognitione et intentione jurantis. Excludit igitur omne mendacium, non vero omnem errorem. Hinc peccat contra hanc conditionem, qui jurat verum, quod putat esse falsum; vel qui

¹) Dum juratur per *Sanctos*, intelligitur Deus, ad quem Sancti pertinent; dum juratur per *Ecclesiam*, intelligitur Christus, qui eam fundavit; dum per *fidem catholicam*, is, qui eam tradidit, dum juratur per *crucem*, intelligitur Christus, qui in ea fixus est; dum per *Sacramentum*, sub eo ipse venit, qui illud instituit; dum juramentum fit per *Evangelia*, ea tangendo aut nominando, accipitur is, cujus ea verba sunt: dum juratur per *coelum*, Deus, qui in coelo est, dum per *terram*, Deus, cujus haec est scabellum, intelligitur. S. Alph. n. 138.

²) Sic s. Paulus: *„Testis est mihi Deus.“* Rom. 1, 9. *„Testificor coram Deo“* 1. Tim. 5. 21. 2. Tim. 4. 2. Et s. Augustinus: *Fateor caritati vestrae coram Deo, Domino nostro, qui testis est super animam meam.* Epist. 78. (al. 137). n. 9.

³) S. Thomas has loquendi formulas: *Est mihi Deus testis: coram Deo loquor,* inter juramenta numerat 2. 2. q. 89. a. 1. ad 3. Item s. Augustinus: Epist. 157. n. 40. De Sermone Domini in monte Lib. I. c. 17. n. 51. De se ipso dicit: *„Quantum ad me pertinet, juro; — cum magno timore dico, coram Deo; aut testis est Deus: aut scit Christus, sic esse in animo meo.“* Serm. 180. (al. 28. de verbis Apostoli). Spectanda in his et similibus inprimis est intentio loquentis.

⁴) S. Alph. n. 134. 135. 143.

⁵) De his conditionibus *Catechism. ad Parochos* Par. III. cap. 3.

jurat pro certo, quod ipse addubitat, etsi ex parte rei sit verum. [1]) E contrario autem non peccat, qui jurat aliquid reipsa falsum, quod bona fide putat esse verum. [2])

2. *Judicium,* id est discretio seu rationabilis causa jurandi. Talis autem causa est necessitas vel utilitas notabilis. [3]) Hinc merito juramentum exigitur ab eis, qui in aliquam communitatem, e. g. collegium recipiuntur, ut statutis observandis sedulo incumbant; itemque ab eis, qui aliquo publico officio vel ministerio donantur, ut episcopi, canonici, beneficiati, testes etc. Quam ob rem propositio 101. Quesnelli, qua juramenta in Ecclesia fieri solita, spiritui Dei et doctrinae Christi dicuntur maxime opponi, a Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* est diris devota, [4]) atque propositio 75. Synodi Pistoriensis, qua hujusmodi juramenta pariter improbantur, a Pio VI. in Bulla *Auctorem fidei* jure optimo condemnata est. [5]) Nec illicitum est jurare ad roborandos humanos contractus, quocirca propositio Wicleffi contrarium asserens a Concilio Constantiensi proscripta est.

3. *Justitia,* id est, res licita et honesta. Hinc contra justitiam jurat, qui jurando ad aliquid se obligat, quod praeceptis divinis vel consiliis evangelicis est contrarium, proximo noxium etc. [6])

4. — Qui jurat his deficientibus conditionibus, peccat, et 1) quidem *deficiente veritate,* semper mortaliter, quia semper gravem Deo infert injuriam, eum in testem falsitatis adducendo. Confirmatur ex propositione 24. ab Innocentio damnata. [7]) — 2) Qui *sine judicio* jurat, venialiter peccat *per se,* quia gravem injuriam Deo non videtur inferre. Dico *per se,* quia in consuetudine jurandi adest periculum scandali et perjurii, et sub hoc respectu facile potest mortaliter peccari. [1]) Hinc s. scriptura monet: *„jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa; -- vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedit a domo illius plaga.“* Eccli. 23, 9. 12. — 3) Qui jurat *deficiente justitia,* si juramentum est *assertorium,* aut mortaliter aut venialiter peccat, prouti res vel mortaliter vel leviter mala illo confirmatur. Hinc e. g. si gravem detractionem juramento confirmes, mortaliter peccas. Ita communiter. [2]) Si juramentum est *promissorium,* peccabit certo mortaliter, si malum volitum grave fuerit, ut e. g. si quis alteri juramento promitteret, se ipsius inimico mortem illaturum. Ita omnes. [3]) Imo *probabilius* secundum s. Alphonsum [4]) graviter etiam peccat, qui jurat se facturum rem quantumvis *leviter* malam, quia gravis injuria Deo videtur inferri, si Deus in testem et fidejussorem mali, quamvis levis, invocetur. Contradicunt autem alii, ut Suarez, Collet, Reiffenstuel, Voit etc., quibus non videtur gravis irreverentia in Deum committi, quando res leviter mala alicui jurando promittitur. Ast in hujusmodi rebus Sancti aliis clarius solent videre, hinc s. Alphonso accede.

5. — Juramentum praedictis conditionibus, nempe veritate, judicio et justitia destitutum, dicitur *perjurium sensu latiori.* At vero ex mente d. Thomae [5]) praeprimis a falsitate specificatur ejus perversitas. Atque ideo *perjurium sensu strictiori et proprio* acceptum est juramentum veritate destitutum.

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 144—150.

Footnotes (p. 202):

[1]) S. Alph. n. 147.

[2]) *Idem* n. 149. *Catech. Rom.* P. III. c. 3. Quaest. 21. et 22.

[3]) S. Augustinus: Epist. 180. c. 9. et 10. De mendacio cap. 15. De Sermone Domini in monte cap. 17.

[4]) Propositio ista n. 101. sic sonat: *Nihil spiritui Dei et doctrinae Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere, ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.*

[5]) Propositio illa enuntiat: 1. *jurare sine extrema et ineluctabili necessitate esse actum irreligionis, documentis divini Praeceptoris, et aureae simplicitati Evangelicae contrarium;* 2. *juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse a ss. Patribus, et ideo improbanda ea, quae Curia Ecclesiastica — in investituris et in sacris ipsis Episcoporum ordinationibus adoptavit.* Quae quidem propositio damnata est *tamquam falsa, Ecclesiae injuriosa, juris Ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae probatae subversiva.*

[6]) S. Alph. n. 144.146. *Catech. Rom.* P. III. c. 3. quaest. 24.

[7]) Haec propositio dixit: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Vide etiam *Catech. Rom.* Par. III. cap. 3. Quest. 20.

§. 60.

De obligatione juramenti promissorii.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Juramentum promissorium, ut inducat obligationem, versari debet circa rem honestam, atque procedere ex deliberata voluntate.*

Footnotes (p. 203):

[1]) Et sic mortalis est status illorum, qui non tollunt consuetudinem jurandi sine attentione, sitne verum hoc an falsum, quod jurare solent. S. Alph. n. 145. Jurandi consuetudinem acerrime increpat s. Chrysost. in Homiliis *de Statuis* nempe Homil. III—XVI. et Homil. XIX. XX.

[2]) Reiffenstuel: Th. m. Tom. III. Dist. II. q. 2. n. 16. Voit: P. I. n. 526. S. Alph. n. 146.

[3]) Reiffenstuel l. c. n. 18. Voit: l. c. S. Alph. n. 146. 4.

[4]) n. 146. 5. H. A. Tr. V. n. 14.

[5]) 2. 2. q. 89. a. 7.

Prima itaque *conditio* est: *materia seu res honesta.* Ratio patet ex dictis §. 59. n. 3., juramentum enim quodlibet fieri debet in justitia, ut Deo gratum acceptumque existat.

2. — Ideo 1. Non obligat juramentum *de re mala* seu inhonesta emissum. Confirmatur ex c. *Quanto,* de jurejurando, ubi dicitur: *Juramentum non fuit institutum, ut esset vinculum iniquitatis;* et ex reg. 58. juris in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum.* [1]) Hinc e. g. jurans, quod nolit inimico ignoscere, nullum proximo auxilium ferre, et alia hujusmodi, juramento non ligatur. Imo si tale juramentum impleatur, dupliciter peccatur, nempe contra religionem, et contra virtutem, cui opponitur materia juramenti. [2])

Praeprimis nefaria, irritaque sunt juramenta in secta *Liberorum Muratorum* emitti solita, non excepto jurejurando, quod tantum de arcano istius sectae semper servando fit; cum enim secta praedicta eversionem religionis et societatis christianae moliatur, eundem in finem nefarium promovendum tendit secretum.

2. Nec ullam obligationem inducit juramentum *de re indifferente,* nisi ex fine evadat moraliter bona, ut communiter docent. [3]) Si e. g. jurasti, te alicujus aedes non ingressurum, non lusurum ibi, ut evites peccatum, teneberis juramento, quia res in se indifferens ob finem honestum, ad quem refertur, fit honesta.

Ubi notandum, jusjurandum de re inhonesta vel inutili non convalescere, etsi talis res postea mutatis circumstantiis fiat honesta et salubris, quia juxta regul. 18. juris in 6. *non firmatur tractu temporis, quod initio non subsistit.* Ita communiter. [4]) Sic e. g. qui contra fidem primorum sponsalium secunda sponsalia juratus contraxit, priore sponsa ante nuptias mortua cogendus non est ad sponsalia secunda, quippe quae promissionem et juramentum de re illicita continebant, ideoque ab initio irrita erant. [1])

[1]) S. Bernardus ait: „nemo sapiens dubitat, illicita juramenta non esse tenenda.“ Epist. 219. n. 3. De hujusmodi juramentis disserit s. Ambrosius: de officiis Lib. III. cap. 12.

[2]) S. Alph. n. 176. — David juravit, se occisurum esse Nabal. Sed „istum, ut temere juraret, ira turbavit,“ ait s. Augustinus: Contra mendacium ad Consentium c. 9. n. 21. Herodes juravit puellae saltanti, se daturum, quod petisset. Hoc juramentum, dicit Angelicus 2. 2. q. 89. a. 7. ad 2., poterat esse ab initio licitum, intellecta debita conditione, scilicet, si peteret, quod dare deceret: sed impletio juramenti fuit illicita.

[3]) Suarez: De Relig. Lib. II. cap. 16. n. 4. Laymann: Th. m. Lib. IV. Tract. 3. cap. 6. n. 3. Reiffenstuel: Th. m. Tom. III. Tract. 6. Dist. 2. Quaest. 2. n. 20. Voit: P. I. n. 525. S. Alph. n. 176.

[4]) Suarez: op. cit. Lib. II. cap. 19. n. 17. Laymann: op. c. Lib. IV. Tr. 3. cap. 6. n. 4. S. Alph. n. 176.

3. — *Secunda conditio est deliberata voluntas,* quia obligatio nulla datur, nisi sit cognita et volita.

In specie: 1. Obligat juramentum promissorium *errore aut dolo* emissum, si error aut dolus versetur circa rei substantiam, vel circumstantias essentiales, vel alias circumstantias notabiles, quibus praecognitis juramentum non esset praestitum; quia tunc res promissa non est satis cognita. Secus vero, si error vel dolus tantum circa circumstantias accidentales versetur, ex ratione opposita. [2]) Cf. dicta de voti validitate §. 52. n. 4.

2. Validum est et obligat juramentum *metu gravi et injusto* extortum (e. g. a latrone ad dandam pecuniam), ut communissime docent cum d. Thoma. [3]) Ratio est, quia ex una parte tale juramentum adhuc est sufficienter voluntarium, et ex altera parte vi cap. *Cum contingat* de jurej., quodlibet juramentum servandum est, quod sine peccato impleri potest. Ille tamen, qui metum passus est, potest juramenti relaxationem ab episcopo petere; si vero jam solverit, potest id, quod dedit, in judicio petere vel occulte se compensare. [4])

Excipiuntur tamen juramenta metu extorta super professione religiosa, matrimonio, sponsalibus, renuntiatione fori ecclesiastici; haec enim a jure nulla et irrita declarantur ob bonum commune. [5])

4. — **Principium II.** *Juramentum promissorium eandem habet naturam eodemque modo interpretandum est, ut promissio, cui est adnexum.* Ratio est, quia ex reg. juris 42. in 6. accessorium sequitur principale. [6]) Hinc cum contractus vel actus promissionis sit *strictae* interpretationis, ita etiam juramentum promissorium interpretandum est.

5. — **Principium III.** *Juramentum promissorium obligat sub mortali in re gravi, et probabiliter tantum sub veniali in materia levi.* Pars *prima* ab omnibus traditur. *Secunda* a non paucis nega-

[1]) Ita Sanchez: De matrim. Lib. I. Disp. 50. n. 6. Suarez: Lib. II. cap. 19. n. 14. Laymann: Lib. IV. Tract. 3. cap. 6. n. 4.

[2]) S. Alph.: n. 175. 187. Laymann: Lib. IV. Tract. 3. c. 7. n. 5. Suarez: Lib. II. c. 11. n. 11.

[3]) 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3., q. 98. a. 3. ad 1.

[4]) S. Alph. n. 174 et 717. Quaer. 2. Laymann: Lib. IV. Tr. 3. c. 7. a. 2.

[5]) S. Alph. n. 177.

[6]) Idem n. 180. cum aliis.

tur, [1]) a pluribus autem tenetur [2]) ex argumentis sequentibus: 1) Juramentum promissorium induit proprietates actus seu contractus, cui adjicitur. Atqui promissio in materia gravi sub mortali, in materia levi sub veniali obligat. 2) Votum certe sub veniali obligat in materia parva. Ergo eo magis juramentum in materia pari; quia d. Thoma [3]) docente major est obligatio voti, quam juramenti promissorii erga hominem; in voto enim fides directe Deo datur, in promissorio autem juramento fides homini datur interposita Dei auctoritate. [4]) Hanc sententiam s. Alphonsus [5]) vocat non minus probabilem, imo forte probabiliorem, quam oppositam.

Nec objici potest: Qui non implet juramentum promissorium, facit Deum mendacii testem, ergo reus est perjurii, quod semper est mortale. Etenim respondendum, quod ille, qui actu juramenti voluntatem habet implendi promissum, jurat „in veritate;" ergo perjurio non peccat, si postea non adimplet, quod sincere promiserat, quia perjurium tantum patratur, dum Deus invocatur ut testis assertionis vel promissionis fictae. Itaque peccat tantum infidelitate et irreverentia erga Deum, in qua sane datur parvitas materiae. Quapropter si res promissa non sit gravis, in transgressione juramenti promissorii grave peccatum non committitur. [6])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 172—186.

Casus.

6. — *Nicephorus cum a mendicis paupertatem simulantibus multoties fuerit deceptus serio dicit: Per fidem meam, per animam meam, ego amodo numquam eleemosynam dabo. Postmodum solis consanguineis stipem erogat. Quaeritur; 1. An juramento ligetur? et 2. An peccet, solos consanguineos sustentando?*

Resp. *ad* 1. Solis verbis spectatis dicendo: *per fidem meam,* juramentum nullum emisit, bene autem, addendo: *per animam meam,* nisi alia fuerit Nicephori intentio, coll. §. 59. n. 2. At vero juramentum illud aliunde nullum erat, videlicet spectata re inhonesta, circa quam versatur; repugnat enim praecepto charitatis, quod satis opulentos obligat ad eleemosynam faciendam. Nec obstat, quod a mendicis frequenter fuit deceptus, inique enim vere pauperes cum simulantibus paupertatem a subsidiis charitatis excluduntur. Porro Nicephorus, si vere juraverit, dupliciter peccavit, nimirum contra religionem et contra charitatem.

Resp. *ad 2.* Nicephorus *solis* consanguineis stipem erogando vix poterit a peccato excusari. Quamvis enim consanguinei pauperes aliis juxta regulam charitatis sint praeferendi, non ideo tamen alii pauperes penitus sunt excludendi, saltem qui versantur in valde gravi necessitate: nisi impotentia excuset, quae tamen in casu proposito vix praesumi potest, siquidem Nicephorus antea consueverat pauperibus aliis eleemosynam elargiri. Eoque magis peccat, quando sic agendo ex odio in pauperes universim juramentum inhonestum exequi velit.

7. — *Laurentius consiliarii officium subiens juramento confirmavit promissum, se nihil eorum, quae erunt muneris sui, propalaturum. Sed quadam die secretum in re levi violavit; quocirca a principe objurgatus juravit, se muneris sui secretum nullatenus violasse. Quaestio est: An graviter peccaverit 1. secretum juratum violando, et 2. jurando, se illud non violasse?*

Resp. *ad 1.* Non videtur graviter peccasse, quia coll. supra n. 5. juramentum promissorium in materia levi tantum sub veniali ex doctrina communiori obligat. — *Ad 2.* Graviter peccavit, quia in juramento assertorio defectus veritatis semper involvit culpam lethalem, coll. §. 59. n. 4.

[1]) Cajetan. in. 2. 2. q. 89. a. 7. Dub. 1 Lessius: De justitia etc. Lib. II. c. 42. Dub. 5. n. 23. Bonacina: Tom. II. Disp. 4. quaest. 1. p. 14. n. 2. Collet: Tract. de Relig. Par. II. cap. 4. n. 113. et sq. et alii.

[2]) S. Antoninus: Par. II. Tit. 10. cap. 4. §. 1. Suarez: De relig. Lib. III. de juramento cap. 16. n. 9. Laymann: Th. m. Lib. IV. Tr. 3. cap. 14. n. 6. Salmatic.: Tract. 17. cap. 2. punct. 5. §. 2. n. 53. Sylvius, Sanchez, Reiffenstuel, Reuter, Voit etc.

[3]) 2. 2. q. 89. a. 8.

[4]) Suarez: op. c. Lib. II. c. 3. n. 7. et sq. Laymann: Lib. IV. Tr. 3. c. 14. n. 6.

[5]) Th. m. n. 173.

[6]) S. Alph. n. 173. Laymann: Lib. IV. Tr. 3. c. 14. n. 6. et alii cum d. Thoma, qui dicit: „*Qui aliquid promittit, si habet animum faciendi, quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Si vero non faciat, quod promittit, tunc videtur infideliter agere per hoc, quod animum mutat.*" 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5.

§. 61.

De cessatione obligationis, quae ex juramento oritur.

Juramentum promissorium cessat, sicut votum, per causas intrinsecas et extrinsecas.

1. — *Causae intrinsecae* sunt: 1. si cessaverit causa finalis, ob quam promissio facta est; 2. si status rerum notabiliter sit mutatus, aut adsit aliqua circumstantia, qua praevisa juramentum non esset emissum; 3. si promissio adimpleri nequeat sine gravi damno; 4. si jus superioris obstet, quominus promissio executioni dari queat; 5. si altera pars non servaverit fidem reciprocam, ubi promissio fuerit mutua. Ratio est, quia omne juramentum intelligitur factum sub sequentibus conditionibus: nisi cesset causa finalis seu motiva; si res non fuerit notabiliter mutata; si potuero sine gravi damno; si salvum maneat jus superioris ex c. 19. de jurej., et si alter servaverit fidem datam, ex c. 75. de reg. jur. in 6. Ita omnes. [1]) Hinc e. g. non obligatur juramento, qui promisit nuptias puellae diviti, sanae, virgini, bonae famae, si illa inciderit in paupertatem, infirmitatem, infamiam, fornicationem; ex c. 25. de jurejur. [2])

2. — *Causae extrinsecae* sunt: 1. *Irritatio,* quae fieri potest a quolibet, cui convenit potestas dominativa, ut est pater, tutor, Praelatus, abbatissa etc. 2. *Dispensatio* et *commutatio,* quae potest ab

[1]) Vid. S. Alph.: H. A. Trac. V. n. 18. Th. m. Lib. IV. n. 180. et 187.

[2]) S. Alph. n. 180.

iis concedi, in quibus residet potestas ordinaria dispensandi aut commutandi vota. [1]) 3. *Remissio* facta ab eo, in cujus favorem facta est promissio, quia juri suo quisque cedere potest. Ubi notandum, quod promissio jurata et a tertio acceptata non potest ab alio relaxari, nisi ab eodem tertio, cum intercedit contractus. [2]) Unde fit, quod juramentum seu votum perseverantiae, quod praestatur in aliquibus Congregationibus, ut in Congregatione patrum missionum s. Vincentii de Paula, in Congregatione ss. Redemptoris, non potest ab alio relaxari, nisi a Pontifice, aut Superiore majori Congregationis; tale enim jusjurandum seu votum habet naturam contractus, qui intercedit inter subjectum et Congregationem, dum haec se obligat ad gerendam de aggregato suo convenientem curam, qui vicissim se obligat ad serviendum Congregationi, ut declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis* die 25. Nov. 1748., et confirmavit per Bullam *Inter praeteritos* die 3. Decembr. 1749. [3])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 187—193.

VI. De adjuratione.

§. 62.

De ejus conditione et usu.

1. — *Adjuratio est invocatio Dei aut Sanctorum ad adducendum aliquem ad aliquid.* [4]) Differt igitur a juramento in eo, quod Deus non inducitur, ut ejus auctoritate assertio vel promissio quaedam confirmetur, sed ut ejus reverentia, timore vel amore alius permoveatur ad aliquid faciendum vel omittendum. Est actus religionis, quia in Dei cultum cedit, ut patet. [5])

Adjuratio distinguitur: 1. *solemnis* et *privata*, prout fit ab Ecclesiae ministris et solemnitatibus ab Ecclesia praescriptis, vel solemnitatibus destituitur et ab omnibus fieri potest; 2. *deprecativa* et

[1]) Qui autem habet facultatem *delegatam* dispensandi in votis, non ideo potest dispensare in juramentis, cum vinculum voti sit diversum a vinculo juramenti, et ex stylo curiae facultas dispensandi in juramentis specialiter conceditur. S. Alph. n. 190.

[2]) Sed dantur exceptiones, quas vide apud s. Alph. n. 192.

[3]) S. Alphonsus: H. A. Tract. V. n. 19. Th. m. Lib. IV. n. 255. D. Bouix: Tract. de Jure Regularium, Tom. II. pag. 494.—496. Parisiis 1857. — A Summo Pontifice hujusmodi juramentum remitti potest, quatenus est „supremus bonorum ecclesiasticorum dominus," ut dicunt praefati auctores loc. cit.

[4]) S. Thom.: 2. 2. q. 90. a. 1.

[5]) Suarez: Tom. II. de Religione Lib. IV. de adjuratione cap. 1.

imperativa, prouti fit precibus vel imperio. Adjuratio imperativa adversus daemones vocatur exorcismus.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Adjuratio, ut licita sit, debet fieri, sicut juramentum: 1. *in veritate,* non ficte, id est, adjurans vere intendere debet id assequi, quod petit; 2. *in judicio,* non leviter, nec temere, in quacunque occasione, absque ulla necessitate vel utilitate; 3. *in justitia* seu in materia licita et honesta.

3. — **Principium II.** Praecipue *Deus* est, qui adjuratur, equidem *deprecative,* ut per se intelligitur; quia non possumus Deum inducere ad aliquid nobis praestandum, nisi humiliter eum obsecrando et deprecando. Hinc legimus in s. scriptura, Moysen et Prophetas consuevisse Deum orare propter nomen suum, propter semetipsum, propter Abraham, aliosque justos Deo dilectos. Ecclesia vero constanter orat per Christum, per mysterium sanctae Incarnationis, per crucem et passionem ejus etc.; per intercessionem B. V. Mariae et Sanctorum, quorum merita exhibemus et veluti offerimus illi, ut permoveatur ad praestandum, quod cupimus.

Adjurari etiam solent *sanctissima Virgo et Deipara Maria, Angeli et Sancti Dei,* rursus *deprecative,* humiliter nempe eos exorando, ut nobis propter Deum e. g. quia sanguine Christi redempti sumus, succurrere velint.

Etiam homines viatores adjurari possunt, a) *deprecando,* ut cum subditus adjurat superiorem, amicus amicum, pauper divitem, ut amore Dei vel B. V. Mariae vel alicujus Sancti aliquid praestet; quo sensu Apostolus dixit: *„Ipse ego Paulus, obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi."* 2. Cor. 10. 1.; vel b) *imperando,* quando adjurans habet aliquam potestatem super adjuratum; secus enim injuste ageret potestatem usurpando. Huc spectare videntur verba Apostoli: *„Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola haec omnibus sanctis fratribus."* Thess. 5. 27. Improbe autem ac temere eandem adjurationem imperativam sibi arrogavit Caiphas ad Jesum dicens: *Adjuro te per Deum vivum.* [1])

4. — **Principium III.** Daemones adjurari posse, sed debito modo, extra controversiam est. Siquidem Christus hanc potestatem Ecclesiae suae tribuit, atque in Ecclesia quovis tempore hic daemones

[1]) Suarez: Tom. II. de Religione Lib. IV. de adjuratione cap. 1. et 2.

adjurandi usus obtinuit. [1]) Sed requiritur 1., ut adjuratio daemonum fiat *imperando*, nimirum per virtutem divini nominis eos repellendo et cohibendo, ne nobis noceant spiritualiter vel corporaliter; et 2. ut haec adjuratio, saltem solemnis, fiat *ab Ecclesiae ministris*; quia non omnibus, sed solis ministris ad id munus specialiter deputatis datum est exorcizare Marc. 16. 17. Luc. 10. 19.

Porro exorcismus ab Ecclesiae ministris et ex ejus praescripto adhibetur a) super res irrationales, ut sal, aquam; videlicet imperio diabolum cogendo, ne creaturas illas obsideat, earumque usum mortalibus noxium reddat; b) super baptizandum, ad expellendum diabolum, cujus servituti subjecti omnes nascuntur, ejusque vires frangendas, ne impediat baptismi susceptionem ejusque effectum; [2]) c) super obsessos, ad ejiciendos daemones de corporibus obsessis. Ubi notandum, quod praesenti Ecclesiae disciplina *ad exorcismum super obsessum faciendum requiritur expressa episcopi dioecesani facultas*; imo in multis locis poena suspensionis statuta est in clericos, qui sine debita episcopi licentia exorcismum facere praesumant; ne videlicet sine discretione necessaria procedatur in re tam gravi, atque scandalum et contemptus Ecclesiae inde exoriatur.

Concilium Prov. Viennense a. 1858. Tit. IV. cap. 10. praescripsit: „*Nullus qualiscunque sacerdos audeat, eos, quos energumenos judicat, exorcismis adjurare, nisi ab Episcopo dioecesano facultatem scripto exaratam acceperit.*"

Communis est doctrina, exorcismum semper habere effectum ex opere operato, si non perfectum, daemones expellendo, saltem imperfectum, vires daemonum attenuando. [3])

De signis obsessionis et modo procedendi in exorcizandis obsessis Rituale Romanum videatur.

5. — Privata daemonis adjuratio ad repellendas ejus tentationes et vexationes fieri potest ab omnibus, modo utique imperativo; adhibendo aquam benedictam, signum Crucis, preces, invocando nomina Jesu et Mariae, quae daemones maxime extimescunt. Ita

[1]) Potestas daemones expellendi tum ab hominibus, tum etiam ab aliis creaturis est propria Ecclesiae et verae religionis nota; nulla enim alia religio potest daemones ejicere. S. Justinus M. Apologia 1. pro Christianis et Dialog. cum Tryphone. Tertullian. Apologet. c. 37. S. Augustinus: Lib. 10. de Civitate Dei cap. 22.

[2]) De Herdt: Praxis liturgiae sacrae Tom. III. n. 166.

[3]) S. Alph.: De adjur. (post Tr. de juramento) n. V. Pulcherrime et aptissime Exorcistae in collatione Ordinis ab Ecclesia appellantur ***spirituales imperatores**, ad abjiciendos daemones de corporis obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi.*

s. Alphonsus, qui praeterea infestato a daemone hanc proponit formulam dicendam: *Spiritus nequam, in nomine Jesu Christi praecipio tibi, ut a me discedas et ne me amplius vexes;* et confessario haec suadet super infestatum a daemonibus dicenda: *Ego ut Dei minister praecipio vobis, spiritus immundi, ut recedatis ab hac creatura Dei.* [1]) Venerabilis Servus Dei *Vincentius Pallota* (qui a. 1850. famâ sanctitatis Romae obiit) exorcismo privato, de quo loquimur, usus est, quando advertit, poenitentem de peccatis non dolere vel peccatum reticere, ad daemonem depellendum; atque illius usum etiam commendavit confessariis subjungens, hujusmodi exorcismum magna cum humilitate et fiducia esse adhibendum.

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 90. tota. S. Alphonsus Theologia moralis Lib. IV. post tractatum de juramento: Appendix de adjuratione. — Suarez: Tom. II. de Religione Lib. IV. de Adjuratione (per 4 capita, eruditissime). Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 42. Dubitatio 13. Perrone: Praelect. theol. de virtute religionis. P. I. Sect. 2. cap. 7. Ratisb. 1866.

VII. De sanctificatione festorum.

§. 63.

De fine et institutione dierum festorum.

1. — Deus aeternus totius temporis Creator ac Dominus, a quo innumera beneficia tempore vitae nostrae accipimus, quamvis grata recordatione omni tempore laudandus, certis tamen temporibus impensius colendus et venerandus est. [2]) Namque ipsa lex naturae dictat, ut quosdam dies totos Deo Domino nostro omniumque bonorum largitori tribuamus atque in piis religionis officiis traducamus. Cujus rei argumentum est, quod apud omnes gentes festa publica, sacris ac divinis rebus obeundis consecrata, invenimus.

In lege vetere dies septimus ad Deum singulariter colendum determinatus erat, in tertio Decalogi praecepto, quod proinde quoad substantiam erat naturale, quoad circumstantiam Sabbati caeremoniale. Plenum mysteriis erat Sabbatum, et a Deo ipso Exod. 31. 13.; Ezech. 20. 12. *signum* vocabatur. Signum erat beneficiorum Dei seu bonorum praeteritorum, bonorum praesentium, et bonorum

[1]) Praxis confessarii cap. 7. §. 7. n. 112. et 113. Vid. etiam Thomas Kemp.: De Imitatione Christi Lib. III. cap. 6. n. 6.

[2]) Concil. Neapol. a. 1699. Tit. II. cap. 6. Conc. Roman. a. 1725. Tit. XI. cap. 1. Collectio Lacensis, Tom. I. pag. 177. 361. Friburgi 1870.

futurorum. Sabbatum quippe 1. erat signum commemorans beneficia praeterita, videlicet creationem mundi et liberationem populi a servitute Aegyptiaca Exod. 20. 11. Deut. 5. 15.; erat 2. signum indicans seu demonstrans sabbatum spirituale id est quietem mentis in Domino, per fidelem populi adhaesionem ad Deum suum, et cessationem ab operibus servilibus peccatorum Exod. 31. 12. Ezech. 20. 12.; erat 3. signum praefigurans quietem Christi in sepulchro; quia, sicut Deus sabbato quievit ab opere creationis: ita Christus quievit sabbato ab opere redemptionis; atque simul praefigurans sabbatum coeleste id est fruitionem Dei in patria. Praeter sabbatum habuit populus Judaeorum alios festos et sacros dies, ad beneficia Dei praeterita commemoranda, ad praesentia demonstranda, ad futura praenuntianda.

Aeternus Dei filius, qui piissimo suo adventu consecravit mundum, [1]) et habitans in nobis consecravit loca, tempore vivens etiam consecravit tempus, maxime dies illos, quibus praecipua redemptionis nostrae mysteria peregit. Si sancta sunt loca, Christi praesentia, vestigiis, passione, morte, resurrectione sacrata, nonne sancti erunt dies, operibus redemptionis a Christo sacrati?

Prima autem dies sacra occurrens est dominica Act. 20. 7. 1. Cor. 16. 2. Apoc. 1. 10. Successit sabbato et excellentius illo est signum beneficiorum praeteritorum, bonorum praesentium et futurorum. [2]) Et quidem dies dominica 1. in memoriam revocat beneficia maxima, nempe praeter exordium mundi, resurrectionem Domini et adventum Spiritus sancti; eodem quippe die, quo mundus coepit fieri, Christus devicta morte aeternitatis nobis aditum reseravit, et Evangelio solemniter promulgato Ecclesia quodammodo nata est; — dominica 2. designat quietem spiritualem seu animae in Deo, quatenus mundo mortui per gratiam Spiritus sancti Christo vivamus, qui pro nobis mortuus est et resurrexit; — dies dominica 3. praesignat quietem gloriosam in coelo, quia jam revelata est gloria resurrectionis in Christo, et quod praecessit in capite, etiam exspectatur a corpore, unde ab Apostolo monemur: „*Festinemus ergo ingredi in illam requiem.*“ Hebr. 4. 11. — Dominicae accedunt alii dies festi Domini, qui ob praecipua redemptionis nostrae mysteria religioni consecrati sunt. Et cum his cohaerent festa B. V. Mariae,

[1]) Martyrol. die 25. Decembris.

[2]) De significatione Sabbati et Dominicae *Catechismus Romanus*, P. III. cap. 4. S. Thomas: 2. 2. q. 122. a. 4.; 1. 2. q. 100. a. 5. ad 2. Bellarmin.: Lib. III. de cultu Sanct. cap. 11.

quae indissolubili vinculo cum Christo conjuncta est, festa pariter Sanctorum, qui per Christi merita et gratias sancti evaserunt, cum Christo regnant, ad Christum pro nobis intercedunt, ad Christi imitationem nos exemplis suis provocant; ita ut omnis honor Sanctis impensus in Christum redundet, omnis illorum cultus gloriam Dei extollat. [1])

2. — Ecclesiam catholicam gaudere potestate, festa instituendi eorumque sanctificationem praecipiendi, exinde liquet, quod a Christo ipsi collata est potestas leges ferendi quoad omnia, quae spectant bonum spirituale fidelium. Vid. Libr. I. §. 49. n. 2. et seq.

Summus Pontifex hanc potestatem pro tota Ecclesia habet, cum ipsi totius gregis Dominici cura demandata sit. [2]) Episcopus dies festos instituere potest in dioecesi propria; habet enim facultatem, leges in sua dioecesi condendi. [3]) Attamen ex praesenti disciplina requiritur, ut accedat cleri et populi consensus ex c. *Conquestus*, de feriis, et non agatur de festo alicujus Beati, sed Sancti. [4]) „Monentur“ insuper ab Urbano VIII. per Constit. *Universa* die 13. Sept. 1641. Ordinarii, ut „ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere ob incommoda, quae inde oriri solent.“

§. 64.

De praecepto sanctificandi festa.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Praeceptum sanctificandi festa obligat per se sub peccato gravi. Ita communiter docent Theologi. Et confirmatur ex propositione 52. ab Innocentio XI. damnata: *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Principium II. Praeceptum sanctificandi festa obligat ad duo: 1. ad audiendum Sacrum, et 2. ad abstinendum ab operibus servilibus. Constat 1) ex jure canonico, et ex c. *Missas* (64.) de consecratione Dist. 1., ex can. 63. ibid. quoad Missam audiendam, et

[1]) Festa nostra in solemnitatibus antiquae legis praesignata fuisse, docet d. Thomas: 1. 2. q. 103. a. 3. ad 4.; q. 102. a. 4. ad 10.

[2]) Urbanus VIII. Constit. *Universa* die 13. Sept. 1841.

[3]) Haec episcoporum potestas supponitur a Conc. Trid., dum Sess. 25. de regular. cap. 12. praescribit: „— *Dies etiam festi, quos in dioecesi sua servandos idem episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus, serventur.*“

[4]) S. Alph. Lib. 4. n. 266.

Decretal. L. 2. tit. g. c. 1. quoad abstinentiam ab operibus servilibus; 2) ex perpetua praxi Ecclesiae, ex omnibus ejus Catechismis multisque Conciliis. Praecipitur auditio Missae, quia haec est centrum et culmen cultus divini, sol omnium exercitiorum spiritualium, Dei dona et gratias abunde in nos diffundens. Praecipitur omissio operum servilium, ut liberius religionis exercitiis incumbamus; quin imo hoc ipso, quod consuetos labores in Dei honorem suspendimus, dies isti Deo sacrati ac veluti altioris ordinis fiunt. [1])

2. — Non est *ecclesiasticum* praeceptum, concionibus vel catechesibus publicis interesse diebus festivis. Ratio est 1) quia nullibi extat tale Ecclesiae praeceptum; — 2) quia sic communis fert doctorum sententia; — 3) quia haec est fidelium etiam timoratorum persuasio, qui quippe illico se graviter peccare arbitrantur, si Sacrum negligant, non item tamen, si quandoque, etiam sine necessitate, concionem non audiant; — 4) quia, si praeceptum positivum extaret, conciones audiendi, etiam sacerdotes et episcopi, quando non praedicant, ad conciones audiendas singulis diebus dominicis et festis obstringerentur, siquidem praeceptum sanctificandi festa, nullam excipit personam; hoc autem est contra sensum communem; — et 5) quia Benedictus XIV. Constitut. *Paternae charitatis* 1744. quoad Missam et abstinentiam ab operibus servilibus adhibet verbum *jubemus;* sed quoad audiendum verbum Dei nonnisi *hortatoriis verbis* utitur. [2])

Attamen obligat *lex naturalis* fideles ad conciones vel catecheses frequentandas, si concio vel catechesis ipsis necessaria est ad instructionem in sacra doctrina vel ad morum compositionem, quia quisque ex charitate sibi debita tenetur animae suae curam habere per media necessaria; vel si eorum absentia scandalum possit procreare, ut in vicis et parvis oppidis contingere solet, quia ex charitate erga proximum quilibet scandalum aliorum vitare debet, dum commode potest. [3])

Distinctio exposita respectu obligationis, assistendi concionibus

[1]) Stapf: Theol. mor. Tom. II. §. 219.

[2]) Scavini op. saepius cit. Tom. II. pag. 94—96. Fusius ceteris veritatem praedictam probat et objectiones refellit Suarez: De Religione Tom. I. Lib. II. cap. 16. n. 5.—10.

[3]) Scavini: Theol. moral. univ. Tom. II. pag. 96. S. Alphonsus dicit cum Busenbaum: „— homines rudiores, ignorantes praecipua mysteria fidei, ea praesertim, quae sub gravi obligatione scire tenentur, tenentur *lege charitatis* (si alias ea commode addiscere non possint) *sub gravi peccato* concioni vel potius catechesi interesse." Th. m. Lib. IV. n. 308

et catechesibus, prae oculis habenda est in tribunali Poenitentiae, ne aut nimio rigore aut nimia lenitate a via veritatis aberretur. In ambone autem, ad abusum propositae doctrinae excludendum, consultius erit, generatim tantum fideles instigare, et, si necesse sit, gravioribus etiam verbis urgere, ut concionibus et catechesibus audiendis studeant, siquidem permultis necessaria, omnibus autem perutilis est auditio verbi divini: *„Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud."* Luc. 11. 28.

Postremo hac de re adhuc observandum, nullam subsistere obligationem, concionem *in propria parochia* auscultandi; et S. Congregatio Concilii saepius declaravit, non posse Ordinarium poenis subditos adigere ad concionem auscultandam in parochia. [1])

3. — *Probabilius* nulla est obligatio *per se* et *directe* urgens, assistendi Vesperis vel Benedictioni vespertinae, uti Theologi communiter docent; nisi ita ferat consuetudo recepta. Ast fideles, qui absque ratione ulla absunt, vix excusari poterunt ab aliqua culpa *indirecte,* si quidem tunc a sensualitate, vitioso amore, acedia, vel alia inordinata passione se dirigi patiuntur, aliis scandalum praebent, tempus otio terunt. [2])

Juxta sententiam communem nulla pariter est obligatio, Deum interne colendi actibus fidei, spei, charitatis, contritionis etc.; etenim licet sanctificatio animae sit finis hujus praecepti, de quo agimus, finis tamen praecepti non cadit sub praecepto, ut communiter tradunt cum d. Thoma. [3])

Et eadem ratione dicunt, die festo peccantem non committere duplex peccatum. [4])

4. — Ceterum fideles quam maxime inducendi sunt ad pia religionis opera etiam non praescripta sedulo exercenda, ad divina Sacramenta suscipienda, ad cultum Dei horis vespertinis in ecclesia

[1]) Benedictus XIV. De Synodo Dioecesana Lib. XI. cap. 14. n. 13. S. Alph. n. 308. 1.

[2]) Vide Gury n. 340.

[3]) Dicit: *„Non enim idem est finis praecepti, et id, de quo praeceptum datur."* 1. 2. q. 100. a. 9. Idem docet, quod ad interiorem cultum non cogimur, sed movemur a Spiritu sancto, et „*ideo*, inquit, *in tertio praecepto Decalogi praecipitur exterior Dei cultus.*" 1. 2. q. 122. a. 4. Idemque docet Catechismus Romanus dicens: *„Hoc legis praecepto externus ille cultus, qui Deo a nobis debetur, praescribitur."*

[4]) Sic s. Thomas in 3. Sent. Dist. 37. q. 1. a. 5. q. 2. ad 1. Suarez de relig. Tom. I. Lib. II. c. 18. n. 3. Lugo aliique *communius,* quibus accedit s. Alphonsus n. 273. H. A. Tr. VI. n. 2. Item Bouvier: De Decalogo cap. 3. art. 2. §. 2. Scavini: Tom. II. pag. 98. Gousset: Tom. 1. n. 561.

frequentandum, ad libros pietatis legendos, ad eleemosynam egenis tribuendam, ad uberiores preces fundendas etc., ut hujus praecepti finem et spiritum assequantur. Vid. Catechismus Roman. P. III. c. 4. q. 25.

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 263. — 269. et 308. — Suarez: De Religione Tom. I. Lib. II. cap. 1—12., 15. 16. et 18. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. V. Disp. II. cap. 3. art. 1.

§. 65.

De obligatione audiendi Missam.

1. — Superfluum foret ostendere, omnes fideles usum rationis habentes, qui advertere possunt ad Missam, singulis diebus dominicis et festis ad Missam audiendam teneri sub gravi. Constat enim ex dictis Lib. I. §. 53. n. 5. Hinc tenentur parvuli, quando ad eum rationis usum pervenerunt, ut Deum orationibus colere valeant, et quidem *probabilius*, licet septennium nondum expleverint coll. *ibid.* §. 53. n. 5. Atque ideo parentes tenentur mittere liberos suos ad audiendum sacrum, quando isti incipiunt obligari hoc praecepto. Etiam caecus vel surdus, vel surdo mutus sacro interesse debent; secus autem, qui est caecus simul et surdus. [1])

Non datur obligatio, festo Nativitatis Domini tres Missas audiendi; [2]) attamen devotio et pietas in Deum suadent, ut nisi obstet impedimentum, tres audiantur.

2. — Nunc explicandum, quo modo praeceptum audiendi Missam impleri debeat, et quae sint causae ab eo excusantes.

A. Quo modo praeceptum hoc impleri debet?

Requiritur praesentia corporalis et assistentia religiosa in loco debito. De his singillatim.

I. Praesentia corporis.

3. — Haec debet esse moralis et continua, ut praecepto ecclesiastico satisfiat.

I. *Moralis* praesentia in eo consistit, quod quis ita praesens est in loco, ubi fit sacrum, ut possit dici unus e numero assistentium et cum sacerdote offerentium Sacrificium, atque id sequi possit saltem quoad praecipuas ejus partes. Hinc satisfacit praecepto, qui stat in choro, post altare, post columnam vel parietem ecclesiae,

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 270. et alii. [2]) Idem n. 308. 3.

etsi non cernat sacerdotem, modo ex signis assistentium, sonitu campanulae colligere possit, quid a celebrante agatur. Item, qui est extra ecclesiam, modo junctus sit populo, qui est intra ecclesiam. [1]) Id tamen non permittendum sine rationabili causa.

II. Praesentia *continua* esse debet, id est, perseverans ab initio usque ad finem Missae, ita, ut graviter peccet, qui omittit notabilem ejus partem; quia Ecclesia praecipit auditionem Missae non quoad sacrificium tantum, sed quoad totam liturgiam.

Grave est omittere omnia usque ad Offertorium inclusive, imo juxta plures graviter peccat, qui venit post Evangelium. [2])

Grave est, omittere consecrationem et communionem, imo et solam consecrationem, quia est pars dignissima. [3]) Ita juxta Alphonsum *probabilius* est grave peccatum, solam communionem praeterire. [4]) Leve est, omnia omittere post communionem. [5])

4. — Non satisfacit praecepto, qui duas vel plures Missae partes a diversis sacerdotibus *simul* celebrantibus audit e. g. initium Missae usque ad Consecrationem ab uno sacerdote, et eodem tempore reliqua ab alio sacerdote in vicino altari celebrante. Patet ex propositione 53. ab *Innocentio XI.* damnata: *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis sacerdotibus audit.* Ratio est, quia Missa ex natura sua constat ex partibus successivis; ergo si simul audiantur plures partes, non auditur una Missa integra. [6])

Neque satisfacit, qui duas Missae partes *successive* a diversis sacerdotibus audit, scilicet partem unam Missae ab uno sacerdote, et partem alteram ab alio sacerdote, quando consecratio et communio non sint in eadem parte, quia Ecclesia praecipit auditionem Missae, quae sit unum et integrum Sacrificium; hoc autem non habetur, nisi tum consecratio tum communio in eadem Missa conveniant. [7]) *Probabiliter* autem satisfacit, qui Missam ab initio usque ad consecrationem exclusive ab uno sacerdote, et a consecratione usque ad finem ab altero audit; sed nullo modo excusari potest a

[1]) S. Alph. n. 312. Imo juxta hunc s. Doctorem n. 312. *non improbabiliter* satisfacit, qui est in domo proxima, ex qua per fenestram vel januam altare videat, licet via intercedat, dummodo distantia sit parva, quia ille adhuc satis moraliter assistit.

[2]) S. Alph. n. 310.

[3]) Idem H. A. Tr. VI. n. 33.

[4]) l. c.

[5]) Idem n. 310.

[6]) Voit: P. II. n. 471. La Croix: Lib. III. n. 609.

[7]) S. Alph. n. 311.

peccato saltem veniali, quia, ut Laymann dicit, [1]) satisfacit quidem praecepto quoad ejus substantiam, non tamen quoad modum. [2])

5. — Qui ante consecrationem venire non potest, *probabilius* reliqua Missae audire tenetur. Ratio est, quia Ecclesia praecipit auditionem Missae non tantum quoad essentiam Sacrificii, sed quoad totam ejus liturgiam; quapropter qui non valet Missae assistere quoad essentiam Sacrificii, tenetur assistere parti notabili liturgiae; et hoc eo magis valet, si quis teneat, essentiam Sacrificii non tantum in consecratione, sed simul in communione consistere. [3])

II. Assistentia religiosa.

6. — Haec sita est in intentione saltem implicita, Deum honorandi, atque in attentione mentis.

Attentio duplex est, interna et externa. 1. *Interna* est, qua quis animo religioso animum applicat vel a) ad verba et actiones sacerdotis Missam celebrantis, vel b) ad Deum ipsum per preces piasve meditationes. 2. *Externa* in eo consistit, quod qui Sacrum audit, non ponat actionem externam, quae impedit praedictam mentis suae applicationem.

I. Certum est, necessariam esse *attentionem externam* ad Missam juxta Ecclesiae praeceptum audiendam, quia ejus defectus esset illusio Dei et Ecclesiae. Hinc e. g. non satisfacit, qui tempore Missae scribit, pingit, libros legit profanos, vel libros sacros sola eruditionis, vel curiositatis, vel studii causa. Nec satisfacit, qui per notabile tempus confabulatur, aut imagines attente considerat, inscriptiones legit etc. [4])

---

[1]) Theol. mor. Lib. IV. Tract. VI. cap. 3. n. 4.

[2]) S. Alph. n. 311. dicit: „*Si quis audiat Missam ab uno sacerdote usque ad consecrationem exclusive, et ab altero a consecratione usque ad finem, putamus probabilem sententiam, eum satisfacere.*"

[3]) S. Alphonsus sic hac de re scribit: „Dicunt autem aliqui auctores, quod cum sit probabile, essentiam Sacrificii Missae in sola consecratione consistere, ideo etiam probabile sit, quod si aliquis veniret post consecrationem ultimae Missae, reliqua audire non teneatur. Sed dicimus oppositum cum Contin. Tourn., etc.; ratio, quia cum sit satis etiam probabile, quod essentia sacrificii in sumptione consistat, dicimus illum bene obligari ad reliquam Missae partem audiendam: qui enim implere nequit praeceptum impositum certo, tenetur saltem, si potest implere probabiliter, nam hujusmodi onus satisfaciendi praecepto probabiliter, cum non possit satisfieri certe, inclusum est in praecepto certe satisfaciendi; cum enim praeceptum stet in possessione, debet ipsum impleri, ut melius impleri potest." H. A. Tr. VI. n. 33.

[4]) S. Alph.: Th. m. n. 317.

II. Certum est, requiri *attentionem internam*, saltem sub veniali ex religione, vi legis divinae, quia reverentia Deo et mysteriis debita postulat, ut attentio illa adhibeatur. Sufficit autem attentio interna quaelibet ex duabus supra indicatis.

An vero requiratur attentio interna sub gravi ab Ecclesiae praecepto? Theologi non conveniunt. 1. Alii negant. Ratio eorum principalis est, quia actus religionis quoad substantiam bene consistere possunt sine attentione interna, nec constat, ab Ecclesia plus praecipi. 2. Rectius autem alii, et communius quidem, affirmant, requiri attentionem internam, saltem ad principales Missae partes, et in gradu remisso. Ratio eorum est, quia ab Ecclesia praecipitur actus, quo Deus colatur; jam vero sola praesentia physica sine attentione interna Deus coli nequit. S. Alphonsus hanc sententiam *probabiliorem,* censet, et consulendam, contrariam vero, nempe primam, non audet improbabilem judicare ob auctoritatem tot Doctorum, qui eam tuentur, ideoque rem dubiam esse dicit. [1])

Ceterum conveniunt omnes, nullam orationem vocalem absolute requiri ad Ecclesiae legem implendam, cum nullum desuper praescriptum speciale habeatur. In praxi tamen fideles enixe monendi sunt, ut sanctissimo Sacrificio assistentes orationes fundant devotas, inprimis preces consuetas pro Missae auditione, vel Rosarium beatissimae Virginis recitent, corda sua una cum Corde divini Salvatoris conjuncta aeterno Patri in sacrificium offerant, atque per ardens desiderium suscipiendi ss. Sacramentum spiritualiter communicent.

7. — Hinc satisfaciunt, si ceterae conditiones adsint: 1. Ministrantes Missae, satis enim attendunt exhibendo suum ministerium. Porro sacristae, cantores et musici, modo simul attendant ad ea, quae in altari peraguntur. Idem est de colligente eleemosynas, modo ad Missam simul attendat. [2])

2. Qui conscientiam examinant, dolorem eliciunt, aliisque piis exercitiis ad Confessionem se praeparant; item, qui sacramentalem poenitentiam persolvunt, aut etiam debitam orationem e. g. Officium divinum, recitant; quia his mens ad Deum dirigitur. [3])

Satisfacere praecepto videtur, qui tempore Missae sacramentalem Confessionem peragit, quando aliquo modo attendat ad Mis-

---

[1]) H. A. Tract. VI. n. 28. Theol. mor. Lib. IV. n. 313.

[2]) S. Alph. n. 317.

[3]) S. Alph. n. 309. et 317.

sam, praesertim sub Consecratione et Communione, quem in finem confessarius moram interponat Confessioni excipiendae. [1])

3. Satisfacit, qui voluntarie est distractus toto tempore sacri, modo simul attendat; hoc enim aliquando fieri potest, si distractiones non nimis sint vehementes, cum homo simul de pluribus cogitare possit, quamvis minus attente de singulis, peccat tamen venialiter propter irreverentiam. [2]) Idem est a fortiori de distracto involuntarie, nisi mens rebus alienis ita abriperetur, ut nullatenus attenderet ad Missam; tunc enim certe non satisfaceret, sicut nec involuntarie dormiens, puta, per notabilem Missae partem, etiamsi a peccato excusetur. [3])

III. Locus debitus.

8. — Ex praesenti disciplina *in qualibet ecclesia publica* Missa audiri potest ad legem Ecclesiasticam implendam. Licet enim olim extiterit praeceptum assistendi Missae parochiali, [4]) id tamen contraria consuetudine, in toto orbe christiano recepta, abrogatum est, ut non solum testantur Theologi, sed ipse declarat P. M. Benedictus XIV. subjungens, *non posse hodie episcopum praecipere suis subditis, ut se sistant Missae parochiali, quia non potest delere consuetudinem, quae cum vigeat in toto orbe, jam inducit naturam juris communis. Enimvero, non praecepto adigendam, sed hortationibus ad id alliciendam plebem statuit Tridentinum Sess. 22. in decreto de observ. et evit. in celebrat. Missae, ubi episcopos in hunc modum alloquitur: Moneant eundem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis, et majoribus festis accedat.* [5])

Cum plurimum conveniat, ut populus Missae parochiali assistat, tum ut oves suum agnoscant pastorem, tum ut verbum Dei audiant, poterit episcopus disponere, *ut diebus festis Missae celebrari non debeant in aliis ecclesiis, nisi celebrata Missa in ecclesia parochiali,* prout declaravit S. Congregatio die 25. Maji 1552.

---

[1]) La Croix: Lib. 3. n. 655. Voit: P. II. n. 480. Reuter: Tom. II. n. 282. et alii. S. Alph. ait, satisfacere eum, cui nullum aliud tempus vacaret ad confitendum, nam pro isto praesumi Ecclesiae conniventiam. H. A. n. 31.

[2]) La Croix: Lib. III. n. 658. cum Suarez, Pasq., Gobat et aliis communiter.

[3]) La Croix: l. c. n. 659. Reuter: Tom. II. n. 282.

[4]) Vide Bened. XIV. De Synodo Dioecesana Lib. XI. cap. 14. n. 7.

[5]) l. c. n. 10. et sq. Item in *Notification.* 44. et 105.

9. — Hic obvia quaestio: *An in Oratorio privato audiens Missam satisfaciat praecepto?*

Oratoria privata sunt sacella in domo privata erecta ex privilegio a summo Pontifice concesso, ut ibi Sacrificium Missae celebretur. — Non vero ut privata Oratoria sunt habenda: 1) Oratoria, de licentia episcopi erecta in Seminariis, monasteriis, seu domibus religiosorum vel monialium aliarumve communitatum, ut in nosocomiis, carceribus, et etiam in domibus episcoporum; quia cum istae domus non sint privatae, nec earum Oratoria censentur esse privata. 2) Oratoria erecta in domibus ipsis privatorum, si ingressus a via publica pateat, et in perpetuum cultui divino sint dicata. [1]) In hujusmodi Oratoriis seu capellis tum quilibet sacerdos celebrare, tum quivis fidelis Missae praecepto satisfacere potest, quia vere sunt ecclesiae publicae. [2])

In Oratorio privato illi tantum praecepto audiendae Missae satisfaciunt, qui in indulto Apostolico expressis verbis designantur, videlicet dominus oratorii cum filiis, consanguineis et affinibus, modo eandem incolant domum et domini expensis vivant, porro servi, qui a domino aluntur, et hospites, non autem istorum famuli. Excipiuntur tamen et pro illis festa principaliora, nisi concessio facta sit causa infirmitatis. Illa festa ex Decr. S. C. R. die 17. Novemb. 1607. sunt: Pascha, feria V. in Coena Domini, Ascensio, Pentecoste, Natalis Domini, Epiphania, Annuntiatio et Assumptio B. V., festum Apostolorum Petri et Pauli, festum omnium Sanctorum, denique ex Decr. S. C. C. die 17. Febr. 1685. festum Titularis ecclesiae loci. Prohibetur praeterea, hisce diebus in tali Oratorio celebrare. [3])

§. 66.

De causis a Missae auditione excusantibus.

1. — A praecepto audiendae Missae praeter dispensationem excusant 1. *impotentia,* non tantum physica, sed et moralis, quia

---

[1]) S. Alph. H. A. Tract. VI. n. 37. Th. m. Lib. VI. n. 357.

[2]) Idem l. c. Adjungit: „Episcopi autem possunt celebrare et celebrare facere, praesentibus in omnibus domibus (etiam extra dioecesim) ubi reperiuntur causa visitationis, aut itineris, aut morae extra dioecesim a jure, vel a s. Sede ob aliquam peculiarem causam permissae; ita habetur ex Bulla *Apostolici ministerii* Innoc. XIII. confirmata a Benedicto XIII." H. A. n. 37.

[3]) Plura de Oratoriis privatis invenies apud s. Alph.: Theol. mor. Lib. 4. n. 318. et 319. H. A. Tract. VI. post n. 38. Appendix de Oratoriis privatis.

Ecclesia instar piae matris non vult filios suos obstringere cum gravi incommodo; et 2. *charitas,* quia praeceptum naturae, quale est charitatis, praeferri debet praecepto Ecclesiastico.

2. — Quare 1. excusantur aegroti et convalescentes, quibus nocet foras prodire. *In dubio* autem, an incommodum sit sufficienter grave ad infirmum eximendum ab audienda Missa, standum est consilio medici, aut superioris, aut parochi aut confessarii, imo et cujuslibet viri prudentis et pii; et etiam suo judicio potest infirmus acquiescere, si recte de re sua judicare valet. Quid autem, si petito consilio maneat dubium? — Tunc videtur infirmus excusandus, quia in tali dubio, ut ait s. Alphonsus, praevalet jus naturale conservandi salutem. Consultius autem est, dispensationem impetrare, si facile peti possit. [1])

2. Excusatur pariter, qui assistere debet infirmo, et hoc, licet alius adsit, qui posset aeque bene infirmo inservire, dum infirmus illius assistentiam sibi esse necessariam existimat, et alias gravi tristitia, perturbatione, indignatione afficeretur. [2])

3. Excusantur matres et nutrices, quae neminem habent, cui parvulos relinquant, nec possunt eos secum in ecclesiam ducere sine notabili adstantium perturbatione. Si autem sint duo conjuges, alternis vicibus sacro interesse debent. [3])

4. Excusantur, qui custodiunt domos vel greges, aut cibos parare debent; si autem plures Missae celebrentur, illi successive et si una tantum dicatur Missa, alternatim eam audire debent. Posset etiam dominus manere domi quandoque, ut famulus Missam audiret. [4])

5. Excusantur famuli, quando suum ministerium omittere non possunt sine gravi domini detrimento. Tenentur autem cum mediocri, sed non notabili diminutione somni vel alio levi suo incommodo ad sacrum frequentandum. Quodsi dominus absque justa causa famulos impediat, quominus Missae intersint, procul dubio peccat; ipsi vero famuli tenentur tunc contra domini jussum Ecclesiae praeceptum adimplere, nisi gravem illius indignationem timeant, vel nisi statim et facile alium dominum invenire nequeant; debent tamen interim aliud servitium diligenter quaerere. [5])

---

[1]) S. Alph.: H. A. Tr. VI. n. 39. Th. m. Lib. IV. n. 325.
[2]) Idem Th. m. n. 326.
[3]) Idem n. 326.
[4]) S. Alph. n. 326.
[5]) Idem n. 327.

Sic pariter excusantur, quibus est periculum gravis indignationis ex parte parentum, maritorum; si tamen ideo fere semper omittere deberent sacrum, de alio medio laborandum esset. [1])

6. Excusantur viatores, qui cum vellent Missae interesse, diu deberent morari et propterea vel magnas expensas facere, vel negotia gravia negligere. [2])

Excusatur quoque viator, si alias, sacrum audiens, perderet expensas, quas faceret socius, vel si graviores expensas subire deberet, relinquendo socium ob sacrum audiendum, vel si non esset securus in itinere sine socio, vel si societas alterius multum eum sublevaret et longae viae taedium auferret. [3])

7. Excusantur saepe, qui ab ecclesia longe distant, ita ut ad eam accedere nequeant sine magna difficultate; sed in hoc ratio habenda est personarum, locorum et temporum. [4])

8. Excusatur etiam a sacro mulier, quae non habet vestes statui suo convenientes, nec non mulier inhoneste praegnans, si metuat, ne advertatur; sed si possent, valde mane vel in ecclesia remota Missam audire deberent. [5]) Non vero per se liberatur puella ob proclamationes matrimonii sui, nisi praesens tanto rubore suffunderetur, ut magnum subinde incommodum pateretur, quod autem admodum raro eveniet. [6])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 308—332.

§. 67.

De obligatione abstinendi ab operibus servilibus.

Sit sermo 1. de operibus prohibitis die festivo, et 2. de causis, ob quas aliquando permitti possunt.

A. De operibus, quae diebus festis prohibentur.

1. — Quadruplicis generis opera quoad festa distingui debent: 1. *Opera servilia,* quae corpore exercentur et ad corporis utilitatem referuntur, ut sunt fodere, vineas colere, metere etc.; dicuntur ser-

---

[1]) S. Alph. n. 327.
[2]) Voit n. 484.
[3]) S. Alph. n. 328.
[4]) S. Alph. n. 329. Apposite Bouvier: „— spatium enim unius milliarii potest esse nimis molestum respectu nobilis puellae, et pro nihilo reputatur a forti rusticana. Iter unius leucae (trium milliariorum) non est grave pro plerisque, dum tempus est serenum, et via sicca; est vero incommodum, si gradiendum sit nocte, in nive, in aqua, sub pluvia, aut frigore etc."
[5]) S. Alph. n. 330. et alii communiter.
[6]) Idem l. c. contra alios.

vilia, quia ut plurimum a servis fieri solent. 2. *Opera liberalia,* quae principaliter ab anima procedunt et ad mentis culturam spectant, uti legere, docere, scribere etc.; vocantur liberalia, quia a liberis exerceri solent. 3. *Opera communia,* quae etiam media dicuntur, utpote quae a servis simul et a liberis promiscue fieri solent, qualia sunt: iter facere, venari, gladiari etc. 4. *Opera forensia,* quae ad forum judiciale, vel etiam ad mercatum spectant.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Prohibita sunt omnibus fidelibus opera servilia proprie dicta, exceptis iis, quae jure vel legitima consuetudine permittuntur, diebus dominicis et festis integris, id est, tota die naturali de media nocte usque ad mediam noctem. Constat ex jure canonico, cap. 1. *de feriis,* atque ex perpetua Ecclesiae praxi. Nihil vero refert, utrum hujusmodi opera fiant lucri vel recreationis causa, an bona, an mala intentione, porro an cum vel sine corporis fatigatione, utrum brevi vel longo tempore: quia nihil horum mutat naturam operis.

Hinc prohibentur 1. opera ruralia, ut arare, terram effodere, serere, metere, vindemiare etc.

Item 2. prohibentur opera artium mechanicarum, v. c. artis caementariae, ferrariae, lignariae, sartoriae etc. Itemque prohibentur pleraque opera, quae ad artem typographicam concurrunt, quia mechanica sunt. Excipiunt tamen plures literarum collocationem, cum similis sit scriptioni. [1])

3. Molere die festo tantum licet ex necessitate, vel ex legitima consuetudine, ut tradit Benedictus XIV. [2])

4. Currus vel jumenta ducere cum onere, non licet nisi ob publicam utilitatem, vel ob timorem gravis damni, vel ob vigentem consuetudinem. Idem valet de nautis. [3])

5. Permissum est tonsoribus, die festivo barbam radere, tum ex generali consuetudine, tum ex necessitate, quia plerumque aliis diebus impediti solis diebus festis opifices et rustici praesertim eorum officinas petunt, ut barba eis radatur, quapropter si venientibus non servirent, cum gravi damno derelinquerentur. Pessima autem est

---

[1]) S. Alph. n. 282. Scavini pag. 102. Gury n. 356.

[2]) Institut. 55. §. 37.

[3]) S. Alph. n. 276. Scavini pag. 103. Gousset n. 563.

consuetudo, qua barbitonsores, laniones etc. toto tempore matutino Dominicae sacro neglecto laborant. [1])

3. — **Principium II.** Interdicuntur etiam opera forensia, nempe 1. *actiones judiciales,* quae respiciunt causas civiles vel criminales, saeculares vel ecclesiasticas, si apparatum judicialem et strepitum requirant. Hinc non licet citare reum, examinare testes, excipere juramentum judiciale, proferre aut exequi sententiam, — quae si feratur, irrita est. Excusat autem necessitas et pietas, ex *c. ult. de feriis.* Non tamen prohibitum est excommunicare, dispensare, beneficia conferre. Itemque liberum est, testamenta conficere, advocatum consulere, judicem privatim informare, aliosque similes actus perficere, qui non requirunt strepitum judicialem. [2])

Interdicuntur 2. *mercatus,* qui fiunt cum strepitu, quia multum distrahunt animum et a festorum sanctificatione eum avertunt. Permittuntur autem nundinae certo diei affixae, quando incidunt in diem festum, sed tantum in iis locis, ubi legitima consuetudo, eas die festo celebrandi viget, ut declaravit Benedictus XIV. Constit. *Ab eo tempore.* Ast hujusmodi consuetudo apud nos non reperitur, siquidem nundinae, si in diem festum incidant, transferuntur.

Licite ex recepta consuetudine venduntur et emuntur in officinis publicis poculenta et esculenta, juxta decr. S. C. R., item calceamenta, candelae et similia. Attamen mercatores debent officinas claudere, ratione scandali. [3])

Licite quoque venduntur et emuntur domus, equi, merces etc. inter privatos. Imo etiam tolerantur publicae venditiones sub hasta (licitationes) peractis divinis officiis, quia aliis diebus pauciores emtores concurrerent. [4])

4. — **Principium III.** Licita sunt opera liberalia, opera communia, et opera quaedam servilia, quae requiruntur propter necessitatem quotidianam et differri non possunt aut non solent, ut coquere cibos, sternere lectos, verrere domum et similia. [5]) Ita ex praxi

---

[1]) S. Alph.: H. A. Tr. VI. n. 15. Voit n. 630. Gury n. 359. Gousset n. 573. Benedictus XIV., cum esset archiepiscopus Bononiensis, tum barbitonsoribus tum venditoribus praescripsit horam, qua ad signum campanae majoris claudendae essent officinae. Vid. Instit. 43.

[2]) S. Alph. n. 284. 286. et 287.

[3]) S. Alph. n. 286.

[4]) Gury n. 256.

[5]) Haec enim tamquam illicita reputare die festo, *ad Judaicam magis, quam ad Christianam observantiam pertinere putatur,* ut in Conc. Aurelianensi III. habetur. Recte notant Doctores cum s. Thoma 2. 2. q. 122. a. 4., quod dies festi Christianorum non tam stricte obligant, sicut olim obligabat praeceptum

communi et omnium sensu. Nihil interest, ex qua intentione hujusmodi opera peragantur, siquidem intentio operantis non mutat naturam operis.

Unde 1. licitum est, die festo docere, canere etc., scribere et *probabilius* etiam transscribere, sive gratis, sive pro pretio, quia sunt actiones liberales. [1])

2. Licet foeminis imagines acu pingere; hoc enim magis ad exercendum ingenium, quam ad operandum refertur. Ita communiter. [2])

3. Sculpere non licet, cum ars sculptoria communiter, saltem in aestimatione hominum, inter artes mechanicas numeratur. Ita omnes. [3])

4. An pingere liceat die festo, *controvertitur.* Alii *negant,* quia, ut dicunt, pingere fere idem est ac sculpere, quod operibus servilibus adnumeratur. [4]) Alii *affirmant,* ex ratione opposita, quia, ut dicunt, pingere non censeri potest opus servile, sed liberale, et perinde est ac scribere. [5]) S. Alphonsus utramque sententiam *probabilem* dicit. [6]) Videtur tamen pingere potius opus liberale, quam servile, cum magis in eo mens operetur, quam manus; vel saltem dubium est, an sit servile, [7]) adeoque, cum de prohibitione non constet, pingere licet. Sed tabulas dolare, colores terere, porro tingere (quod non idem est ac pingere), ut v. c. colorare asseres vel pannos, dealbare parietes, certe servilia proindeque prohibita sunt. [8])

5. Venari, piscari, aucupari, non sunt opera servilia, sed communia, ideoque permissa sunt, modo non fiant magno labore, conatu,

---

divinum de observando Sabbato. Unde multa nobis permittuntur diebus dominicis festisque, ut ignem succendere, cibos coquere, iter facere, et alia hujusmodi, quae Sabbatis antiquae legis non licebant. Simulque circa prohibita in nostris festivitatibus facilior est dispensatio, quam olim in Sabbato.

[1]) S. Alph. n. 278 et 279.

[2]) Idem n. 281. subjungens: Plures etiam excusant puellas acu pingentes, ut addiscant.

[3]) S. Alph. n. 281.

[4]) Ita Salmatic., Suarez, Sanchez, Azor et alii.

[5]) Ita Laymann: Tract. 7. c. 2. n. 3. Elbel n. 395. Tamburini: Lib. 4. c. 3. §. 1. n. 8. et alii; etiam Voit n. 629., qui hanc sententiam dicit probabiliorem, et addit: *„Etsi vellemus probabilem contrariam sententiam suadere, consuetudine obfirmata praxis resisteret."* Gousset n. 564.

[6]) Th. m. n. 280.

[7]) S. Alph. H. A. Tr. VI. n. 10.

[8]) Busenbaum apud s. Alph. n. 278.

strepitu vel apparatu. [1]) Sed cavendum, ne auditio Missae praetermittatur.

6. Licet iter facere pedibus, equo, curru; nam aperte constat ex praxi universali. Nefas tamen est, sine gravi causa iter suscipere die festo, si sacrum audiri non possit. Pariter licet uti lectica ab hominibus portata in locis, ubi viget talis consuetudo. [2])

5. — **Principium IV.** Opera tam servilia, quam forensia prohibentur generatim sub peccato gravi; quia finis praecepti, qui est Dei cultus, gravis est. Admittit tamen hoc praeceptum materiae parvitatem, ac proinde ejusdem violatio potest esse veniale ex defectu materiae. Communius materiam gravem esse censent laborem duarum horarum, si labor sit valde servilis, et laborem duarum horarum cum dimidia, si sit leviter servilis. [3]) Sed in forensibus et judicialibus non tam quantitas temporis, quam qualitas operis spectari debet; hinc grave esse potest, vendere rem magni momenti cum magna solemnitate, licet brevi tempore fiat, nisi necessitas vel consuetudo probata excuset. [4])

B. De causis, ob quas opera servilia permittuntur.

Hae causae sunt 1. dispensatio legitima, 2. pietas erga Deum, 3. charitas erga proximum, et 4. necessitas.

6. — I. Excusat *dispensatio,* quam concedere possunt: 1. Summus Pontifex pro tota Ecclesia, 2. Episcopi pro sua dioecesi, quoad omnes etiam dioecesanos simul, sed tantum ad tempus (pro una vel altera vice), non vero in perpetuum, quia dispensatio perpetua aequivaleret suppressioni festi; [5]) 3. Praelati regularium pro suis subditis, et 4. parochus ex consuetudine, vel expressa potestatis commissione, ad tempus et pro casu aliquo particulari. Potest autem quivis sacerdos occurrentibus casibus interrogatus declarare, obligationem non obtinere, ubi revera non subsistit ex una vel altera causarum, quae in subsequentibus exponuntur.

---

[1]) S. Alph. n. 283. et alii communiter.

[2]) Idem n. 275.

[3]) Vide S. Alph. n. 305.

[4]) Idem n. 307. Reuter n. 294.

Quaeritur: *An peccet graviter, qui die festo mandat pluribus famulis, ut laborent per horam?*

Resp. Neg. probabilius, sive simul, sive successive famuli laborent, quia cum singuli tantum venialiter peccent, etiam dominus eos ad labores inducens, venialiter tantum peccat. Secus autem, si dominus uni famulo mandaret *pluries* laborare die festo usque ad materiam gravem. S. Alph. n. 306.

[5]) Analect. Juris Pontif. Ser. II. col. 2314.

Concilium Provinc. Viennense anno 1858. Tit. II. cap. 6. dicit: „*Parochis confirmatur vel confertur facultas dispensandi cum ruricolis, ut diebus Dominicis et festis audita saltem Missa in agris labores peragere possint, quibus imminente tempestate vere opus est, ne grave rerum suarum damnum patiantur. Vicissim necessitatis caussam avaritiae praetexentes non audiant.*"

7. — II. *Excusat pietas erga Deum.* Qua ratione permittuntur opera, quae proxime pertinent ad Dei cultum, et differri nequeunt, v. c. pulsare campanas, circumferre imagines etc. Ornare autem altaria, verrere ecclesiam, parietes ornare peristromatis, hostias coquere etc. non licet (nisi consuetudo legitima vel necessitas excuset); [1]) debent igitur hujusmodi labores pridie fieri, si possint; secus essent venialia peccata. [2]) Eo minus licet ecclesiam reparare, aedificare, lapides ad hoc secare etc., nisi adsit actualis et gravis necessitas et expressa episcopi licentia. [3])

Otii autem vitandi causa serviliter laborare die festo, illicitum est, quia otium aliis mediis melioribus facile vitari potest, e. g. adeundo ecclesiam, Rosarium recitando, infirmos visitando, librum spiritualem legendo etc. [4])

8. — III. *Excusat charitas erga proximum;* ob quam die festo licet infirmis servire, fodere sepulturam, vendere rusticis, qui aliis diebus impediuntur, laborare pro determinato paupere, cui ratione necessitatis tunc laborare liceret. [5])

9. — IV. *Excusat necessitas* propria vel aliena, ut cum sine gravi damno opus aliquod omitti vel differri non potest.

Sic 1. excusantur pauperes, si aliter se et familiam suam alere non possint, modo scandalum absit. [6])

2. Item famuli jussu domini laborantes, si detrectare labores non possint sine gravi damno. Si tamen id frequenter contingeret, alium dominum quaerere, et hoc invento illum deserere tenerentur. [7])

3, Excusantur iidem et alii, reficientes suas vestes, cum id ferialibus diebus non possint. [8])

---

[1]) S. Alph.: H. A. Tr. VI. n. 16. ait, ex consuetudine talia opera excusari. tum permittit, si urgeret tentatio gravis, quae vinci non posset, nisi hujusmodi opere exercendo: quod tamen raro eveniet.

[2]) Voit n. 618, Reuter n. 295. Gousset n. 576.

[3]) S. Alph.: H. A. n. 17. Th. m. n. 293.

[4]) La Croix: Lib. 3. n. 587. cum Suarez et aliis, Reuter n. 295. Voit n. 624. S. Alphonsus n. 302. id tan-

[5]) S. Alph. n. 294.

[6]) Idem n. 297.

[7]) S. Alph. ibid. Voit n. 626.

[8]) S. Alph. ibid. Voit n. 622.

4. Excusantur pistores publici, saltem in oppidis populosis, tum ob consuetudinem, tum ob populi necessitatem. Ita quoad pistores. Aliis autem panem conficere vix permissum est, nisi ex necessitate, ut e. g. si concurrant plura festa etc. [1])

5. Excusantur conflatores ferri et vitri aliique, quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine damno. [2])

6. Item fabri ferrarii, dum calceant equos itinerantium vel eorum, qui summo mane iter sunt acturi, aut in agrum egressuri ad laborandum, si alias grave damnum paterentur; nec non dum reficiunt vomeres eorum, qui secus die sequenti laborare non valerent. Excusantur pariter, qui instaurant pontes, vias publicas, casu necessitatis. [3])

7. Excusantur sartores, qui conficiunt vestes necessarias pro instantibus nuptiis, funeribus, aut vestes, quibus indiget peregrinus. Excusantur etiam, si alii jam exspectarent vestes promissas, quas si non perficerent, magnum detrimentum ipsi subituri essent. Idem valet pro calceamentariis. [4])

8. Item agricola, qui aut ob praeteritam vel imminentem pluviam foenum vel segetes vertunt, ligant, vehunt.

9. Excusantur etiam ii, qui laborant ob causam publicam et honestam v. g. si agatur de victoria celebranda, de festo praeparando ob principis nativitatem, adventum etc. [5])

10. Excusantur quoque probabiliter illi, qui laboribus se sustentantes ob magnum et extraordinarium lucrum laborant, quia pro istis tale lucrum amittere perinde est ac magnum damnum subire. Pari ratione excusantur etiam ob lucri notabilis jacturam ab auditione sacri. [6])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 272—307.

DISTINCTIO II.

De vitiis religioni oppositis.

Religioni opposita sunt 1. superstitio per excessum, et 2. irreligiositas per defectum.

---

[1]) S. Alph. n. 299. Gousset n. 572.

[2]) S. Alph. n. 300. Gousset n. 574.

[3]) S. Alph. n. 300 et 303.

[4]) Idem n. 303. La Croix n. 592. Voit n. 620. Gousset n. 574.

[5]) S. Alph. n. 304. Monet hic Suarez, praestare in his casibus petere veniam ab auctoritate Ecclesiastica.

[6]) S. Alph. n. 301. Gousset n. 575. Scavini, Gury.

A. De superstitione.

Et quidem 1. de superstitione in genere, et 2. de praecipuis superstitionis speciebus.

I. De superstitione in genere.

§. 68.

De notione et partitione superstitionis.

1. — *Superstitio est vana seu falsa religio,* id est vitium, quo divinus cultus vel Deo exhibetur modo indebito, vel creaturae, cui non debetur. [1]) Hinc duplex est; reperitur enim 1. quoad *modum* indebitum, quo Deus verus colitur, et 2. quoad *rem,* quae sicuti Deus colitur.

2. — I. Superstitio quoad *modum* indebitum Dei colendi dispescitur in *duas* species. Committitur nimirum, cum Deo cultus falsus vel cultus vanus exhibetur.

1. *Cultus falsus* est cultus, qui mendacio nititur, et Deo exhibetur a) nunc observando ceremonias V. T., quae Christum venturum significabant; quare modernus Judaismus est superstitiosus; — et b) fingendo miracula, revelationes, visiones ad fidei veritates probandas, vel reliquias falsas proponendo ad devotionem augendam. Quae omnia ex genere suo sunt peccata mortalia. [2])

2. *Cultus vanus* ille est, qui neque confert ad Dei gloriam, neque ad hoc, ut mens hominis in Deum feratur, [3]) ut si quis nollet Missam celebrari nisi candelis certo ordine, colore, numero positis, [4])

---

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 92. a. 2. c. Circa etymologiam hujus vocis varie loquuntur auctores. Cicero lib. 2. de natura deor. putat, derivatum esse nomen illud a voce *Supersto,* seu a nomine *Superstes*, nam *qui totos* (inquit) *dies immolabant, ut eorum liberi superstites essent, superstitiosi vocati.* S. Isidorus lib. 8. etymol. cap. 3. sentit, superstitionem dictam esse a *Superstatuo* vel *Superinstituo*, nam superstitio est superflua observantia in cultu super statuta, seu instituta majorum. Vide Suarez: Lib. II. de Superstitione cap. 1. n. 1.

[2]) S. Thomas: 2. 2. q. 93. a. 1. S. Alph.: Theol. mor. Lib. IV. n. 3. Suarez: De Religione Lib. II. De Superstitione cap. 2. Lessius: De justitia ceterisque virt. card. Lib. II. cap. 43. Dub. 1. n. 3. et 4. Laymann: Theol. mor. Lib. IV. Tr. 10. c. 4. Voit: P. I. n. 410.

[3]) S. Thomas: 2. 2. q. 93. a. 2. S. Alph. l. c. n. 4. et reliqui auctores citati.

[4]) Concilium Trident. Sess. XXII. de observandis et evitandis in celebratione Missae praescripsit: „*Postremo, ne superstitionis locus aliquis detur, edicto et poenis propositis* (episcopi) *caveant, ne sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neve ritus alios aut alias caeremonias et preces in missarum celebratione adhibeant praeter eas, quae ab Ecclesia probatae ac frequenti et laudabili usu receptae fuerint. Quarundam vero Missarum et candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu quam a vera religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant* —“

vel absque rationabili causa nollet Missam audire nisi hujus vel illius sacerdotis; vel si quis sacras imagines et reliquias coleret modo ab Ecclesia non approbato atque ab ejus praxi plane alieno. [1]) Haec tamen, si absit grave scandalum, *per se* tantum venialia sunt, quia materia levis est, et ut plurimum simplicitas excusat. [2])

3. — II. Superstitio autem illa, qua cultus indebitus creaturae tribuitur, multas species includit, scilicet *idolatriam, vanam observantiam, divinationem, magiam, maleficium, mesmerismum* et *spiritismum.* Superstitio ut plurimum excipere solet infidelitatem; cujus rei specimina nostra quoque aetate (de mentis humanae progressu, illuminatione et cultura tantopere celebrata!) non dico apud rudes et plebejos tantum, imo etiam et potius apud literatos et proceres cernere licet. [3])

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 92. et 93. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 1—4. Suarez: De Religione, Lib. II. de Superstitione cap. 1. et 2. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 43. Dubitat. 1. Laymann: Theologia moralis Lib. IV. Tract. 10. cap. 1.

§. 69.

De daemonum ad superstitionis peccata cooperatione.

1. — Ad nefanda scelera praedicta diabolus quoque cooperari solet, qui nimirum, cum infensissimus sit Dei hostis divinaeque gloriae aemulator, homines a Dei cultu avertere atque ad sui cultum trahere nititur. Imo ut plurimum tunc pactum aliquod daemones inter atque hominem intercedit. Antequam igitur de istis flagitiis singillatim tractemus, duas quaestiones expendere volumus, quarum solutione lux necessaria subsecuturae illorum expositioni affundatur.

2. — Quaeritur I. *An dari possit pactum hominis cum diabolo?*

---

[1]) Vide Conc. Trid. Sess. XXV. de Invocatione Sanctorum.

[2]) S. Alph. Th. m. Lib. IV. n. 4. cum aliis.

[3]) Plura exempla virorum illustrium plane risum moventia invenies in ephem. *Historisch-polit. Blätter* 1869. B. 63. Civilisation und Christenthum ([illegible] Un- und Aberglaube) S. 773—788. Quam crasse Berolini (in „metropoli illuminatismi“) superstitio, praesertim divinatio e chartis (!) nobiles et ignobiles infecerit, in iisdem ephem. praelaudatis 1872. B. 69. S. 269—272. refertur. Et quam multi, rursus viri illuminati, hodiedum Deo et Ecclesiae credere nolentes diabolo credunt per Spiritismum, quem sectantur!

Praenotandum, duplex pactum hominis cum daemone distingui, nempe *expressum* seu explicitum et *tacitum* seu implicitum. Primum obtinet, quando quis daemonis auxilium expresse invocat, vel saltem aliquid usurpat, cui scit daemonem cooperari. Alterum habetur, dum quis utitur vanis et improportionatis mediis ad aliquid cognoscendum vel efficiendum; cum enim hujusmodi rebus neque Deus neque Angeli boni cooperentur, effectus non potest nisi a daemone exspectari, qui quippe talibus rebus sese immiscere solet, ut homines ad cultum sui trahat. [1])

Communis et certa est doctrina, quae absque temeritatis nota in dubium vocari nequit, existere posse commercium seu pactum hominis cum daemone. Probatur 1. *indirecte* ex veritatibus aliunde notis et concessis. a) Constat de malefica daemonum indole, prona ad subsannandos et perdendos homines; ex hac autem satis bene deducitur, quod ipsi, Deo sic permittente, sese conjungant cooperatione cum pessimis hominibus ad eorum perniciem. — b) Legimus Matth. 4. 9. diabolum pactum obtulisse Christo: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Quid ergo impedit, quominus daemon et hominibus quocunque modo offerat pactum? — c) Est de fide, dari obsessionem hominis per diabolum; quanto igitur magis admittendum commercium diaboli cum homine pacto sive explicito sive implicito subnixum? — Probatur 2. *directe* a) Ex s. script. Nam Isai 28. 15. Deus vehementer increpat eos, qui dixerunt: *„percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum;“* ex quo loco igitur directe assertio nostra comprobatur. — b) Ex auctoritate ss. Patrum, inter quos imprimis magnus s. Augustinus frequenter dicit, molimina magicarum artium esse pacta cum daemonibus foederata. [2]) — Probatur c) ex doctrina Theologorum probatissimorum, qui hanc veritatem vel argumentis evincunt, vel ut omnino evictam et indubitatam supponunt. [3]) Angelicus e. g. dicit: *„Omnes superstitiones procedunt ex aliquo pacto cum daemonibus inito, tacito vel expresso. Et ideo omnes intelliguntur prohiberi in*

---

[1]) S. Alph. Lib. IV. n. 8. Reuter n. 433. et alii communiter.

[2]) De doctrina Christiana Lib. II. cap. 20. n. 30. Lib. de diversis quaest. 83., q. 79. n. 4.

[3]) Suarez: De Religione Lib. II. de Superstitione cap. 14. n. 6. Lessius, Laymann, Collet etc. Inter recentiores Stapf: Tom. II. §. 175. Scavini, Gousset, Jungmann: Inst. dogmat., Tr. De Deo creatore n. 152. —156. Ratisb. 1871. Schouppe: Elementa theol. dogm.: de Angelis n. 110 et 111. Ed 5. Bruxellis 1870.

hoc, quod dicitur: Non habebis deos alienos.“ [1]) — Probatur d) ex Constitutionibus Summorum Pontificum. Praesertim Sixtus V. in Bulla *Coeli et terrae creator* eos damnat, qui *superstitionibus non sine daemonum saltem occulta societate aut tacita pactione operam dare non verentur,* et vehementius adhuc eos castigat, qui etiam *expressa cum diabolo pactione nefarias magicae artis incantationes adhibent.* Hinc existentiam pacti et commercii cum diabolo nullo modo concedere, perinde est ac erroris et dementiae arguere Apostolicam Sedem; quod injuriosum illi ac plane impium dicendum. Verum quidem est, multa, quae desuper narrantur, solidis argumentis non niti, vel aperte esse ementita; attamen alia referuntur argumentis tam firmis probata, ut in dubium vocari nequeant. [2])

3. — Quaeritur II. *An homo ope Daemonis vi pacti cum eo initi plura valeat cognoscere ac efficere, quam solis viribus suis?*

Non mea sunt, quae modo de daemonum cognitione et potentia proferam, sed in Ecclesia semper tradita. Quae si cuidam ad fabulas releganda videantur (sicunt nonnullis criticis operis hujus prima editione divulgati videbantur), examinet fontes, ex quibus hausta sunt; et recogitet, eorum impugnatione vel derisione non me peti, sed omnes illas auctoritates, quibus innixus singula asserui. Ex quo tempore daemonologia magis perfunctorie in libris theologicis tractari consuevit, multa tamquam nova et fabulosa commenta spernuntur, quae tamen absque summa temeritate vel ipsius fidei discrimine negari nequeunt. Optime profecto egit doctiss. B. Jungmann, professor in Facultate theol. Lovaniensi, quod aliis nostri aevi theologis apertius et accuratius exposuit doctrinam de daemonum potentia. [3]) Quo minus enim nunc temporis a tam multis fraudulenta diaboli operatio multiplex, imo et ejus existentia creditur; eo magis malignorum spirituum artes detegantur oportet, ad miseros homines violentis istorum fraudibus, quae praecipue in spiritismo deprehenduntur, eripiendos. His praemissis ad solutionem quaestionis propositae

4. — Resp. I. *Daemones multa cognoscere possunt, quae superant hominum vires.* Etenim angeli hominibus praestantiores sunt facultate intelligendi; et angelica natura in daemonibus quidem per peccatum depravata, non vero ablata vel imminuta fuit; ut omnes docent. [4]) Aliam rationem s. Augustinus [5]) et s. Thomas [6]) addunt,

---

[1]) 2. 2. q. 122. a. 2. ad 3.

[2]) S. Alphonsus: Th. mor. Lib. IV. n. 26. Perrone: De Angelis cap. 5. Propos. II. Scavini: Theol. moral. universa Tom. II. pag. 119. Jungmann: op. c. n. 155. 156.

[3]) Institut. Theol. dogm., Tr. de Deo Creatore cap. II. n. 139—142. Ratisb. 1871.

[4]) Consuli possunt d. Thomas: 1. q. 63. a. 4. et q. 64. a. 1. c. Suarez: De Religione Lib. II. de superstitione cap. 16. n. 2. Perrone: De Angelis cap. 5.

[5]) De divinatione daemonum cap. 3. n. 7.

[6]) 1. q. 64. a. 1. ad 5. In Lib. II. Sent. Dist. VII. q. 2. a. 1.

nempe „majorem illorum experientiam, quam potest hominibus propter brevitatem vitae provenire.“

Hinc d. Thomas cum sancto Augustino, et Theologi spectatissimi docent, et cum ipsis P. M. Benedictus XIV. tradit 1. daemones praenoscere futura ex naturalibus causis vel signis, tantoque melius et certius, quam homines, quanto universalius et perfectius, quam illi, rerum causas et conditiones cognoscunt; [1]) — 2. eos ex actibus exterioribus et signis corporalibus percipere hominum cogitationes et affectiones, atque exinde per conjecturam praedicere futura, quae non noverunt homines; [2]) — 3. illos scire res praesentes obscuras, quae exteriore actu proditae sunt, e. g. secreta furta et similia, quae hominum cognitionem fugiunt; et demum eos posse incredibili celeritate ea, quae in remotis regionibus geruntur, tam cito denuntiare, ut diu ante praedicta ab ignaris putentur. [3]) Haec singula excerpta sunt ex opere praestantissimo P. M. Benedicti XIV. in subjectis notis allegato. Et partim confirmantur etiam ex Rituali Romano, in quo: *De exorcizandis obsessis* inter signa obsidentis daemonis notantur: „ignota linqua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere, distantia et occulta patefacere.“

At vero daemones cognoscere nequeunt cogitationes hominum, prouti sunt in intellectu, et affectiones, prouti sunt in voluntate, [4]) neque praescire et praedicere valent, quae sunt omnino libere futura, quaeque solum a divina voluntate pendent, [5]) et generatim, quae superant vires naturae creatae. Quam longe igitur daemonum divinatio distat „ab altitudine prophetiae divinae!“ [6])

[1]) Benedictus XIV.: De Servorum Dei Beatif. etc. Lib. III. cap. 46. n. 3. S. Augustinus: De Civitate Dei Lib. X. cap. 22. De divinatione daemonum cap. 5. n. 9. S. Thomas: Summa Theol. 1. q. 57. a. 3. Suarez: De religione Lib. II. de superst. cap. 8. n. 6. Lessius: De justitia ceterisque virt. card. Lib. II. cap. 43. Dub. 5. n. 23.

[2]) Benedictus XIV. op. c. Lib. III. cap. 46. n. 3. S. Alph.: Theol. mor. Lib. IV. n. 5. Suarez op. c. cap. 8. n. 8. Lessius op. c. cap. 43. n. 23.

[3]) Benedictus XIV. op. c. Lib. III. cap. 46. n. 3. Tertullianus: Apolog. cap. 22. S. Augustinus: De Genesi ad literam Lib. XI. cap. 17. n. 34. Idem Suarez op. c. cap. 8. n. 6. et 8. Lessius op. c. cap. 43. n. 23. et alii tradunt.

[4]) Eas solus Deus cognoscere potest. Jerem. 17. 10. Sap. 1. 6. Rom. 8. 27. Idem omnes doctores tradunt. Vide Benedictum XIV. op. cit. Lib. III. cap. 46. n. 2. 3. et 5.

[5]) Benedictus XIV. op. cit. cap. 46. n. 2. et 3.

[6]) S. Augustinus: De divinatione daemonum cap. 6. n. 10. Mira eruditione et sapientia hoc argumentum prosequitur summis laudibus merito celebratus P. M. Benedictus XIV. op. cit. cap. 45. et 46.

Quae autem daemones sciunt, ea hominibus quoque manifestare possunt. [1]) Huc divinatio spectat. Plerumque tamen daemones ea praenuntiant, quae ipsi Deo permittente sint facturi, ut observat s. Augustinus, [2]) quem alii [3]) sequuntur.

Ceterum diabolus, cum ab initio mendax sit et pater mendacii, decipere et nocere semper intendit, [4]) atque ideo aut falsa suggerit [5]) aut vera ideo enuntiat, ut homines ipsi et falsa dicenti fidem facilius praebeant; [6]) quocirca Marc. 1. 24. 25.; 3. 11. 12. Christus vehementer comminatus est spiritibus immundis, qui clamabant dicentes: *Tu es filius Dei,* ne videlicet homines et crederent illis, dum mentirentur. [7])

5. — Resp. II. *Daemones multa efficere valent, quae superant hominum vires,* ex duplici ratione: 1. propter majorem rerum cognitionem modo expositam, et 2. propter majorem operandi potentiam, „quae angelis est naturalis, et in daemonibus, post peccatum integra mansit“, ut cum Theologis P. M. Benedictus XIV. docet. [8]) Legitur Job. 41. 24. „*Non est super terram potestas, quae comparatur ei;*“ quae verba s. Gregorius M. de diaboli potestate explicans ait: „Potestas ejus super terram cunctis eminentior perhibetur: quia etsi

[1]) Quo modo daemones id possint, explicare nititur d. Thomas in Lib. II. Sent. Dist. VII. q. 2. a. 2.

[2]) Dicit enim: „— sciendum est, illos (daemones) ea plerumque praenuntiare, quae ipsi facturi sunt. Accipiunt enim saepe potestatem et morbos immittere et ipsum aërem vitiando morbidum reddere, et perversis atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere, de quorum moribus certi sunt, quod eis talia suadentibus consensuri.“ De divinat. daemonum cap. 5. n. 9. Item Lib. II. de Genesi ad literam cap. 17. n. 37. Vid. Benedict. XIV. op. c. cap. 46. n. 3.

[3]) Suarez: De superstit. cap. 8. n. 7. Lessius: op. cit. cap. 43. n. 23.

[4]) S. Thomas: „Daemonis revelantis intentio perversa est, qui deceptionem intendit.“ In Lib. II. Sent. Dist. VII. a. 2. ad 2. Teste *Tertulliano* in apolog. II. cap. 22. operatio daemonum est *hominis eversio*, et teste S. Petro Chrysologo Serm. 11. diabolus est *mali auctor, nequitiae origo, rerum hostis, secundi hominis semper inimicus.*

[5]) S. Augustinus: Daemones plerumque falluntur et fallunt. De divinat. daemonum cap. 6. n. 10. S. Joan. Chrysost.: Homil. XVIII. in Joan. S. Joan. Damasc.: De fide orthodoxa Lib. II. cap. 4. et alii passim ss. Patres.

[6]) S. Augustinus: „Potestates aëreae superbae atque fallaces, etiamsi quaedam vera per suos vates de societate et civitate sanctorum et vero mediatore dixisse reperiuntur, id egerunt, ut per haec aliena vera etiam fideles Dei, si possunt, ad sua falsa traducerent.“ De Trinit. Lib. IV. cap. 17. n. 23. „Quapropter bono Christiano divinantes impie, etiam dicentes vera cavendi sunt, ne consortio daemoniorum animas deceptas pacto societatis irretiant.“ Lib. II. de Genesi ad literam cap. 17. n. 37.

[7]) S. Thomas: 2. 2. q. 95. a. 4. c.

[8]) De Servorum Dei Beatif. Lib. IV. cap. 3. n. 2.

actionis suae merito infra homines cecidit, omne tamen humanum genus naturae angelicae conditione transcendit. Quamquam enim internae felicitatis beatitudinem perdidit, naturae tamen suae magnitudinem non amisit, cujus adhuc viribus humana omnia superat, licet sanctis hominibus meritorum suorum dejectione subjaceat.“ [1]) Quae cum ita sint, homines vi pacti cum daemonibus, et isti in illis et per illos operari valent, quae solis humanis viribus impossibilia forent.

Equidem effectus, quos spiritus maligni operantur, partim *veri* sunt, partim *apparentes;* quod ss. Patres [2]) et Theologi [3]) docent.

1. Quod effectus *veros* attinet, fide certum est, daemones posse in corpora et bona hominum externa infeste agere. Concilium Prov. Pragense a. 1860. Tit. III. cap. 12. enuntiavit: *„Fide credimus, Deo permittente malos daemones, non tantum animabus, sed et corporibus hominum insidiari, imo et morbos in istis et damna in aliis creaturis efficere posse, et interdum occulto Dei judicio revera operari.“* Probatur 1. ex s. scriptura: *„Satan percussit Job ulcere pessimo.“* Job. 1. 7. Illas quoque calamitates, quas in bonis suis ac filiis passus est, a daemone ipsi inflictas esse, ex sacro textu et unanimi Patrum interpretatione manifestum est. „Non enim, ait s. Augustinus, quando de coelo ignis cecidit et tantam familiam cum tantis gregibus pecorum sancti Job uno impetu absumpsit, et turbo irruens et domum dejiciens filios ejus occidit, phantasmata fuerunt; quae tamen fuerunt *opera satanae,* cui Deus dederat hanc potestatem.“ [4]) Plagas Aegypti et praeprimis occisionem primogenitorum facta esse opera daemonum, s. Hieronymus [5]) et s. Augustinus [6]) colligunt ex verbis Psalmi 77. 49. *„Misit in eos* (Aegyptios) *iram indignationis suae, — immissiones per angelos malos.“* In libro Tob. 3. 8. legitur, *daemonium, nomine Asmodaeum, occidisse septem viros Sarae;* et testibus Act. Apost. 12. 23. *percussit Herodem Angelus Domini, et*

[1]) Lib. XXXIV. Moral. in Job. cap. 20. n. 39.

[2]) S. Augustinus: De Trinitate Lib. III. cap. 7. et seq. De Civitate Dei Lib. XVIII. cap. 18. n. 2. et alibi. S. Justinus, Tertullianus, Origenes, s. Chrysostomus, s. Isidorus.

[3]) Sententiarii in II. Libr. Sent. Dist. VII.; et in IV. Libr. Sent. Dist. XXXIV. S. Thomas praeterea 1. q. 114. a. 4. Lib. III. contra Gentes cap. 101. et sq. De Potentia q. 6. a. 5. ad 8. De Malo q. 16. a. 9. ad 10. Martinus del Rio: Disquis. magicae Lib. II. q. 6. Suarez: De Relig. etc. Lib. II. de superstitione cap. 16. n. 11. et sq. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinal. Lib. II. cap. 44. Dub. 3.

[4]) De Civitate Dei Lib. XX. cap. 19.

[5]) In Isai. c. 24.

[6]) Enarr. in Psalm. 77. n. 28.

consumptus a vermibus expiravit. — Probatur 2. ex ss. Patribus. S. Augustinus scribit: *„Dolores corporis plerumque immittuntur ab angelis satanae, sed hoc non possunt nisi permissi.“* [1]) Enarrat, suo tempore aliquam domum sibi bene notam spirituum malignorum vim cum afflictione animalium et servorum esse perpessam. [2]) Prius jam *Tertullianus* dixit: *„Corporibus quidem et valetudines infligunt et aliquos casus acerbos.“* [3]) Similia s. Isidorus [4]) habet. — Probatur 3. ex auctoritate P. M. Benedicti XIV. sic loquentis: *„Aliquando Deus permittit, ut morbi etiam a daemone inferantur. Nec enim daemon detrimentum aliquod nostris corporibus afferre potest, nisi Deo permittente.* [5]) Et exemplum adducit B. Angelae de Fulginio. [6]) Porro dicit, Dei servos a daemone multas *vexationes* esse passos; quod exemplis s. Hilarionis, s. Antonii, s. Catharinae Senensis et aliorum Sanctorum confirmat. [7]) — Probatur 4. ex liturgia Ecclesiae. In benedictione aquae lustralis Ecclesia orat, *„— ut quidquid in domibus vel in locis fidelium haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: discedant omnes insidiae latentis inimici; et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquae effugiat atque discedat.“* Rursus *„— ut omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur.“* In benedictione Campanae Ecclesia Deum precatur, *„ut cum melodia illius auribus insonuerit populorum, procul pellantur omnes insidiae inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua, — prosternat aëreas potestates dextera tuae virtutis etc.“* Omnia quippe Sacramentalia ad tuendos fideles contra infestationes et vexationes malignorum spirituum inserviunt.

P. M. Benedictus XIV. cum d. Thoma [8]) ait: *„Natura corporalis spirituali naturaliter obedit ad motum localem, unde et diabolus omnia causare potest, quae ex motu locali corporum inferiorum provenire possunt, nisi virtute divina reprimatur.“* [9]) Daemones posse movere corpora, jam docuit quoque s. Augustinus. [10]) Idem tradit

[1]) Enarr. in Psalm. 130.

[2]) De Civitate Dei Lib. XXII. cap. 8. n. 6.

[3]) Apolog. cap. 22.

[4]) Lib. I. de differentia seu proprietate verborum cap. 12.

[5]) Op. c. Lib. III. cap. 30. n. 6.

[6]) Lib. III. cap. 30. n. 8.

[7]) Lib. III. cap. 30. n. 13.

[8]) 1. 2. q. 80. a. 2. c.; 1. q. 110. a. 3.

[9]) Lib. IV. P. I. cap. 3. n. 6.

[10]) De Civitate Dei Lib. XVIII. cap. 18. n. 3.

s. Alphonsus ad Dan. 14. 35. et Matth. 4. 5. et 6. provocans.[1]) Praeterea in eandem sententiam conveniunt Suarez,[2]) Lessius,[3]) et praeter alios recentissime Schouppe,[4]) Jungmann.[5]) Et haec quidem maxime quoad spiritismi praestigia notandum venit.

Possunt daemones excitare imaginationem et vim appetendi sensitivam, sicque homines incitare ad odium vel libidinem,[6]) quo maleficia spectant.

2. Quod effectus *apparentes* attinet, daemones ejusmodi effectus juxta d. Thomam producere valent duplici modo: a) *ab interiori*, etenim possunt mutare phantasiam et etiam sensus corporeos hominis, ut aliquid aliter videatur, quam est; — et b) *ab exteriori*, nam possunt rei cuidam circumponere quamcunque formam, ita ut in hac videatur esse, quod non est.[7]) Imo et ipsi diversas formas induere solent ad homines misere decipiendos, vel hominis vel bestiarum ut Benedictus XIV. docet,[8]) haec addens: „*Quodsi Christus — passus est, ut a diabolo assumeretur super pinnaculum templi et in montem excelsum: nemo profecto mirari debebit, quod saepe in sacris historiis et Actis Sanctorum legimus, ipsos a daemone variis formis et apparitionibus fuisse tentatos.*“[9]) Vid. Lib. I. §. 131. n. 4.

Quamvis autem illa, quae maligni spiritus operantur, mira appareant hominibus, quia insolita sunt eorumque vires superant, vera tamen miracula nullatenus sunt, ut omnes Catholici docent.[10]) Quae quippe viribus naturae fieri nequeunt, nullo modo diabolus secundum rei veritatem perficere valet, qualia sunt mortuum suscitare, corpus humanum immutare; et si aliquando tale quid operatione diabolica contigisse narretur, id non reapse, sed apparenter tantum factum est, duplici illo modo in antecedentibus exposito.[11]) Postremo animadvertendum, quod *nec daemones aliquid operantur, nisi ille per-*

---

[1]) Praxis Confessari cap. 7. §. 7. n. 111.

[2]) De superstit. Lib. II. cap. 16. n. 4.

[3]) De justitia ceterisque virt. card. Lib. II. cap. 44.

[4]) Elementa Theol. dogm. Tom. I. Tr. VII. cap. 2. de Angelis n. 69. Bruxellis 1870. Ed. 5.

[5]) Institut. Theol. dogm., Tr. de Deo Creatore cap. 2. n. 139. Ratisb. 1871.

[6]) S. Thomas: 1. q. 111. a. 3. et 4. Lessius op. c. cap. 44. Dub. 3. n. 23.

[7]) S. Thom. 1. q. 114. a. 4. ad 2. Vid etiam s. Augustin. De Civ. Dei Lib. XVIII. cap. 18. n. 2.

[8]) Lib. III. cap. 51. n. 3.

[9]) Lib. III. cap. 30 n. 13.

[10]) Sententiarii in Lib. II. Sent. Dist. 7. Praeterea s. Thomas: 1. q. 110. a. 4.; q. 114. a. 4. Benedictus XIV. op. c. Lib. IV. cap. 3.

[11]) S. Thomas: 1. q. 114. a. 4. ad 2.

miserit, cujus judicia occulta sunt multa, injusta nulla, ut egregie dicit magnus s. Augustinus.[1])

* S. Augustinus: De divinatione daemonum, praesertim n. 8—14. (Op. Tom. VI.) Lib. de 83. quaestion. diversis, q. 79. Lib. II. ad Simplicianum q. 3. (Op. Tom. VI.): in quibus operibus causae investigantur, quibus daemones, eorumque ope homines futura quaedam praenuntiare, ac mira patrare valeant. De Civitate Dei Lib. IX. cap. 20. 21. et 22. De scientia daemonum, Lib. XVIII. cap. 18. de transformationibus, quae daemonum arte hominibus videntur accidere (Op. Tom. VII.). De Trinitate Lib. III. cap. 7. et 8. (n. 12—15.) de arte daemonis (Op. Tom. VIII.). S. Thomas: Comment. in Libr. II. Sent. Dist. VII. q. 2. a. 1. de scientia daemonum; q. 3. a. 1. „de virtute daemonum in operando.“ Summa Theologica 1. q. 64. a. 1. de scientia daemonum; q. 110. a. 4. et q. 114. a. 4. „an possint daemones facere vere miracula.“ Benedictus XIV. De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonisatione Lib. III. cap. 30. n. 6. et 8. quod daemones ex Dei permissione morbos aliquando hominibus inferunt; Lib. III. cap. 43. n. 9. cap. 46. n. 3—7. cap. 48. n. 10. de scientia daemoniaca: Lib. IV. par. 1. cap. 3. de potestate daemonum, faciendi mira, sed non miracula; Lib. III. cap. 50. n. 9. cap. 51. n. 3. de apparitionibus daemonum. Martinus del Rio (Delrio): Libri sex disquisitionum magicarum. Lib. IV. cap. 2. Moguntiae 1603. et al. saepe. (Hoc opus, quamvis non raro nimiam auctoris credulitatem prodat, despiciendum tamen non esse, exinde jam videtur colligendum, quod ipse P. M. Benedictus XIV. et s. Alphonsus id saepe commemorant ad doctrinas, quas asserunt, confirmandas). Suarez: De virtute de statu Religionis, Par. I. Tract. III. Lib. II. de superstitione cap. 8. n. 6—13. de iis, quae daemon cognoscit, cap. 16. n. 2—27. de potestate daemonis ad operandum. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 43. Dub. 5. n. 23. quibus modis possint daemones longe plura nosse quam homines; cap. 44. Dub. 3. n. 14—25. de iis, quae a magis opera daemonis fieri possint. Bern. Jungmann: Institutiones Theologiae dogmat., Tr. de Deo Creatore cap. II. pag. 113—116. Ratisb. 1871.

II. De praecipuis superstitionis speciebus.

Quae sunt 1. idololatria, 2. vana observantia, 3. divinatio, 4. magia et maleficium, et 5. mesmerismus, somnambulismus magneticus, et spiritismus.

§. 70.

De idololatria.

1. — *Idololatria est cultus divinus creaturae exhibitus,*[2]) sive sacrificio, quod soli Deo debetur, sive aliis honoris signis in se indifferentibus cum intentione tamen, creaturam sicuti Deum honorandi.

---

[1]) De Civitate Dei Lib. XVIII. cap. 18. n. 2.

[2]) S. Augustinus ait: „Idololatrae dicuntur, qui simulacris eam servitutem exhibent, quae Deo debetur.“ De Trinit. Lib. I. n. 13. S. Thomas: „Idololatria est, quando tribuitur honor creaturae, sicut Deo.“ 2. 2. q. 94. a. 1.

Idololatria est 1. *realis* vel *simulata.* Realis est a) quando quis cultum soli Deo debitum defert creaturae seu idolo, putans, illud esse Deum; talis idololatria conjuncta est cum infidelitate; — b) si quis divinum cultum exhibet creaturae ex pravo affectu, e. g. ex odio Dei, ex cupiditate aliquid a diabolo obtinendi, — et talis obtinet in pacto vel explicite vel implicite inito cum daemone. Idololatria in utroque casu est peccatum mortale, gravius tamen in 2do, quam in primo casu, ob voluntatis malitiam. [1])

Simulata est, qua quis externum cultum idolo defert, sine animo istud colendi, ut si quis metu mortis thus adoleret idolo. Haec quoque mortale peccatum est, quia est mendacium perniciosum, oppositum religioni et externae professioni fidei. [2])

2. *Formalis* vel *materialis,* prouti fit scienter et voluntarie, vel absque cognitione et consensu. Hinc materialis quoque esset idololatria, si quis falso putans, hostiam esse consecratam, eam adoraret.

Sit *casus: Oblitus quidam parochus consecrare hostiam publice exponendam in Ostensorio, ad impediendam populi admirationem, particulam consecratum affixit hostiae grandiori non consecratae, ac utramque exposuit in Ostensorio. Quaeritur: an licite hoc fecerit?*

Resp. Neg. Parochus enim sic agendo in idololatriae saltem materialis crimen populum induxit. Cum namque fideles grandiorem hostiam non esse consecretam ignoraverunt, eandem absque dubio adorarunt. Cum autem, ut per se perspicuum est, nequeat parochus sine gravi culpa idololatriae, etsi non formaliter talis, populo suo occasionem praebere, illicite eum gessisse dicendum est. [3]) Potuisset vero parochus ab angustia se liberare, exponendo ss. Eucharistiae Sacramentum in Ciborio occlusum.

2. — Idololatria gentilium est daemonum cultus, quia testante s. scriptura *omnes dii gentium daemonia* Ps. 95, 4. Quidquid enim gentes colebant, in idolis colebant; sub idolis autem delitescebant daemones, qui se colendos exhibuerunt hominibus, in illis dando responsa et faciendo talia, quae mirabilia videbantur hominibus. Ita ss. Patres et Doctores. [4]) Hinc Apostolus: *„Scimus,* inquit, *quia*

---

[1]) Laymann: Th. mor. Lib. IV. Tr. X. cap. 2. Voit: Th. m. P. I. n. 412. et alii.

[2]) S. Alphonsus: Lib. IV. n. 13. Sanchez: Lib. I. c. 37. n. 21. Reuter n. 431. et alii.

[3]) Casus Conscientiae de mandato Card. Prosperi Lambertini propositi ac resoluti Tom. I. pag. 280. 281. Nova Edit. Monasterii 1856.

[4]) S. Cyprianus dicit: *„Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus delitescunt:* hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, *oracula efficiunt*, falsa veris semper involvunt, nam et falluntur et fallunt, vitam turbant, somnos inquietant, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, ut ad cultum sui cogant etc."

nihil est idolum (i. e. nulla divinitas), *sed quae immolant gentes, daemoniis immolant* (quae in simulacris se exhibent colenda) *et non Deo; nolo vos socios fieri daemoniorum.* 1. Cor. 8, 4. 10, 20. Ex his jam vero oracula et alia plura, in quibus dilucidandis recentiores frustra desudant, facile explicantur. [1])

3. — Idololatria nostris temporibus novas induit formas inter ipsos quidem christianos. Idololatria est, Deo vero negato totum mundum, et praesertim humanitatem fingere numen divinum; quod proprium est Pantheismi v. Lib. I. §. 8. n. 4. Idololatria est, Deo vero universitatem continuam hominum, et cultui veri Dei adorationem virorum magnorum substituere; quod Positivismus facit v. Lib. I. §. 8. n. 6. Idololatria est, auctoritate et lege divina penitus rejecta rempublicam civilem absolute independentem, omnium legum et jurium originem ac fontem statuere, quod Liberalismus attentat v. ibid. n. 8., in cujus castris Hegel philosophus nudis verbis rempublicam dixit „realem et praesentem Deum" esse v. Lib. I. pag. 128. Nat. 2.

* Tertullianus: Liber de idololatria. S. Cyprianus; Liber de idolorum vanitate. Lactantius: Libri VII Institutionum divinarum adversus Gentes, Lib. 1—3. S. Augustinus: Libri XXII de Civitate Dei, Lib. 1—10. (ubi vanas gentilium opiniones de cultu deorum refellit) (Op. Tom. VII.). S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 94. — Suarez: De Religione P. I. Tract. III. Lib. II. de Superstitione cap. 3—6. Laymann: Theologia moralis Lib. IV. Tract. X. cap. 2. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 43. Dubit. 2. 3. et 4.

§. 71.

De vana observantia.

1. — Vana observantia est species superstitionis, qua ad obtinendum certum effectum applicantur media, nec ex natura sua, neque ex Dei vel Ecclesiae ordinatione ad eum finem idonea. [2])

De idolorum vanitate. Lactantius: Lib. II. institution. divinar. cap. 16. Eusebius: De praeparat. Evang. Lib. IV. cap. 6. S. Augustinus: Lib. VIII. de Civitate Dei cap. 24. n. 2. et alibi. S. Thomas: 2. 2. q. 94. a. 4. c.

[1]) Vid. Geschichte der Religion Jesu Christi, von Friedr. Leop. Grafen zu Stollberg 2. Theil. 3. Beilage S. 300—346. Wien 1817.

Idololatria originem traxit ex duplici causa, ex parte hominis, et ex parte daemonis. Ex parte hominis, qui cum creaturam nimis amaverit vel coluerit, eidem tandem honorem divinum impendit Sap. 13. Rom. 1.; ex parte vero daemonis, qui hominibus a via veritatis et justitiae aberrantibus se colendum exhibuit in idolis, dando responsa et patrando quaedam, quae hominibus videbantur mirabilia. Vide d. Thom.: 2. 2. q. 94. a. 4. Suarez: Lib. II. de Superstitione cap. 5.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. n. 14. Eusebius Amort: Theol. mor. Tract. III.

Vana observantia juxta diversitatem effectuum, qui intenduntur, dividitur 1) in artem notoriam, 2) in artem sanitatum, et 3) in observantiam effectuum.

Ars notoria est modus acquirendi rerum notitiam repente et sine labore, per media supra indicata, ut e. g. si quis velit furem detegere inspectione quarundam figurarum ineptarum, vel scientiam sibi comparare oratiunculis ab Ecclesia non adprobatis sine studio etc.

Ars sanitatum est modus pellendi morbos per media supra descripta, ut v. g. si quis velit febrem curare per verba ignota et signa plane inepta.

Observantia eventuum est modus, ex consideratione vel observantia alicujus eventus fortuiti conjiciendi futurum, ubi ergo eventus nec causa naturalis, neque signum a Deo traditum est ad praesagiendum futurum; ut v. c. si venator existimet, infaustam evasuram venationem ex eo, quod lepus transiliat per viam, vel anus ipsi occurrat.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Vana observantia, sive sit ars notoria, sive ars sanitatum, sive observantia eventuum, prorsus illicita est.* Ratio est: 1) quia honorem divinum creaturae tribuit, ab ea exspectando, quod a solo Deo exspectari debet; et 2) quia in pacto saltem implicito cum daemone nititur; cum namque rebus vanis nec Deus, neque Sancti vel Angeli boni se immisceant, effectus per hujusmodi res nonnisi a daemone exspectari potest. [1])

Ex iisdem rationibus vana observantia est peccatum grave ex toto genere suo; veniale autem fit ex imperfectione actus, et simplicitate, ignorantia, ut evenit praesertim inter rudes in observantia eventuum. [2])

3. — **Principium II.** Vana observantia praesertim cognoscitur 1) ex insufficientia causae adhibitae ad effectum producendum, si nimirum nec habeat naturalem vim ad effectum intentum, nec de supernaturali constet, 2) ex adjectione verae vel falsae circumstantiae, v. c. verborum apocryphorum, certae horae, characterum pere-

Sect. II. §. 5. et alii. Deducitur ex d. Thom. 2. 2. q. 96. a. 1. 2. et 3.

[1]) Vide s. Thom.; 2. 2. q. 96. a. 1. 2. et 3.

[2]) S. Alph. n. 15. cnm aliis communiter.

grinorum etc., et 3) ex infallibilitate, quae tribuitur mediis nullo modo infallibilibus. [1])

Hinc sane *superstitiosum* est: 1) gestare amuleta, ligaturas characteribus insolitis consignatas veluti media efficacia ad sananda vulnera, ad subitam mortem praecavendam, ad nocumenta quaecunque evadenda. [2]) Item 2) dies aliquos habere tamquam faustos, alios vero infaustos, ut e. g. diem Veneris, et actiones inde dirigere. 3) Superstitiosus est, qui recusaret cum tredecim in mensa sedere, quasi id mortis signum sit [3]) etc.

Non vero superstitiosum, imo valde laudandum et commendandum est 1) numismata pia, sacras imagines, venerandas Sanctorum reliquias etc. gestare ex devotione et cum fiducia, auxilium divinum impetrandi. [4]) Nec ullo modo 2) superstitiosum, imo valde pium et utile est, devotiones instituere novemdiales, et generatim preces peragere certo numero, qui divinis mysteriis est sacratus, modo non in ipso numero tota earum vis reponatur. [5]) Et 3) idem dicendum, si numerus usurpetur, quia ab Ecclesia est praescriptus ad indulgentias lucrandas, ad poenitentiam agendam, ad cultum religiosum rite et ordinate peragendum; unde jure meritoque in Bulla *Auctorem Fidei*, sub n. 64. „doctrina, quae velut superstitiosam universe notat *quamcunque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum,* tamquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur, non ex numero in se spectato, sed ex

[1]) Idem n. 16.

[2]) S. Alph. n. 17.

[3]) Opponi posset: Teste experientia aliqua tempora, vel loca, vel verba audita, vel occursus hominum sive animalium, et similia aliquod praesagium habent boni vel mali futuri. Sed reponit s. Thomas: „— *quoad a principio in istis observationibus aliquid veri homines experti sunt, hoc accidit casu. Sed postmodum, cum homines incipiunt suum animum hujusmodi observantiis implicare, multa secundum hujusmodi observationes eveniunt per deceptionem daemonum: ut in his observationibus homines implicati, curiosiores fiant, et se magis inserant multiplicibus laqueis perniciosi erroris, ut August. dicit secundo de doctrina Christiana* (c. 23.).“ 2. 2. q. 96. a. 3. ad 2.

[4]) S. Alph. n. 17. S. Thom. 2. 2. q. 96. a. 4.

[5]) Sic sacer est numerus *ternarius*, quia tres ss. Trinitatis personas refert, tres dies sepulturae Christi, tres annos praedicationis ejus. Sacer est numerus *quinarius* in honorem quinque vulnerum Salvatoris; numerus *septenarius*, quia in mentem revocat sex dies creationis et septimum, quo requievit Dominus, nec non septem dona Spiritus sancti, septem quoque Sacramenta. Sacer est numerus *novenarius* in honorem novem mensium, quibus Christus fuit in utero sanctissimae matris; item in gloriam ss. Trinitatis; *trigesimus*, qui refert triginta annos vitae absconditae Redemptoris nostri. Bouvier: Instit. Theol., de Decal. punct. 3. de vana observantia, Scavini: Tom. II. pag. 166.

praescripto Ecclesiae certum numerum precum vel externarum actionum praefinientis pro indulgentiis consequendis, pro implendis poenitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo," damnata est tamquam „falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiae auctoritati derogans, erronea."

4. — **Principium III.** In dubio autem, utrum aliquis effectus a causa naturali aut a diabolica operatione proveniat, praesumendum est, illum a causa naturali procedere, siquidem praesumptio semper stat pro eventu naturali, donec ratio solida aliud non persuadeat. Hinc licet hujusmodi effectum procurare, modo praemittatur protestatio nolendi effectum, si quaepiam vis diabolica subsit. Ita s. Alphonsus [1]) cum Doctore Angelico [2]) et aliis communiter.

Quando constat, effectum non posse a causa naturali provenire, dubiumque vertitur, utrum a Deo sit, an a diabolo, tribuendus est effectus daemoni, nisi vel operantis sanctitas, vel alia urgentissima indicia aliud persuadeant, quia temerarium esset arbitrari, tunc semper fieri miracula. Quare nemini licet in tali casu experiri, an effectus sit secuturus, neque cum protestatione contra diabolicam cooperationem, quia actu eam vult. Ita communiter. [3]) Eo minus illud licebit, ubi certum est, rem, quae adhibetur, vanam esse atque inutilem, siquidem protestatio aperte est contraria facto. [4])

5. — *An licet uti oratione, quae e sacris verbis componitur, ad morbos sanandos?* Licet, si a Deo petatur sanitas, quin credatur effectus infallibilis. — Non licet, si ei tribuatur infallibilis virtus; idque eo minus, si vana et falsa admisceantur, aut adhibeatur certus modus peculiaris scribendi, proferendi verba etc. [5]) In dubio, utrum in usu aliquorum signorum crucis vel orationum ad praedictum finem subsit aliqua superstitio, praemittenda est protestatio nolendi effectum, si aliqua superstitio interveniat. [6])

* S. Joannes Chrysostomus: Homilia XXI. ad populum Antiochenum. Homilia XII. in 1. Cor. 4. Homilia VIII. in ep. Coloss. 3. (contra amuletorum usum). S. Augustinus: Lib. II. de doctrina Christiana cap. 20—24. n. 30—37. (de quibusdam vanae observantiae modis). (Op. Tom. III.) S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 96. S. Alphonsus· Theologia moralis Lib. IV. n. 14—20.

[1]) Lib. IV. n. 20.
[2]) 2. 2. q. 60. a. 4. c.
[3]) S. Thomas: 2. 2. q. 96. a. 2. S. Alph. n. 20. Sanchez: De Decal. Lib. II. cap. 40. n. 2. Laymann: Lib. IV. Tr. 10. cap. 4. n. 6. et alii.
[4]) Laymann: Lib. IV. Tr. 10. c. 4. n. 6.
[5]) S. Alph. Th. m. Lib. IV. n. 1,
[6]) Idem n. 20.

§. 72.

De divinatione.

1. — Divinatio est inquisitio occultorum ope daemonis vel expresse vel tacite invocati. Dico: *ope daemonis;* nam praevident naturaliter solertissimi et rerum usu valde experti non pauca, quae alios latent, et moribundi absque illustratione divina quandoque praenoscunt et praedicunt futura aliis occulta, quia eorum mens per res exteriores minime perturbata et distracta, ad intra colligitur, ideoque causas naturales melius et exactius contemplatur. [1])

Divinatio per *expressam* daemonis invocationem multiplex est, nimirum 1. *Oraculum,* si daemon respondet per idola. [2]) — 2. *Praestigium,* quando diabolus praestigiosis apparitionibus (coll. §. 69.) homini se sistit ad docenda occulta. — 3. *Pythonismus,* quando spiritus malignus per hominem vivum a se arreptum (pythonicum, pythonissam) dat responsa. 5. Mos. 18, 11. 12. 1. Reg. 28, 7. 8. 2. Reg. 21, 6. Isai 8. 19. Act. Ap. 16, 16. 4. — 4. *Necromantia,* si daemon fingit suscitare mortuum, qui respondeat. Hac usa est pythonissa, petente Saulo, cum vellet sibi excitari Samuelem 1. Reg. 28. [3]) — 5) *Haruspicium,* si ex animalium visceribus et 6) *geomantia,* si ex signis in terra diabolus nititur homines docere occulta.

[1]) Vide Benedict. XIV.: De Servorum Dei Beatificatione etc. Lib. III. cap. 46. n. 4.

[2]) S. Cyprianus: „Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus delitescunt; hi afflatu suo vatum pectora inspirant, *oracula efficiunt,* falsa veris semper involvunt etc." De vanitate idolorum. S. Greg. Naz.: Orat. 3. n. 18. et alii. Benedict. XIV.: Op. c. cap. 46. n. 7., scribit: „Daemon, divinae gloriae aemulator, eamque studens imitari, petentibus responsa vel ex antris vel ex statuis dedit; quemadmodum pluribus ostendit Villalpandus Tom. I. p. 1. in Ezech. cap. 2. et p. 2. cap. 27. Tom. II. de extrema visione Ezechielis Lib. 1. c. 2. et Lib. 3. cap. 10., et Tom. III. de urbe ac templis Lib. 3. cap. 29. Iis porro responsis si aliquando internas hominum cogitationes revelavit, aut futura praedixit, quae evenerunt, id praestitit modis jam supra explicatis, et praecipue per scientiam conjecturalem. Ut plurimum daemonis oracula vel falsa vel ambigua fuerunt." Ceterum in gentilium oraculis passim fraudem sacerdotum intervenisse non negandum. Videri etiam potest *Perrone:* Praelect. theolog. de virtute religionis deque vitiis oppositis. Ratisbonae 1866. pag. 335—338.

[3]) *Certum est, mortuorum apparitiones esse possibiles, Deo volente:* a) quia et Angeli, licet spiritus sint, apparent, — et b) quia plurimas mortuorum apparitiones genuina historia refert. Sic s. Gregorius M. Lib. IV., Dialog. cap. 40. narrat exemplum de Paschasio diacono,

Per *tacitam* daemonis invocationem divinatio est 1. *Astrologia*, si ex situ motuque astrorum, 2. *Auspicium* et *Augurium*, si ex avium volatu vel garritu praedicuntur futura, quae a libera hominum voluntate pendent. Illicitum autem non est, effectus quosdam naturales, e. g. tempestatem, pluviam, coeli serenitatem ex aliquo cantu et volatu avium, aut siderum aspectu conjicere, quia inter haec naturalis connexio esse potest. — 3. *Physiognomia*, si ex vultu et corporis dispositione, 4. *Chiromantia*, si ex lineis manuum effectus liberi et casus fortuiti quasi infallibiliter judicentur. Ast indoles et status animi interdum ex colore vultus aliisve signis externis conjici potest, etsi in praxi melius consultiusque sit, ab hujusmodi conjecturis abstinere, ob judicii temerarii periculum.

2. — Quaeritur 1. *an liceat somniis fidem habere?*

Resp. Somniorum sunt tria genera. 1. Alia sunt *naturalia*, quae oriuntur ex causis naturalibus, e. g. ex humorum commotione, ex cogitationibus ante somnium habitis. Ex his conjicere statum corporis vel animae, cujus indicia esse possunt somnia, ut v. c. cor-

---

qui post mortem apparuit Germano episcopo Capuano, et alia exempla cap. 55. et 56. Varias apparitiones quoque refert s. Petrus Damiani: Opusc. 34. Hinc merito s. Augustinus: de cura pro mortuis: „*magnae impudentiae est, negare animas identidem e suis sedibus ad nos emitti, cum tot viri sapientes et Deo pleni idipsum ratione et experimento comprobent suo.*" Idipsum pluribus confirmat Benedictus XIV. op. c. Lib. IV. P. 1. n. 3. et 5—10. cap. 31.

Communiter autem docent, *daemonem non posse animas mortuorum evocare*, sive in purgatorio detentas, sive damnatas, cum nullam in illas animas habeat potestatem, sed addunt, *daemones posse simulare, se esse animas mortuorum*, ad homines misere decipiendos. Sic S. Joannes Chrysost.: Homil. 19. in Matth. S. Augustinus: Lib. X. de Civitate Dei cap. 11. S. Thomas: Summa Theol. 1. q. 117. a. 4. ad 2. Item Suarez: De Relig. Lib. II. de Superstit. cap. 16. n. 14. et alii.

An vero anima Samuelis vere apparuit, cum a pythonissa fuit evocata? Respondemus breviter cum d. Thoma; „*Dicendum, quod, sicut Augustinus dicit lib 2. ad Simplicianum* q. 3., *non est absurdum credere, aliqua dispensatione permissum fuisse, ut non dominante arte magica vel potentia, sed dispensatione occulta, quae Pythonissam et Saulem latebat* (nempe „*divina virtute*"), *se ostenderet spiritus justi aspectibus regis, divina eum sententia percussurus. Vel non vere spiritus Samuelis a requie sua excitatus est, sed aliquod phantasma et illusio imaginaria, diaboli machinationibus facta: quam scriptura Samuelem appellat, sicut solent imagines rerum nominibus appellari.*" 2. 2. q. 95. a. 4. ad 2. q. 174. a. 5. ad 4. De eodem argumento agit Benedictus XIV.: De Servorum Dei Beatif. etc. Lib. III. cap. 50. n. 3. Eandem rem pertractat Suarez: De Relig. Lib. II. de Superst. cap. 16. et latius adhuc eam prosequitur Calmet in Dissertat. *de Samuele per visum Sauli objecto*, et plura erudite collecta habentur apud Natalem Alexandrum in Histor. Eccles. V. T. Tom. II. Danko H. R. I. §. 72.

poris valetudinem, non est superstitiosum, ut patet. Sed superstitiosum foret, ex hujusmodi somniis conjicere futura, quae sunt libere contingentia. 2. Alia *a Deo immittuntur*, cum Deus ipse promiserit aliquando per somnia loqui: „*Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.*" 4. Mos. 12. 6. Cujusmodi somnia satis frequenter in s. scriptura commemorantur, ut Gen. 37, 5. 28. 12. Matth. 1. 20., 2. 12., 3. 19. Act. Ap. 16. 9. Somniis, quae sunt a Deo, non tantum potest, sed etiam debet fides adhiberi. [1]) 3. Alia *a diabolo excitantur*, quibus fidem praestare, est superstitiosum, cum sit societatem inire cum daemone.[2]) Hinc 3. Mos. 19. 26. dicitur: „*Non augurabimini, nec observabitis somnia.*"

Quaeritur 2. *An licitus sit usus sortium?*

Resp. 1. *Sortes divisoriae*, quae adhibentur ad bona dividenda, ad lites dirimendas, licitae sunt, quia omni prorsus superstitione vacant. Prohibitae tamen sunt quoad electiones Ecclesiasticas ex c. *Ecclesia* de sortil.

2. *Sortes consultoriae*, per quas indagatur divina voluntas, ut sciatur, quid agendum vel omittendum sit, non sunt licitae, nisi fiant Dei jussu vel impulsu Jos. 7. 14. 1. Reg. 10. 20. Act. Ap. 1. 26., aut agatur de re gravi, in qua aliud consilium desit. Ratio est, quia Deus non vult, ut sortibus indagetur sua voluntas, cum a superioribus Ecclesiae vel a viris prudentibus consilium peti possit.

3. *Sortes divinatoriae*, quibus rei occultae manifestatio inquiritur e. g. praescientia victoriae ex jactu taxillorum, sunt illicitae, quia tacitam saltem daemonis invocationem continent. Hujusmodi superstitio proprie *sortilegium* appellatur, quo nomine etiam alia superstitionis genera vulgo veniunt. [3])

---

[1]) Ceterum rarissima sunt somnia divina, quae futura portendant, cum nonnisi ob aliquam insignem causam, quae ad publicam spectet utilitatem, immitti soleant. Ita Benedictus XIV. cum aliis in op. saepe cit. De Servorum Dei Beatif. etc. Lib. III. cap. 51. n. 2.

[2]) Ad cognoscendum, utrum somnium sit a Deo an a diabolo, duo sequentia juvat observare: 1. an somnium impellat ad opus bonum, et 2. an post somnium homo se sentiat alacriorem et promptiorem ad opera pietatis. Quodsi ita sit, prudenter judicari potest, somnium esse a Deo. In dubio autem praestat, somnium ut diabolicum vel naturale respuere, quia Deus cum immittit somnia, simul etiam reddit hominem certum, quod ab ipso sunt immissa. „*Multos errare fecerunt, somnia, et exciderunt sperantes in illis.*" Eccl. 5. 6. S. Alph. n. 9. Fuse Delrio: disquis. magic. Lib. IV. c. 1. et 3. Prae omnibus autem hac de materia legi meretur Benedictus XIV. in op. c. Lib. III. cap. 51. n. 2. et 6.

[3]) S. Alph. n. 11.

Quaeritur 3. *An licitus sit usus virgae divinatoriae?*

Resp. 1. Certe ut diabolicus est damnandus, si virga movetur vel non movetur ad meram intentionem ejus, qui eam in manu tenet, ut *e. g.* si quis lapidem pro limite agri constitutum quaerit, virga movetur, cum ad istum lapidem venerit, non vero, si ad alium lapidem venerit; siquidem intentio sola nihil confert ad motum virgae, atque virga, si physice et naturaliter volveretur, ad omnes res ejusdem naturae aequaliter moveretur. [1])

2. Non autem videri certo damnandum usum hujus virgae, plures recentiores [2]) dicunt, ad detegendas aquas vel metalla, si virga super haec in omni casu moveatur, sive quaerantur, sive non quaerantur, modo fiat protestatio contra diabolicam operationem, quae forte adesse potest, quia, ut dicunt, aliquando naturaliter inservire potest ad hujusmodi res detegendas, nempe vi attractionis, ut patet de magnete. Ast Görres [3]) refert exempla personarum, in quarum manibus virga ad aquas vel metalla invenienda adhibita non amplius movebatur, postquam operationi daemoniacae renuntiaverant. Praeterea attractio illa magneti similis gratis praesupponi videtur. [4]) Quapropter sentiendum cum s. Alphonso, qui absolute reprobat usum hujus virgae.

3. — Daemonibus tribuendum est, quidquid occulti cognoscitur alio modo, quam per revelationem divinam aut per media naturalia, non enim datur aliud medium res occultas cognoscendi. — In dubio autem, utrum cognitio ex mediis naturalibus proveniat vel non, aut a bono aut a malo spiritu, applicandae sunt regulae supra §. 71. de vana observantia traditae. [5])

4. — Divinatio expressa numquam a mortali peccato excusari potest, ne quidem per ignorantiam, quia patet omnibus, pactum cum daemone esse maxime horrendum. In lege veteri supplicium mortis

[1]) S. Alph. n. 4. — Exempla refert le Brun: Histoire critique des pratiques superstitieuses qui ont séduit les peuples. Paris 1732. Alexander Natalis: T. II. epist. 56. Görres: Die christl. Mystik. III. B. S. 213. u. f.

[2]) Quibus accedunt Scavini: Th. mor. Tom. II. Tract. V. Disp. 3. c. 1. a. 1. q. 7. Gury n. 270.

[3]) Christl. Mystik. III. B. S. 217. 219.

[4]) Antiquis jam nota fuit divinatoria virga e corylo vel salice secta, terrae infixa. Ad quam partem flectebatur, illuc ivit Nabuchodonosor sc. versus Jerusalem. Memorat eam s. Cyrillus Alexandr. in commentariis, s. Augustinus: Lib. II. de doctr. Christ. c. 20. 23. —24. — Osee 4. 12. ait Dominus: *„Populus in ligno suo interrogavit, et baculus ejus respondit ei.“*

[5]) S. Alph.: Lib. IV. n. 20.

erat statutum pro hoc crimine. Lev. 20. 6. Divinatio tacita aliquando a mortali excusari potest ob simplicitatem vel ignorantiam etc. [1])

Non vacat culpa gravi, qui utens mediis aperte improportionatis ad aliquid occultum cognoscendum protestatur, se nullum cum daemone commercium intendere, quia contra suam protestationem agit, et daemonem implicite invocat. [2])

* S. Augustinus: De divinatione daemonum. (Op. Tom. VI.). S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 95. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 5—11. Martinus del Rio (Delrio): Lib. VI. Disquisitionum magicarum, Lib. IV. cap. 2. praesertim q. 6. et 7. Sect. 1. et 2., cap. 3. q. 2. 3. 4. et 5. Suarez: De Religione Lib. II. de Superstitione cap. 7—13. Jac. Sprenger: Malleus maleficarum, vol. III. Lugd. 1669. Laymann: Theologia moralis Lib. IV. Tract. X. cap. 3. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 43. tot.

§. 73.

De magia et maleficio.

1. — I. *Magia* sensu latiori accepta seu *naturalis* est ars operandi mira per causas naturales, sed occultas v. c. per operationes chemicas, opticas etc. Haec per se licita est, ut patet.

Magia sensu strictiori sumpta seu *superstitiosa* est ars mira opera producendi ope daemonis vel explicite vel implicite invocati. Haec est graviter peccaminosa, et suspicionem haereseos ingerit. Eam exercuerunt magi Pharaonis Exod. 7. et 8., Simon Magus, Pseudoprophetae. [3])

2. — II. *Maleficium* est ars nocendi daemonis cooperatione, per schedulas, ligaturas, herbas etc., quibus diabolicum pactum adnexum est. Duplex est: amatorium et veneficum. Maleficium *amatorium* seu *philtrum* est ars diabolica, qua vehemens libido vel odium in uno erga alium vel aliud excitatur, quin tamen libertas tollatur. [4]) Maleficium *veneficum* est ars diabolica nocendi proximo inflictione malorum e. g. morborum.

Maleficium etiam vocari solet *sortilegium,* ex eo, quod per illud sors mala injiciatur iis, contra quos operatione diabolica vindicta exercetur.

[1]) Idem n. 7. et 15.

[2]) Idem n. 8.

[3]) S. Augustinus dicit: *„omnia miracula magorum, doctrinis fiunt, et operibus daemonum.“* Lib. VIII. de Civit. Dei cap. 19. Lactantius: Lib. II. divin. instit. cap. 14. 16. 17. Eusebius: Lib. V. de praeparat. Evang. cap. 7.

[4]) Vide exempla penes Görres: Die christl. Mystik. IV. B. S. 448. u. f.

An autem potest aliquis naturaliter aspectu suo aliis nocere? Audiamus d. Thomam sic loquentem: „— *cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maxime in vetulis contingit, efficitur — — aspectus ejus venenosus et noxius, maxime pueris, qui habent corpus tenerum, et de facili receptivum impressionis; possibile est etiam, quod ex Dei permissione, vel etiam ex aliquo pacto occulto cooperetur ad hoc malignitas daemonum, cum quibus vetulae sortilegae aliquod foedus habent.*" [1])

Maleficium continet duplicem malitiam mortalem, quia et Deo gravem injuriam, et proximo grave damnum infert. In veteri Testamento malefici morte plectebantur: „*Maleficos non patieris vivere*" Exod. 22. 18.

Maleficium tollitur oratione, exorcismo, Sacramentis, destructione signi, cui diabolicum pactum adnexum est. Non autem licet illud tollere alio maleficio, cum hoc sit intrinsece malum. [2])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 23—28. — Martinus Delrio: Libri VI Disquisit. magic., Lib. 3. et 4. Moguntiae 1603. Suarez: De Religione, Lib. II. de Superstitione cap. 14—19. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 44. Laymann: Theologia moralis Lib. IV. Tr. X. cap. 4. Sprenger: Malleus maleficarum. Lugd. 1669. Historiam magiae et maleficii eruditissime texuit Görres: Die christliche Mystik. Regensburg 1842. 4. Band, 9. Buch.

§. 74.

De mesmerismo et somnambulismo magnetico.

1. — Antonius Mesmer, anno 1733. Itznangi in Germania natus, artis medicae studia Vindobonae absolvit, et postmodum facultatis medicae Vindobonensis membrum factus, anno 1773. artis novae morbis medendi experimenta coepit per sic dictum magnetismum animalem. Supposuit enim, unicuique corpori inesse quoddam fluidum, haud dissimile fluido magnetico (unde nomen ab ipso inventum Magnetismi animalis), illudque fluidum e corpore unius hominis in corpus alterius transmitti posse per media idonea ad morbos sanandos.

Media, quae Mesmer adhibuit, ad fluidum istud excitandum et communicandum aegrotis, initio erant diversi apparatus magnetici, postea autem hisce missis solae corporis attrectationes, ut ductus manus a capite patientis usque ad extremitates ejusdem manus vel

[1]) 1. q. 117. a. 3. ad 2. Videbis exempla in opere a Görres exarato: Die christl. Mystik. III. B. S. 288. u. f.

[2]) S. Alph. n. 24. et 25.

pedis, vel sola quaedam corporis adumbratio, imo tantum fixus patientis intuitus sine gestibus, solius etiam voluntatis nutus. [1])

Sic igitur egit ad effectus magneticos producendos tum Vindobonae, tum Parisiis, quo se contulit anno 1778. atque methodum vimque singularis artis suae scriptis quoque editis explicavit atque commendavit. [2]) Nec paucos nactus est sequaces; obiit 1815. Meersburgi.

Jamvero effectus sic dicti magnetismi animalis sunt sequentes: 1. tremor et convulsio, contractio membrorum, 2. somnus magneticus, in eo consistens, quod magnetizatus sensuum usu destituitur (quod vocant insensibilitatem, quae non habetur in somno naturali et communi), atque immobilis redditur aut totus aut quoad unum vel plura membra; 3. morborum sanatio, quorum innumeri perhibentur ope magnetismi depulsi, [3]) verum etiam morborum incrementa, melancholia, dementia, aliaque gravia mala, imo et subita mors. [4])

[1]) Hufeland: Macrobiotik I. de illo medico scribit: „Ein bankerott gewordener und verachteter, aber schwärmerischer und wahrscheinlich nicht sowohl von unsichtbaren Kräften, als von unsichtbaren Obern geleiteter Arzt, Mesmer, fiel auf den Gedanken, künstliche Magnete zu machen, und diese als souveräne Mittel gegen eine Menge Krankheiten, Lähmung, Gichtflüsse, Zahnweh, Kopfweh u. dgl. zu verkaufen. Da er merkte, dass dies glückte, so ging er weiter und versicherte, dass er nun gar keine künstlichen Magnete mehr nöthig habe, sondern dass er selbst der grosse Magnet sei, der die Welt magnetisiren sollte. Seine eigene Person war so mit magnetischer Kraft angefüllt, dass er durch Berührung, durch Ausstreckung seines Fingers, ja durch blosses Anschauen dieselbe anderen mittheilen zu können versicherte. Er führte wirklich Beispiele von Personen an, die durch Berührung von ihm, ja durch blosse Blicke versicherten, Empfindungen bekommen zu haben, als wenn man sie mit einem Stocke oder mit einem Eisen geschlagen hätte. Diese sonderbare Kraft nannte er nun *animalischen Magnetismus*, und vereinigte unter dieser seltsamen Benennung alles, was der Menschheit am meisten am Herzen liegt, Weisheit, Leben und Gesundheit, die er dadurch nach Belieben mittheilen und verbreiten konnte." Porro Mesmer ipse in op. Mémoire sur la découverte du magnét animal, Paris 1779. inter alia scribit: „*Le magnétisme est un fluide universellement répandu, qu'il y a influence mutuelle entre les corps célestes, la terre et les corps animés. Ce fluide ne laisse aucun vide, il est d'une subtilité incomparable, son action s'étend au loin sans le concours d'aucun corps. Par le magnétisme on connait l'état de santé d'une personne, on juge avec certitude l'origine, la nature et les progrès des maladies les plus compliquées; ce qui vaut encore mieux, on les guérit.*" Penes Perrone: Prael. theol. de virtute Relig. 1866. Ratisb. p. 167.

[2]) Haec sunt: „Sendschreiben an einen auswärtigen Arzt über die Magnetcur." Wien 1775. „Mémoire sur la découverte du magnétisme animal." Paris 1779.

[3]) Mesmer ipse gloriatus est, per magnetismum vocabulum „insanabile" e catalogo morborum esse penitus eliminatum.

[4]) Vid. Der animalische Magnetismus

2. — Alia operatio magnetica in eo consistit, quod fluidum sic dictum magneticum transmittitur in objectum quodcunque inanimatum, e. g. lignum, metallum, aquam, annulum, strophium, quae virtutem acquirunt magnetizandi effectusque plane singulares exinde obtinendi. Referunt, plantas intermortuas per vim magneticam eis communicatam reviviscere, per illam arbores fructus producere maturos, animalia bruta per eandem sanari, mansuefieri aliaque ejusmodi mira effici. [1])

3. — Evolutio quaedam magnetismi animalis est sic dictus *Somnambulismus magneticus,* qui plerumque conjunctus est cum somno magnetico, de quo supra n. 1. diximus. [2]) Vocatur etiam Somnambulismus *artificialis,* quia a magnetizatore per unum ex recensitis mediis, e. g. per tactum, vel solum intuitum, vel solam voluntatem excitatur, et totus quantus differt a *Somnambulismo naturali,* cum quo plane nihil commune habet, nec proprie nomen Somnambulismi meretur, cum somnambuli magnetici nequaquam ambulare soleant.

Jam vero somnambulismi magnetici naturam quod attinet, *ex una parte* tam altus est sensuum sopor, ut homo in illo constitutus nihil percipiat de his, quae circa ipsum fiunt, et nec maximus fragor ad ejus aures, neque ferri vel ignis ulla vehementia eum suscitare valeat; atque cum nemine communicet nisi cum proprio ma-

---

in seinem Verhältnisse zu den Wundern des Christenthums. Nach einer Reihe von Artikeln der Civiltà cattolica. Regensburg 1853. S. 15—21.

[1]) Perrone: De virtute Religionis Ratisb. 1866. pag. 167.

Quidam Mesmeri discipulus laudes magnetismi animalis his verbis (quae leguntur penes Hufeland: Macrobiotik I. p. 23.) praedicare non erubuit: „Sehet eine Entdeckung, die dem Menschengeschlechte unschätzbare Vortheile und ihrem Erfinder ewigen Ruhm bringen wird. Sehet eine allgemeine Revolution! Andere Menschen werden die Erde bewohnen; sie werden durch keine Schwachheiten in ihrer Laufbahn aufgehalten werden, und unsere Uebel nur aus der Erzählung kennen! Die Mütter werden weniger von den Gefahren der Schwangerschaft und den Schmerzen der Geburt leiden, werden starke Kinder zur Welt bringen, die die Thätigkeit, Energie und Anmuth der Urwelt erhalten werden. Thiere und Pflanzen, gleich empfänglich für die magnetische Kraft, werden frei von Krankheiten sein; die Heerden werden sich leichter vermehren, die Gewächse in unseren Gärten werden mehr Kräfte haben und die Bäume schönere Früchte geben; der menschliche Geist, im Besitze dieses Wesens, wird vielleicht der Natur noch wunderbare Wirkungen gebieten. — Wer kann wissen, wie weit sich sein Einfluss erstrecken wird?“

[2]) Somnambulismus ille nonnisi per accidens, experientia teste, a somno magnetico disjungitur, dicit Ballerini. — Non desunt, qui contendant, Mesmero jam perspectum fuisse somnambulismum arte excitatum ad morborum curationem. Perrone: Prael. theol. de virtute Relig. pag. 188.

gnetizante, cui consensum dedit (consensus semper necessarius esse dicitur), ab hujus nempe voluntate pendet, quacumque ratione ipsi manifestata sit. [1])

Ex altera parte somnambulismus est mirus facultatum naturalium usus. Videlicet haec reperiuntur ejusdem phoenomena prorsus singularia:

1. *Clara intuitio sensualis* rerum praesentium occultarum nec non longe distantium. Persona etenim magnetizata perfecte videt res oculis clausis quamvis corpora opaca sint interposita, et legit epistolas sigillo obsignatas, atque in aliena pera delitescentes, vel capiti vel ventri suo imposit as. Etiam ex hac regione ejus verba egredi videntur. Conspicit quoque objecta in magna distantia posita, perinde ac si praesentia forent, et exacte referre valet, quae alicubi fiunt. [2])

2. *Clara intuitio intellectualis rerum occultarum,* nec non *peritia multorum, in statu vigiliae penitus ignotorum.* Videlicet persona magnetizata percipit jussa mentalia magnetizatoris, internoscit cogitationes adstantium. [3]) — Prodit nonnumquam, licet rudis, cognitionem veritatum sublimiorum, effutit tamen non raro asserta contra aliquos fidei articulos, eos praesertim, qui aeternam reproborum poenam, Ecclesiae catholicae veritatem, Christi divinitatem respiciunt. [4]) Res anatomicas accuratissime enuntiat propriis terminis, quasi artis medicae peritiam sibi comparasset; naturam, sedem, causam morbi, quo forte laborat, nec non remedia ad valetudinem recuperandam indigitat. Porro ubi persona magnetizata de alia persona, quae adest, consulitur, relationem seu communicationem inter utramque magnetizator instituit per contactum; cum vero abest, communicatio fit per concinnum vel strophium vel quid simile absentis corpori magnetizatae admotum; quo deinde fit, ut magnetizata indicet statum physicum ac moralem infirmi, de quo agitur, ac remedia praescribat. Legendi nescia, in hoc statu accurate legere scit, absque oculorum usu; atque idiomatibus loquitur prius ignoratis. Praenuntiat eventus futuros. [5])

---

[1]) Haec habentur in Postulato episcopi Lausanensis et Genevensis die 19. Maji 1841. ad s. Poenitentiariam, et confirmantur a Bertrand: Traité du somnambulisme etc. Paris 1825. et aliis apud Perrone.

[2]) In eodem Postulato. Illa pariter testantur plures scriptores, quos videre licet apud Perrone op. cit. pag. 171

[3]) V. Perrone: pag. 172.

[4]) Idem pag. 243.

[5]) Haec referuntur in Postulato epi-

3. *Amor vesanus,* quo magnetizata persona in magnetizatorem rapitur, conjunctus cum effraeni ad venerea propensione et motibus turpissimis. Nec desunt alii affectus pessimi, uti inclinatio ad blasphemias, ad suicidium etc. [1])

4. *Extasis magnetica,* quae est perfectio somnambulismi, in qua audiuntur concentus extraordinarii, conspiciuntur species Angelorum, B. Virginis, infantis Jesu, porro species defunctorum et aliorum. Cum extasi quandoque *raptus* est conjunctus. [2])

Notandum postremo venit, quod persona magnetizata hoc statu educta vel ad jussum magnetizatoris etiam internum vel quasi sponte sua ipso temporis puncto a se praenuntiato, nihil omnino de rebus in paroxysmo peractis et dictis sibi conscire videtur. [3])

4. — Veritas historica phaenomenorum, quae recensuimus, negari nullatenus potest. Multis eam Perrone [4]) probat ex nulla mentiendi utilitate eorum, qui facta ista testantur, ex auctoritate et consensu testium, ex notitia phaenomenorum ubique divulgata, ex publicis documentis, nec non ex indirecto testimonio Sedis Apostolicae, quae in Rescriptis hac de re datis constanter existentiam eorundem phaenomenorum uti certam supponit.

5. — Jam vero quaestio gravissimi ponderis exoritur, quaenam illorum phaenomenorum sit causa. In tres partes magnetismi fautores distrahuntur. *Alii* enim ad causam mere physicam confugiunt. *Alii* causam omnem effectuum magneticorum in sola voluntate magnetizantis collocant. *Alii* denique autumnant, hujusmodi causam esse spiritus quosdam, cum quibus magnetizans commercium init. Ut igitur definiamus, quid de re disputata nobis judicandum videatur, haec sit

---

scopi Lausanensis et Genevensis die 19. Maji 1841. ad s. Poenitentiariam, praeterea a Bullanger in op. Le magnétisme pag. 94. et sq. et aliis apud Perrone pag. 172. 173.

[1])Uti cum aliis referunt Debreyne: Essai sur la Théolog. moral. pag. 234., J. Comes de Mailath: Der animalische Magnetismus als Heilkraft, nach den Grundsätzen der neuen Schule. Regensburg 1852, et certa tradit fama. Etiam consuli potest opus: Der animalische Magnetismus in seinem Verhältnisse zu den Wundern des Christenthums. Regensb. 1853. S. 21. u. f.

[2]) De his rebus plures scribunt auctores commemorati a Perrone op. cit. pag 173.

[3]) Quae habentur in Postulato episcopi Lausanensis superius adducto.

[4]) Praelect. Theolog. de virtute Religionis pag. 174—187.

PROPOSITIO.

Magnetismi animalis usus, prouti fieri solet, praedictis eventibus insignitus, opus superstitionis est diabolicum, a Sede Apostolica jure meritoque prohibitus.

6. — I. Magnetismi animalis usum, prouti fieri solet esse opus superstitionis diabolicum, huic argumentationi subnixi inferimus: Causa istorum phaenomenorum non est fluidum magneticum nuncupatum, neque magnetizator, sed spiritus distinctus ab anima et sublimior animâ humanâ, qui porro esse nequit spiritus bonus, sed tantum spiritus malus seu daemon. [1]) Singula probanda sunt.

Dico 1. Causa phaenomenorum, quae supra retulimus, non est *fluidum magneticum* nuncupatum. Etenim a) testibus medicis et physiologis non paucis ejus existentia valde problematica est; b) certe illius natura plane obscura est, siquidem fluidum, de quo quaeritur, alii dicunt esse *electricum,* alii *nerveum,* alii *Od,* alii *Spirod;* c) demum, quodcunque fluidum admittatur, nemo negaverit, ipsum esse materiale, quod omnino impar est producendis effectibus psychologicis ac spiritualibus.

Dico 2. Causa phaenomenorum magnetismi, praesertim somnambulismi esse nequit magnetizator per se et immediate; et quidem a) non potest illos effectus producere transmissione suarum cogitationum in magnetizatum, quia haec fieri nequit nisi per signa exteriora; nihil enimvero in animam intrat nisi per sensus; atqui magnetizans valet sine signorum usu effectus illos producere, ut ostendimus. b) Neque sola sua voluntate illos producere potest; de solo Deo affirmatur: »*Dixit, et facta sunt;* porro tales quandoque procreantur effectus, quos magnetizator ipse ignorat; praeterea interdum nullus effectus producitur, aut diversus et oppositus volito; denique effectus excedit quoque voluntatem magnetizantis.

Dico 3. Causa proxima istorum phaenomenorum est spiritus interpositus inter magnetizantem et magnetizandum, qui voluntatem magnetizantis ex quibusdam signis, quae homines latent, percipit, et eidem obedit majori vel minori fidelitate, et propria virtute in magnetizato producit mira illa phaenomena, quae magnetica appellantur.

Dico 4. Spiritus iste sublimior est, quam anima humana, quia

---

[1]) Perrone: Praelect. theolog. de virtute religionis 1866. pag. 188—250., cui praecessit Monticelli: Sulla causa dei fenomeni mesmerici. Bergamo 1856.

effectus certe superant facultatem humanae naturae; neque magnetologi ipsi, vel saltem nonnulli eorum, id diffitentur, dum causam phaenomenorum passim dicunt *quemdam spiritum extraneum, homini praestantiorem,* et ab homine distinctum, vel *magnam quandam potentiam.* [1])

Dico 5. Talis spiritus nequit esse spiritus bonus seu angelus, siquidem maxime absurdum impiumque non minus sit, cogitare, angelos nugis istis cooperari, excitare contractiones, insensibilitatem, commovere affectus inhonestos, communicare claram occultorum intuitionem ad satisfaciendum curiositati improborum, doctrinas impias inspirare etc.

Dico 6. Causa phaenomenorum, quae dicuntur magnetica, non est nisi spiritus malus seu diabolus. Sequitur ex praecedentibus, et imprimis confirmatur ex effectibus supra expositis, qui plane congruunt indoli daemonis. — Eum autem non impotem existere illa efficiendi, colligitur ex illis, quae de ejusdem cognitione et potentia superius sunt pertractata §. 69.

7. — Superstitio illa, de qua agimus, componitur ex magia, divinatione et maleficio, ut unicuique eam examinanti patescit.

Nec nova est, quia imo quoad rem absque dubio apud antiquissimos jam populos reperitur. Et quidem 1. certe *somnus,* in praesentiarum *magneticus* appellatus, ad remedia morborum cognoscenda, jam consuetus erat gentilibus. Infirmi enim in fano Aesculapii dormire solebant, ut ab eo in somnis admonerentur de idoneis remediis ad morbos curandos, ut Livius, Celsus, Strabo aliique testantur. [2]) 2. *Somnambulismus artificialis* modo dictus non ignotus fuit veteribus. Testis est Plautus, [3]) qui in Amphitruone introducit Mercurium comminantem, se quempiam in somnum inducturum contrectatione manuum: „*Quid, si ego illum tractim tangam, ut dormiat?*“ 3. Quemadmodum in antiquitate ethnica spiritus maligni per pythones, pythonissas, sibyllas etc. ita nunc temporis per sic dictos magnetizatos (veluti „*medios*“) exercent suas artes, impietatem suam evomunt. 4. *Clara intuitio* omni tempore obtinuit, et antiquitus quidem per aliquem lapidem, crystallum et similia, quorum ope, perinde ac ope speculi, distantia et futura cernebantur. Julianus imperator,

[1]) Vide Perrone op. cit. pag. 229.

[2]) Penes Perrone: Praelect. theolog. de virtute Religionis pag. 357. et 358.

[3]) Citatus a Perrone: in op. praelaudato pag. 360.

testante Spartiano, ejusmodi medium usurpavit. [1]) Plura ejusmodi exempla ex quavis aetate congessit clariss. Görres. [2]) 5. Nec ulla aetate deerat *extasis daemonica,* ut colligitur ex exemplis, quae P. M. Benedictus XIV., [3]) et praeter alios Görres [4]) referunt.

Quae diximus, adprime confirmantur confessione antesignanorum magnetismi, quorum unus, et omnium quidem princeps, *Dupotet* haec scribit: „*Magnetismus est magia. — — Quid est somnus somnambulicus? Effectus potentiae magicae. Quid est magnetizatio in distantia per cogitationem ac sine corporeis relationibus, nisi actio adhuc exercitata a maleficis? Si quidem sciendum est, effectus aeque super bruta animalia ac super homines produci. Ecquis determinat ejusmodi attractiones, spontaneas propensiones, furores, antipathias, crises, convulsiones, — — nisi idem principium adhibitum agens certe cognitum ab hominibus praeteriti temporis? Omnes praecipui characteres magiae, — inveniuntur scripti in phaenomenis, quae actu producuntur. Quod vos vocatis fluidum nerveum, magneticum, extasin, veteres appellabant potentiam animae occultam, suggestionem, maleficium.*“ [5])

8. — II. Magnetismi animalis usum, qualis exerceri consuevit, ab Apostolica Sede merito esse damnatum ac prohibitum, exinde jam sufficienter evincitur, quia, ut probavimus, opus superstitionis est multiplex, quod daemonum interventu peragitur.

9. — Sequentia autem a Sede Apostolica desuper edita sunt Decreta: 1. Responsum Congregationis S. Officii die 25. Junii 1840. 2. Responsum Congregationis S. Officii die 21. Aprilis 1841. 3. Responsio S. Poenitentiariae ad episcopum Lausanensem die 1. Julii 1841. 4. Epistola encylica S. Romanae Inquisitionis ad omnes episcopos adversus magnetismi abusum die 4. Augusti 1856.

Epistola haec, quae ceteras S. Sedis responsiones innuit, est tenoris sequentis:

Feria IV., die 30. Julii 1856.

In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita in conventu S. M. supra Minervam, Em. ac Rev. D. D. Cardinales in tota Republica

[1]) Vide eundem op. cit. pag. 360., ubi et alia exempla commemorantur.

[2]) Christl. Mystik. III. Band, 6. Buch. S. 301. u. f. VII. Buch. S. 598—615.

[3]) De Servorum Dei Beatificatione etc. Lib. III. cap. 49. n. 6.

[4]) Op. cit. III. Band, B. 6. S. 70—130.

[5]) Penes Perrone op. cit. p. 363. 364.

christiana adversus haereticam pravitatem Generales Inquisitores, mature perpensis iis, quae circa *magnetismi* experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt, edi praesentes literas encyclicas ad omnes Episcopos *ad magnetismi abusus compescendos.*

Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phaenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati, posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte vel praestigio, praesertim ope muliercularum, quae unice a magnetizatoris nutu pendent.

Nonnullae jam hac de re a S. Sede datae sunt responsiones ad peculiares casus, quibus reprobantur tanquam illicita illa experimenta, quae ad finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum ordinantur; unde in similibus casibus decretum est feria IV. 21. Apr. 1841: *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.* Similiter quosdam libros ejusmodi errores pervicaciter disseminantes prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia praeter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulae sic statutum fuit feria IV. 28. Julii 1847: *Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis.*

Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu *magnetismi*, tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiae, potius curiosa sectantes magna cum animarum jactura ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc somnambulismi et clarae intuitionis, uti vocant, praestigiis mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In hisce omnibus, quacunque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis, et scandalum contra honestatem morum.

Igitur ad tantum nefas, et religioni et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia ac zelus Episcoporum omnium. Quapropter quantum divina adjutrice gratia poterunt locorum Ordinarii, qua paternae caritatis monitis, qua severis, objurgationibus, qua demum juris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum, temporumque adjunctis expedire in Domino judicaverint, omnem impendant operam ad hujusmodi magnetismi abusus reprimendos, et avellendos, ut Dominicus grex defendatur ab inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur et fideles sibi crediti a morum corruptione praeserventur.

Datum Romae in cancellaria S. Officii apud Vaticanum, die 4. Augusti 1856.

V. Card. Macchi.

10. — Ex S. Sedis Decretis. 1. deprehendimus, magnetismum, prouti vulgo exercetur, inprimis conjunctum cum somnambulismo, esse illum *magnetismi abusum*, quem Sedes Apostolica respicit, et illicitum et omittendum esse declarat.

2. Deprehendimus, magnetismum animalem *in abstracto* spectatum, quatenus est merus actus adhibendi media physica aliunde licita et proportionata ad effectus mere physicos et connaturales producendos, secluso omni superstitionis periculo, non quidem esse moraliter prohibitum, at vero magnetismum *in concreto* seu prout vulgo usurpari solet, spectatum veluti medium ad effectus praeternaturales obtinendos, e. g. ad occulta detegenda, esse omnino illicitum penitusque vitandum. [1])

Scite observat clariss. Perronne: „Prudentissime Apostolica Sedes *in hypothesi mere possibili* de existentia et usu fluidi magnetici naturalis, per quod naturales effectus producantur, abstinuit a proscribendo generatim ac indiscriminatim mesmerismi usu. Siquidem cum novae semper detegantur ope physices et chemicae proprietates salutares et utiles, ne scientiae noceret progressui, noluit mesmerismum in se damnare. Verum *in concreto* et *in realitate* non ita se res habet. Satis enim est percurrere multiplicia ejus phaenomena, et modum ea obtinendi in omnibus suis adjunctis, ut quisque intelligat, agi de re superstitiosa, et quandoque, imo plerumque, immorali. Quo sensu numquam profecto sive Poenitentiaria sive Congregatio S. Officii probarunt, sed potius improbarunt magnetismum.“ [2])

* Joannes Perrone: Praelectiones theologicae de virtute Religionis P. II. Sect. II. cap. 1—4. pag. 156—267. Ratisbonae 1866.

§. 75.

De Spiritismo.

1. — Spiritismi nomen deductum est a spirituum manifestatione per „*media*“ diversa, quae invadunt et regunt ad responsa interrogantibus danda.

Spiritismus a mesmerismo, veluti proles a suo parente, procreatus est, id quod ipsi magnetologi et spiritistae aperte fatentur. Etenim in non paucis experimentis magneticis jam indicia spiritismi inveniebantur. Praeterea clara intuitio, praevisio etc., quae sunt phaenomena somnambulismi magnetici, deprehenduntur quoque in personis intermediis, quae quippe sub dominatione spirituum denunciant obstrusa, absentia et futura. Accidentaliter tantum spiritismus

[1]) Perrone op. c. pag. 254. et sq. [2]) pag. 257.

differt a somnambulismo, scilicet quatenus phaenomena somnambulismi sunt in homine, pneumatismi vero sunt extra hominem, et quatenus modi et gradus operationum discriminantur. [1])

2. — Apertum et distinctum spiritismi insigne primitus reperitur in tabulis rotantibus. Et primus quidem casus mensarum rotantium deprehensus traditur in statibus foederatis Americae saeculo currente, occasione quidem, qua tres pueri ludentes manibus cuidam mensae superpositis, eam movere et rotare fecerunt licet onustam. Mox autem tabulae diversis signis responsa interrogantibus dare visae sunt. Postmodum mensae vel tripodes per calamum uni pedum adaptatum in subjecto papyro responsa scripserunt. Ab anno 1832. longe lateque ejusmodi experimentorum fama per Americam diffusa est, nec multo post universam ferme Europam pervasit.

Deinceps adhibitae sunt, rursus in America primum, personae tamquam *„medium“* inter spiritus et eos, qui cum spiritibus communicare volebant ad responsiones accipiendas. Ex America eadem agendi ratio jam anno 1852. in multas partes Europae propagata est. [2])

3. — Spiritus diversum modum in suis manifestationibus tenent. Sequentia desuper notatu digniora videntur.

Quemadmodum in magnetismi animalis, ita et in spiritismi experimentis spiritus frequenter se ultro obtrudunt, at vero et obsequentes se exhibent evocationibus „mediorum“ seu mediatorum.

Signum praesentiae suae emittunt. Hoc ut plurimum consistit in nonnullis ictibus levibus, qui fiunt in suppellectili vel pariete.

Spiritus isti se exhibent interdum ut simplices spiritus, quin ullam sibi praerogativam vindicent; interdum se angelos, archangelos, sanctos, B. V. Mariam, Christum Dominum esse fingunt; interdum se manifestant ut animas defunctorum e. g. patris, matris, filiorum, quorum vocem, scriptionem etc. imitantur; interdum se produnt ut spiritus malignos.

Quaestionibus sibi propositis satisfaciunt diversis modis: a) per mensam vel tripodem, vel eam pulsando ictibus prius jam pactis, vel scribendo ope calami pedi mensae vel tripodis adaptati, ut superius jam innuimus; b) per mediatorem, quem dominantur et regunt, vel manum ejus movendo et quasi cogendo ad scribendum, vel lingua ejus utendo veluti instrumento ad loquendum, ergo scriptione et locutione; [1]) c) per se ipsos scribendo ope calami adjacentis vel etiam in loco secreto repositi. [2])

[1]) Perrone: Praelect. theolog. de virtute Religionis pag. 270. 271.

[2]) Perrone op. c. pag. 267—269.

Responsa, quae praedictis modis proferunt, tum praesentia occulta, tum praeterita et futura respiciunt; porro non minus circa res religiosas, quam circa politicas, sociales et indifferentes versantur. Pessimae sunt, quas effutire solent, doctrinae; siquidem negant divinam Christi naturam, adeoque divinam Ecclesiae catholicae originem, daemonum existentiam, peccatum originale, redemptionem, aeternas poenas inferni, nullum discrimen inter probos et improbos admittunt etc. Verae Christi religioni substituunt vanum rationis cultum, cui tamen Christianismi denominationem servant. [3])

Non deesse solent alia phaenomena prorsus extraordinaria; videlicet transferuntur vel infringuntur suppellectilia; apparent coruscationes in locis, ubi nulla substantia ad lucem ejusmodi edendam reperitur; audiuntur concentus harmonici ad notas musicales exacte compositi, voces, quae imitantur sibilum ventorum, aut strepitum maris etc., violenti fragores; sentiuntur foetores non ferendi; praeterea turbantur regulares functiones hominis vitales, deprimitur temperatura corporis aut aliquot ejus partium etc. [4])

4. — Ad expediendam quaestionem de causa phaenomenorum spiritismi sit

[1]) Mirum potest videri assertum, daemones (quos esse istos spiritus hic jam merito supponere possumus) manu hominis ad scribendum, et lingua ejus uti ad loquendum. Sed praeterquam, quod facta ferme innumera nullum dubium desuper relinquant, jam supra §. 69 e doctrina ss. Patrum et Theologorum evictum est, daemones omnino pares existere corporibus movendis. Si autem daemones valent corpus hominis, imo et ipsius Domini transvehere: tanto magis linguam vel manum hominis movere poterunt, ut merito concludit s. Alphonsus: Praxis Confessarii cap. 7., qui in alium finem petractat hoc argumentum satis prolixe, et inter alia dicit: „Merito dicunt theologi, sat posse daemonem sua naturali vi, Deo permittente, membra hominis agitare. Praeter s. Thomae et s. Bonaventurae auctoritates idem scribunt plures AA. neoterici. — Idem scribit Calmet (auctor, quem omnes sciunt, quam sit ponderatus in suis effatis), qui ait, signum esse, quod sit opera daemonis, si *homo alio veluti spiritu animatur, angitur invitus, plura admittit ab insita sibi indole longe aliena, sed ita admittit, ut singularia omnia videantur et violenta.*“ Talia autem revera eveniunt in istis *mediatoribus*, quibus utuntur „spiritus“ ad responsa proferenda, ut videre licet penes Perrone op. l. n. 670. pag. 273.

[2]) Consuli potest Perrone op. c. pag. 273—275, pag. 278—280.

[3]) Idem pag. 276—278.

[4]) Perrone op. cit. pag. 272. 273.

PROPOSITIO.

Spiritismus operatio diabolica est, divinatio proprie dicta; quapropter ejus experimentis operam dare, vel tantum interesse, graviter illicitum est.

Spiritismum esse rem seu operationem daemoniacam, exinde colligitur, quod causa efficiens phaenomenorum spiritismi nequit esse causa naturalis, nec angelus bonus; relinquitur igitur, ut angelus malus seu daemon illa principaliter producat seu efficiat.

1. Superfluum putamus multis probare, quod phaenomena illa a causa quapiam naturali pruduci nequeunt; liquide id patescit examine instituto phoenomenorum, quae evidenter superant causam quamcunque naturalem.

2. Supervacaneum pariter foret, argumenta congerere ad probandam assertionem, ejusmodi phoenomena non produci ab Angelis bonis. Satis erit, recolere illa phaenomena, eademque conferre cum Angelorum sanctorum indole.

3. Causa igitur Spiritismi non est nisi daemon, quod confirmatur ex mendaciis, quae spiritus proferunt, ex doctrinis falsis et horrendis, quas evomunt, ex horrore, quo afficiuntur per praesentiam rerum sacrarum, e. g. Rosarii, aquae lustralis, ita ut respondere renuant, et etiam aufugiant, non raro cum vastatione mensarum et tripodum, postremo, ex ipsorum spirituum confessione, qua se malos esse, se Deum odisse, imo et odium esse manifestarunt. [1])

Daemones igitur sunt *causae efficientes* illorum omnium; mensae autem, tripodes et similia objecta totidem sunt *causae instrumentales*, per veram daemonum invasionem et obsessionem; [2]) personae denique, nempe mediatores, qui intercedunt, sunt causae *ministrales* malorum spirituum, sub quorum influxu ac dominatione versantur, dum experimentis spiriticis dant operam. [3])

Spiritismus est *divinatio*, et quidem pro diverso fine et modo, quo exercetur, oraculum, pythonismus, necromantia.

5. — Nec hoc genus superstitionis per mensas vel tripodes

[1]) Videatur praelaudatus auctor p. 294.

[2]) *Invasio* daemonis tunc intervenire censetur, cum aliquid vel aliquem vi ac impetu exterius daemon adgreditur, et impellit ad id, quod intendit. *Obsessio* vero tunc habetur, cum daemon aliquid vel aliquem intrat et occupat, ut ei dominetur, prouti ipsi libet. Vide Del Rio: Disquis. magis. Lib. III. q. 4. Sect. 7. Cardin. Bona: De discretione spirituum, cap. 3. 4. 11. et 15.

[3]) Perrone pag. 303—314.

divinantis ignotum fuit antiquis. Tertullianus dicit: „— *per daemones caprae et mensae divinare consueverunt.*“ Tripodem *pythicum* Philostratus aliique commemorant. [1]) Praeterea hos spiritus spontanee percussisse mensas, parietes, vel alia objecta ad sese manifestandos, res est testatissima apud antiquos. [2]) Postremo, qui in praesentiarum appellantur *mediatores* seu personae *intermediae*, antiquitus vocati sunt *pythones* et *pythonissae*.

6. — Cum Spiritismus sit *divinatio*, quam prohibet s. scriptura atque Ecclesia, et *quam Deus abominatur:* hinc graviter illicitum est, illius experimentis operam dare, imo et eisdem interesse.

* Perrone: Praelectiones theologicae de virtute religionis deque vitiis oppositis, Par. II. Sect. II. cap. 6. pag. 280. et sq. Ratisbonae 1866.

B. De irreligiositate.

Irreligiositas est irreverentia specialis, quae Deo vel immediate in se, vel mediate in personis vel rebus sacris irrogatur. Immediate Deo irreverentia irrogatur *tentatione Dei, blasphemia* et *perjurio,* mediate *sacrilegio* et *simonia.* De perjurio supra §. 59. satis dictum est, de reliquis nunc tractandum.

§. 76.

De tentatione Dei.

1. — *Tentatio Dei est dictum vel factum, quo quis absque justa causa experiri intendit Dei scientiam vel potentiam per effectum extraordinarium a Deo exspectatum.* Dico *effectum extraordinarium* omne opus, vel signum, vel auxilium Dei supra communem rerum ordinem positum. Dico: *absque justa causa,* quia si justa causa suppetat sc. vel necessitas, vel gravis utilitas, vel divina inspiratio, tale signum vel auxilium Dei potest humiliter peti et exspectari, adeoque non erit tentatio. [3])

Hinc excusatur servus Abrahami, qui Gen. 24. 14. petiit a Domino signum: *Puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam, ut bibam, et illa responderit: Bibe, quin et camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam praeparasti servo tuo Isaac; et per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum domino meo.* Excusatur Abraham

[1]) Apud Perrone pag. 356.

[2]) Idem pag. 361.

[3]) S. Thom. 2. 2. q. 97. a. 1. Lessius: De justitia etc. lib. II. c. 45. Dub. 1. n. 2. Suarez: Lib. II. de Superst. c. 10. n. 7. Laymann: Theolog. mor. Lib. IV. Tr. 10. cap. 5. n. 1.

Gen. 15., qui petiit a Deo signum, unde sciret, semen suum possessurum terram Chanaan, quam ei Dominus promiserat; et Gedeon Jud. 6., qui petiit bis signum in area et vellere, unde cognosceret, an revera Deus per ipsum vellet populum liberare; nec Apostoli Deum tentarunt Act. 4., cum petierint a Deo, ut signa fierent in nomine Jesu ad virtutem ejus infidelibus manifestandam. Illi enim omnes ex divina inspiratione in rebus satis gravibus egerunt. [1])

Tentatio Dei duplici modo fieri potest: 1. *explicite*, quando quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione aliquid petit vel facit ad eandem explorandam, ut e. g., si quis in puteum se praecipitaret, ad explorandam Dei erga se providentiam. 2. *Implicite* seu interpretative, quando quis expresse quidem non intendit Dei perfectionem vel voluntatem experiri, petit tamen vel facit, quod referri nequit nisi ad probandam Dei perfectionem, ut e. g. si quis se committat periculo, a quo vel nullo modo vel vix possit eripi, nisi miraculose. [2])

Tentatio Dei *expressa* est peccatum mortale ex toto genere suo, quia in gravem Dei contemptum redundat; et quandoque haeresin adjunctam habet. *Implicita* est mortale ex genere suo non toto, admittit enim levitatem materiae. Imo nullum peccatum est, quando justa causa subest, videlicet Dei impulsus, necessitas vel pia utilitas, ut superius dictum est. [3])

Hinc 1. peccat tentatione Dei, qui absolute petit a Deo vel offert miraculum ad convertendos infideles, cum sufficiant fidei nostrae testimonia et auxilia Dei ordinaria. Non tamen peccat, qui a Deo miraculum petit sub conditione, si ei placuerit, quando justa causa suppetit, nimirum, ut praehabitum est, necessitas vel saltem gravis utilitas ad nostram aut aliorum salutem, vel singularis Dei inspiratio ad ipsius voluntatem implendam, ut communiter docent. [4])

Ideo 2. pariter illicitae sunt probationes per ferrum, aquam, ignem, duellum, quae vulgo dicebantur *judicia Dei,* quia illas adhibere perinde est, ac indiscriminatim a Deo petere miracula. Quodsi

---

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 97. a. 2. ad 3. Laymann: Th. m. Lib. IV. Tr. 10. cap. 5. n. 1. Suarez l. c. n. 7. Lessius l. c. n. 5.

[2]) S. Alph. n. 29. cum d. Thoma 2. 2. q. 92. a. 1. et alii omnes.

[3]) S. Alph.: H. A. Tr. IV. n. 38. Th. m. Lib. IV. n. 29. et 30.

[4]) S. Alph.: Lib. IV. n. 31. S. Thom.: 2. 2. q. 97. a. 2. c. et ad 3. Suarez, Laymann, Salmatic., Lessius, Sporer etc.

Deus easdem quandoque miraculose probaverit: [1]) id contigit, quia innocentes ad eas compulsi sunt, vel quia bona fide easdem licitas esse putarunt, vel Deo inspirante illas subierunt. [2])

3. Deum graviter tentat, qui sine causa se offert martyrio, id est, quando nec adest necessitas ad vitandam Dei inhonorationem vel ad exaltandam fidem et Dei gloriam, nec habetur specialis inspiratio divina. [3])

4. Peccat, qui potens fuga tueri vitam, se multis invasoribus opponit, sperans a Deo extraordinarium auxilium. [4])

5. Leviter tantum peccat, qui in morbo levi rejectis remediis sperat a Deo sanitatem; quia ibi non est gravis inordinatio. Imo ab omni culpa excusatur, si speret sine remediis naturaliter Deo adjuvante a tali levi morbo se liberandum fore. [5])

6. Peccat venialiter sacerdos, qui absque praeparatione velit concionari, a Deo sperans speciale lumen.

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 97. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 29—32. — Suarez: De religione Tract. III. Lib. I. cap. 2. et 3. Laymann: Theologia moralis Lib. IV. Tract. 10. cap. 5. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 45. Eusebius Amort: Theologia moralis Tract. III. Sect. II. §. VI.

§. 77.

De vana ss. nominis Dei usurpatione et de blasphemia.

I. De vana ss. nominis Dei usurpatione.

1. — Appellatio sanctissimi nominis Dei vel Jesu sine rationabili causa vel sine debita reverentia dicitur *vana usurpatio* nominis divini. Haec est peccatum contra religionem, quia in ea sanctum et terribile Dei nomen veluti quid profanum habetur adeoque

---

[1]) S. Cunegundis, cum in thori violati suspicionem apud maritum venisset, per ignitos vomeres illaesa nudis pedibus incedens, suam omnibus integritatem probavit, ut habetur Lect. IV. Officii festivi die 3. Martii. Alia exempla commemorat Delrio Lib. 4. disquis. magic. cap. 4.

[2]) S. Alph. n. 30. Lessius, Reiffenstuel etc.

[3]) Thom. 2. 2. q. 144. a. 3. ad 1. S. Alph. n. 32. Reuter n. 444. et alii communiter.

[4]) Unde s. Augustinus Lib. 22. contra Faustum c. 36. dicit, quod Paulus non fugit quasi non credendo in Deum, sed ne Deum tentaret, si fugere noluisset, cum fugere potuisset.

[5]) Nec tentavit Deum s. Agatha, cum dixerit: „*Medicinam corporalem corpori meo numquam exhibui, sed habeo Dominum Jesum Christum, qui solo sermone restaurat universa;*" nam experta erat divinam erga se benevolentiam. S. Thom. 2. 2. q. 97. a. 2. ad 3.

reverentia Deo debita violatur, unde Exod. 20. 7. praecipitur: „*non assumes nomen Domini Dei tui in vanum;*“ non tamen excedit peccatum veniale secluso scandalo gravi vel periculo blasphemandi, quia ibi non deprehenditur gravis inordinatio seu gravis offensio divinae majestatis, imo saepe culpa vacare potest propter inadvertentiam.

2. — Judicium, quod tulimus de vana usurpatione ss. nominis divini, ferendum idem est proportione servata de vana usurpatione nominum Sanctorum, quia sane reverentiae Sanctis debitae repugnat, eorundem nomina leviter assumere, unde Eccli. 23. 10. dicitur: „*Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis; quoniam non eris immunis ab eis*“, id est, a peccatis irreverentiae in eos. Idem denique dicendum de vano usu verborum sacrae scripturae.

II. De blasphemia.

3. — Blasphemia est locutio vel actio contumeliosa in Deum.[1]) Dicitur autem id Deo contumeliosum, quod vel natura sua, vel ex communi hominum judicio, vel ex modo loquendi seu agendi, et ex circumstantiis Dei inhonorationem importat.

Blasphemia est 1. *immediata* vel *mediata*, prouti Deus vel in se, vel in suis Sanctis aliisve creaturis inhonoratur; 2. *haereticalis, imprecativa* et *mere probrosa*, prout haeresim, vel imprecationem, vel simplicem contumeliam continet.

Certo 1. Blasphemia est, Deum negare, eum vocare injustum; item dicere, Deum non velle aut non posse nos juvare, eum curam hominum non gerere, non omnia in mundo ab ipso bene esse ordinata etc. In quibus quidem omnibus haereticalis obtinet blasphemia, si quis eadem ita esse credit.[2]) Hinc liquet, *atheismum, positivismum, materialismum, pantheismum, deismum, naturalismum*, blasphemiae crimine esse infectos.

2. Blasphemia est, et imprecativa quidem, dicere: *Utinam Deus non esset, — utinam Deus omnipotens, omniscius, malorum vindex non esset.* Haec simul odium Dei continent coll. §. 23. n. 2. Blasphemia est probrosa illud Juliani Apostatae dictum: *Vicisti*

[1]) S. Augustinus ait: „Est autem blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere: de hominibus namque dubitari potest: Deus vero sine controversia bonus est.“ Lib. 2. de moribus Manich. cap. 11.

[2]) S. Alph. Lib. IV. n. 122.

Galilaee! — Item blasphemia est, velle aliquid agere Deo invito, — vel spuere in coelum, infrendere dentibus in illud etc.

3. Blasphemia est, maledicere Sanctis, Sacramentis, rebus sacris, fidei catholicae, Ecclesiae catholicae.

4. Maledicere creaturis irrationabilibus e. g. tempestati, vento, quatenus sunt creaturae Dei seu in relatione ad Deum, est blasphemia, quia iis sub hac ratione maledicere, est maledicere Creatori. Illis autem maledicere sine relatione ad Deum, secundum se consideratis, non quidem est blasphemia, sed tamen est otiosum et vanum, et per consequens illicitum. Ita s. Thomas.[1])

5. Non est proprie blasphemia, in ira enuntiare verba sacra, v. c. *Sacramentum, Crucifixus*, si affectus indignationis non tendat contra Deum, sed contra hominem vel jumentum, cui aliquis irascitur, id quod ex modo loquendi et ex aliis circumstantiis colligendum est; obtinet tamen vana usurpatio nominum sacrorum, et est per se peccatum veniale, quod autem ob scandalum grave vel periculum formaliter blasphemandi mortale fieri potest.[2])

Eo minus est blasphemia, quando ista verba dimidiata aut corrupta proferuntur, ut si dicitur *Saperment, Sacra, Sacradie;* imo haec per se culpa vacant, nisi convicii causa ex odio vel ira pronuntientur.[3])

6. In ira aliis imprecari daemonem, fulgura etc. non est blasphemia, sed dira imprecatio, quae plerumque ob subitam commotionem et defectum seriae voluntatis non est, nisi venialis.[4])

7. In ira usurpare nomen diaboli sine imprecatione, non est per se peccatum; assidua autem ejus nominatio non decet christianum, et ratione scandali potest esse gravis.[5])

4. — Blasphemia, sive immediata, sive mediata, est peccatum mortale ex toto genere suo, et quidem maximum. Ratio est, quia quaelibet contumelia in Deum est injuria gravis divinae majestati illata. Hinc in veteri Testamento morte puniebatur: „— *qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.*“ Lev. 24. 16. S. Augustinus dicit: „*Pejus est blasphemare, quam pejerare, quoniam pejerando falsae rei adhibetur testis Deus, blasphemando autem falsa de*

[1]) 2. 2. q. 76. a. 2. — S. Alph. n. 129. et alii.

[2]) Laymann: Th. m. Lib. IV. Tract. 10. cap. 6. n. 8. cum aliis.

[3]) Voit n. 517. La Croix n. 252. et alii cum s. Alph. n. 124.

[4]) S. Alph. n. 131.

[5]) S. Alph. l. c.

ipso dicuntur Deo.“ [1]) S. Hieronymus ait: *„Nihil horribilius blasphemia, quae ponit in Excelsum os suum.“* [2]) Et s. Thomas: *„Omne peccatum comparatum blasphemiae levius est.“* [3])

Potest autem veniale fieri ex imperfectione actus; sic e. g. dicere: *Deus mei est plane oblitus; quare Deus me creavit?* — veniale tantum erit, si proferatur talis locutio ex impetu dolorum, imo nec erit blasphemia formalis, si desit intentio blasphematoria.

Qui consuetudine blasphemandi laborant, tenentur sub gravi operam navare ad eam exstirpandam; alioquin toties peccant, quoties advertenter id omittunt. Si vero operam adhibeant et tamen interdum relabantur, poterunt a mortali excusari, non vero, saltem *ordinarie*, a veniali, quia vix non aderit aliqua advertentia saltem confusa ad malitiam verborum. [4])

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 13. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 121—132. — Suarez: De religione Tract. III. Lib. I. cap. 4—7. Laymann: Theologia moralis Lib. IV. Tract. X. cap. 6. Lessius: De justitia ceterisque cardinalibus Lib. II. cap. 45. Dubit. 5. Eusebius Amort: Theologia moralis Tract. III. Sect. II. §. VII. Voit: Theologia moralis Par. I. n. 509—521. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. V. Disp. III. cap. 2. art. 2.

§. 78.

De sacrilegio.

1. — *Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio sacri.* Sacrum autem reputandum est id omne, quod ad divinum cultum ordinatur, et triplex est, nimirum persona sacra, locus sacer, res sacra.

Personae sacrae vocantur, quae cultui divino specialiter sunt deputatae, sive per Tonsuram, sive per vota religiosa. *Loca sacra* sunt ea, quae ab episcopo benedicta et deputata sunt aut ad officia divina peragenda, aut ad mortuos sepeliendos, scilicet ecclesiae a tecto (exclusive) usque ad pavimentum (excepta sacristia), nec non oratoria publica, utpote quae ecclesiis aequiparantur, atque coemeteria. Locis sacris non accensentur oratoria privata, quamvis in eis Missam celebrare concessum sit. [5])

Res sacrae dicuntur ea omnia, quae ad divinum cultum sunt ordinata, et quae quidem *vel* sanctitatem producunt, nempe Sacramenta, inprimis ss. Eucharistiae Sacramentum, *vel* ad sacra peragenda inserviunt, ut altaria, vasa sacra, *vel* sacrum significant, ut verba s. scripturae, *vel* sacrum repraesentant, scilicet Crux et imagines Christi et Sanctorum, ritus et ceremoniae, *vel* ad conservanda loca sacra et ad sustentandos ministros sacros deputata sunt, nempe bona ecclesiastica. [1])

Sacrilegium triplex est, ut ex praedictis colligitur, videlicet *personale, locale* et *reale*. Cumque alia sit sanctitas personae, alia rei, alia loci, ideo sacrilegium *specie* differt, prouti personam sacram, locum sacrum aut rem sacram afficit. [2])

[1]) Contra mendacium ad Consentium cap. 19. n. 39.

[2]) In Isai. l. 7. c. 18.

[3]) 2. 2. q. 13. a. 3.

[4]) S. Alph. n. 127.

[5]) S. Alph.: Lib. IV. n. 462.

REGULAE:

2. — **Regula I.** *Sacrilegium personale* committitur: 1. inferendo manus violentas in clericum vel religiosum, injuriose eum percutiendo, mutilando, occidendo etc., contra privilegium Canonis: *Si quis suadente diabolo;* 2. luxuriose violando personas Deo dicatas per votum castitatis in professione religiosa vel ordinatione, imo etiam, juxta nonnullos, violando personam voto simplici castitatis ligatam extra religionem; [3]) 3. personas ecclesiasticas subjiciendo foro saeculari, nisi per Concordata cessaverit hoc privilegium.

3. — **Regula II.** *Sacrilegium locale* committitur: 1. actibus omnibus, quibus, si notorii fiant, ecclesia vel caemeterium polluitur ex jure canonico, scilicet effusione sanguinis aut seminis humani, sepultura excommunicati non tolerati, aut infidelis in loco sacro; 2. peccatis omnibus, quae fiunt contra sanctitatem loci, ut sunt effractio, spoliatio, furtum, rixae et similia; 3. actibus, qui dedecent sanctitatem loci, ut sunt mercatus, strepitus judiciorum saecularium, nisi gravis causa excuset, ut e. g. si desit alius locus opportunus. Ita omnes.

Sed quaeritur 1. *An alii actus externi praeter voluntariam seminis effusionem* (fornicationem, pollutionem), *nempe tactus, aspectus, sermones graviter turpes in ecclesia habiti, sint sacrilegia?*

Resp. *Aff. probabilius,* quia hisce actibus gravis irreverentia

[1]) S. Thomas: 2. 2. q. 99. a. 3. c. Laymann: Theol. mor. Lib. IV. Tract. X. cap. 7. n. 12. et sq. Voit: Th. mor. P. I. n. 469.

[2]) S. Thom. 2. 2. q. 99. a. 3. S. Alph. n. 34.

[3]) S. Alph. n. 47.

loco sacro irrogatur, etsi ipse non polluatur. Ita s. Alphonsus [1]) cum aliis.

Quaeritur 2. *An omne furtum in ecclesia commissum sit sacrilegium?*

Resp. Certe sacrilegium est omne furtum rei sacrae et etiam non sacrae loco sacro commodatae vel custodiae causa ei commissae. Et *probabilius* etiam sacrilegium est furtum cujuslibet rei profanae, quae nullo modo pertinet ad ecclesiam. Colligitur ex c. *Quisquis* caus. 17. q. 4., ubi dicitur: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de non sacro, sive sacrum de non sacro;* quibus verbis absolute damnatur ut sacrilegus, qui *non sacrum de sacro* furatur, nec id limitatur ad depositum tantum. Ita s. Alphonsus [2]) cum pluribus.

Quaeritur 3. *An peccata mera interna in ecclesia commissa sint sacrilegia?*

Resp. 1. *Neg.*, si committatur tantum delectatio morosa, quia locus sacer tunc non videtur specialiter affici.

R. 2. Quoad desiderium peccandi, e. g. fornicandi, occidendi, *dist.*, equidem *aff.*, si sit desiderium peccandi *in loco sacro,* etsi habeatur extra locum sacrum; *neg.*, si sit desiderium peccandi *extra locum sacrum,* quamvis habeatur in loco sacro. S. Alph. [3]) cum aliis.

4. — **Regula III.** *Sacrilegium reale* committitur: 1. invalide vel indigne administrando vel suscipiendo Sacramenta, [4]) — 2. ss. Eucharistiam neglectis clavibus non satis custodiendo, corruptionem particularum in Ciborio, vel hostiae grandioris in Ostensorio permittendo, nec non vasa sacra, corporalia, vestimenta, altaria non servando munda et integra, aut adhibendo indecora, — 3. vasa sacra aut ornamenta, quae consecrari aut saltem benedici solent, adhibendo in usus profanos, — 4. sacram scripturam scienter pervertendo e. g. ad stabiliendas haereses, vel eam detorquendo ad jocos, praesertim inhonestos, — 5. sacras imagines et reliquias indigne tractando; — 6. furando res sacras, e. g. reliquias, vasa sacra; — 7. laedendo bona ecclesiastica, nempe ea, quae pertinent ad fabricam ecclesiae vel ad sustentationem ministrorum Ecclesiae, ita, ut

---

[1]) Lib. IV. n. 459. et 461. H. A. Tr. IX. n. 22.
[2]) n. 39.
[3]) Lib. IV. n. 462.
[4]) Sacrilegium pariter committit, qui se polluit infra mediam horam post s. Communionem, ut communiter tradunt cum s. Alphonso Lib. IV. n. 463.

de iis pro suo arbitrio disponere nequeant, item defraudando, usurpando jura Ecclesiae. Hinc *usurpatio ditionis Pontificiae* est grande *sacrilegium,* quia „civilis principatus Romanae Ecclesiae licet suapte natura rem temporalem sapiat, spiritualem tamen induit indolem vi sacrae, quam habet, destinationis, et arctissimi vinculi, quo cum maximis rei christianae rationibus conjungitur;“ videlicet „necessarius Sanctae Sedi civilis principatus est, ut in bonum religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere, ac simul facilius divinam religionem magis in dies propagare, variis fidelium indigentiis occurrere, et opportuna flagitantibus auxilia ferre, et alia omnia bona peragere possit, quae pro re ac tempore ad majorem totius christianae reipublicae utilitatem pertinere cognoscat.“ Ita S. P **Pius** IX. in Alloc. die 20. Junii 1859. Liter. Apostol. die 26. Martii 1860.

Quaeritur 1. *An umquam vasa et vestes sacrae converti possint in usum profanum?*

Resp. Aff., si res totaliter immutetur, ita, ut ad communem materiam redeat, sicut si calix igne ad communem massam argenti reducatur. Secus autem, si totaliter non immutetur; quare non licet ex veteri Alba vestem profanam resarcire, nec paramenta benedicta ad usus profanos vendere et applicare. [1])

Quaeritur 2. *Quibusnam liceat vasa sacra tangere?*

Resp. Vasa sacra, dum actu continent Corpus et Sanguinem Christi, tangere nemini permittitur, nisi sacerdoti et diacono. Licet subdiacono in altaris ministerio tangere calicem et patenam, dum corpus et sanguinem non continent. Acolythis conceditur illa tangere extra ministerium altaris, quod etiam extenditur ad omnes, qui prima tonsura initiati sunt. [2]) Imo ex privilegio Sixti IV. conceditur id etiam regularibus laicis sacristis, nec non monialibus sacristis ex communicatione privilegiorum.

Licet autem omnibus tangere alias res sacras, ut sunt *Agnus Dei,* saltem ex hodierna consuetudine, reliquiae Sanctorum, ornamenta sacra, exceptis iis, quae s. Eucharistiam immediate tangunt. [3])

5. — Sacrilegium est peccatum mortale ex genere suo, quia dum sacra indigne tractantur, gravis in Deum irreverentia redundat;

---

[1]) S. Alph. n. 41.
[2]) **Benedictus** XIV. Institut. eccl. 34. n. 18.
[3]) S. Alph. n. 48.

tantoque gravior est culpa, quanto sanctior res est, quae indigne tractatur. Veniale autem esse potest ob parvitatem materiae, v. g. furari in templo rem levem, abuti verbis s. scripturae ad jocum non inhonestum etc. [1])

Quod poenam in sacrilegos ab Ecclesia statutam attinet, in Constitutione P. M. Pii IX. *Apostolicae Sedis* die 12. Oct. a. 1869. excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subjacere declarantur (Art. VII.) *Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones* (Concordata regni vel imperii cum Apostolica Sede): *item edentes leges vel Decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.* (Art. XI.) *Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes.* [2]) (Art. XII.) *Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes* (formali cooperatione).

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 99. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 33—48. — Suarez: De religione Tract. III. Lib. III. toto in 7 capit. distributo. Sporer: Theol. mor. super Decal. P. II. cap. 10. Sect. 4. Laymann: Theologia moralis Lib. IV. Tract. X. cap. 7. Voit: Theologia moralis P. I. n. 463—477.

§. 79.

De Simonia.

1. — Simonia nomen habet a Simone Mago, de quo in Act. 8. legitur, quod obtulit Apostolis pecuniam ad spiritualem potestatem emendam, nempe ut quibuscunque manus imponeret, Spiritum Sanctum acciperent. Simonia a s. Thoma definitur: *Studiosa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali adnexum.* [3])

[1]) La Croix: Th. mor. Lib. III. n. 1003. Reuter: Th. m. P. II. n. 459. et alii cum s. Alph.: Lib. IV. n. 33.

[2]) Qui usurpant aut sequestrant bona monasteriorum, sub hac censura pariter comprehenduntur; non vero illi, qui bona ecclesiastica usurpata ab usurpatoribus accipiunt per aliquem contractum. Sic doct. Avanzini: Constitutio, qua censurae latae sententiae limitantur, nonnullis illustrata Commentariis. Romae 1871. Ed. 2. pag. 14.

[3]) 2. 2. q. 100. a. 1.

Dicitur: *studiosa voluntas* i. e. deliberata; nam sola deliberatione rationis potest committi peccatum. Additur: *emendi vel vendendi,* quod significat quemcunque contractum onerosum seu pactum sive expressum sive tacitum alium obligandi ad dandum spirituale pro temporali vel temporale pro spirituali. *Pretio temporali,* quod significat quodcunque munus temporale, et triplicis generis in jure canonico distinguitur:

a) *Munus a manu,* per quod non tantum pecunia intelligitur, sed etiam quaelibet res temporalis pretio aestimabilis. Sic e. g. est simonia, dare rem spiritualem cum pacto, ut alter debitum remittat, vel ut solvat pecuniam alias debitam. [1])

b) *Munus a lingua,* per quod intelliguntur laudes, favores, intercessiones, preces et similia, quae pretio aestimabilia sunt; hinc e. g. est simonia, si patronus alii dat beneficium, ut ipsum laudet, vel ne odium alicujus incurrat, vel si dicat: non conferam tibi beneficium, nisi talis persona me roget, vel si patronus propter solam alicujus intercessionem inepto cuidam et indigno ordines sacros vel beneficia conferat ad favorem humanum adipiscendum. [2])

c) *Munus ab obsequio,* per quod intelliguntur quaecunque obsequia seu officia alicui praestanda vel praestita sub conditione conferendi beneficium ecclesiae vel aliam rem spiritualem. Sic e. g. simonia est, si patronus beneficium alicui conferat, ut gratis ipsi serviat, vel ut ejus famulandi munus compensetur, vel loco salarii beneficium consequatur. [3])

Subditur: *aliquid spirituale,* per quod intelligitur omne id, quod vel ex se vel ex institutione Dei aut Ecclesiae ad salutem spectat, ut sacramenta, sacramentalia, consecratio ecclesiae, altaris, calicis etc., benedictiones, functiones sacrae, dispensationes.

Spirituali adnexum i. e. temporale, quod cum re spirituali adjungi potest:

α) *antecedenter,* si scilicet temporale adest, cui spirituale accedit, e. g. jus patronatus, quod fundo inhaeret;

β) *concomitanter,* si temporale intrinsece seu inseparabiliter cum re spirituali conjunctum est, e. g. labor corporalis in administratione

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 56—60.

[2]) Idem: Lib. IV. n. 63. 52. S. Thom.: 2. 2. q 100. a. 5. ad 2. Gousset n. 442.

[3]) S. Alph. n. 61.

Sacramentorum, in Missae celebratione, in praedicationibus et generatim in functionibus sacris;

γ) consequenter, si spirituale praesupponitur, tamquam causa et radix alicujus temporalis, uti est jus percipiendi reditus ecclesiae, quod praesupponit officium ecclesiasticum ut sui causam et radicem.

2. — Simonia multiplex est. 1. *Ratione modi,* quo committitur, est:

a) *Mentalis,* quum quis dat temporale animo alterum obligandi ad dandum sibi spirituale aut vice versa, quin tamen ullum pactum exprimatur; e. g. si quis episcopo praestet famulatum ea praecise intentione, ut obtineat canonicatum, quin tamen eam exprimat.

b) *Conventionalis,* cum exstat pactum explicitum, sed absque executione; e. g. si quis de praestando famulatu conveniat cum patrono addito expresse pacto, ut ad beneficium suo tempore nominetur.

c) *Realis,* quando pactum ex utraque parte adimpletur; e. g. si nominatio ad beneficium in allato exemplo pro famulatu praestito revera contingat.

d) *Confidentialis,* quae fit in provisione beneficiorum et quidem 4 sequentibus modis: *α) per accessum,* quando quis procurat alteri beneficium cum pacto, ut dein idem resignet vel ipsi procuranti vel alii ab ipso designato; — *β) per ingressum,* si quis beneficium sibi jam collatum, sed nondum possessum resignat cum pacto illius possessionem adipiscendi seu beneficium ingrediendi in dato casu et tempore; — *γ) per regressum,* cum quis beneficium a se jam possessum resignat alteri eo pacto, ut dato tempore et casu in illud regrediatur; — *δ) stipulatione pensionis* aut fructuum, quando quis procurat alteri beneficium ea spe, ut hic sibi vel alteri a se designato omnes beneficii fructus vel eorum partem tribuat aut pensionem ex eo persolvat.

2. *Ratione juris,* quo prohibetur, distinguitur:

a) simonia juris divini, quae prohibetur jure divino ob intrinsecam suam malitiam;

b) simonia juris ecclesiastici, quae licet intrinsece mala non sit, ab Ecclesia tamen prohibetur ex motivo reverentiae erga sacra.

A. De simonia juris divini.

PRINCIPIUM GENERALE.

Ad simoniam juris divini requiritur: a) ut adsit materia spiritualis aut spirituali adnexa, b) ut pretium sit temporale, c) ut habeatur permutatio rei spiritualis cum pretio seu re temporali.

3. — Haec simonia est intrinsece mala a jure divino prohibita, quia gravem inordinationem continet, siquidem res sacra et spiritualis censetur non pluris aestimanda quam temporalis, ideoque Deo ipsi ut auctori rerum sacrarum et spiritualium id graviter injuriosum est. Quapropter simonia juris divini non admittit materiae parvitatem; potest tamen esse peccatum veniale ob defectum malae affectionis aut ob ignorantiam non graviter culpabilem.

REGULAE SPECIALES.

4. — **Regula I.** *Simonia juris divini est, dare aliquid temporale tamquam pretium rei spiritualis;* ut ex principio generali patet.

Hinc 1. Simonia est, aliquid temporale dare aut accipere tamquam pretium Sacramentorum, sacrarum reliquiarum, pro collatis ordinibus seu pro applicanda indulgentia, quia sic res spiritualis pro temporali datur aut accipitur.

Simonia est, aliquid tamquam pretium dare aut accipere pro collatione, electione, praesentatione, confirmatione ad beneficium ecclesiasticum, quia tunc res temporalis cum spirituali commutatur.

2. Non autem est simonia: Permutare res spirituales inter se, e. g. ego dicam Missam pro te, ut pro me dicas tot rosaria, quia non datur temporale pro spirituali; [1]) — dare gratis aliquid temporale pro spirituali, e. g. si parens promittit filio nummos, si sacramenta frequentet, vel si quis patrono dat munus pro beneficio ecclesiastico jam obtento, quia tunc liberalis donatio, non emtio adest; — dare eleemosynam pauperi, ut pro dante oret, sicut patet ex aliqua Wicleffi propositione a Martino V. damnata, quia nemo intendit orationes emere; — beneficium alicui ob carnalem affectionem conferre, modo collator non intendat aliquod temporale sibi vel familiae obventurum, e. g. ut ditescat; quia tunc non recipitur temporale pro spirituali.

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 72. Voit n. 504.

5. — **Regula II.** *Simonia juris divini est dare principaliter, etsi non unice temporale ob spirituale vel contra.* Patet ex propositionibus 45. et 46. ab Innocentio XI. damnatis et ex principio generali. Nam si primarie datur res temporalis ob rem spiritualem et vice versa, tunc revera fit commutatio rei temporalis cum re spirituali, quod simoniacum est. [1]) — Hinc simonia est, si quis serviat patrono vel episcopo principaliter ad obtinendum beneficium tamquam rem sibi pro servitio debitam, etsi quoque ex aliis motivis secundariis ei famuletur. — Non autem est simonia, si quis serviat patrono vel episcopo primarie ad conciliandam ipsius benevolentiam et secundarie ad obtinendum beneficium, ita ut res spiritualis, nempe beneficium, non intendatur ut debita retributio seu pretium obsequii, sed ut effectus gratitudinis. [2]) Similiter non est de simonia damnandus episcopus, qui beneficium confert clerico in recognitionem ejus meritorum, quia non dat tamquam mercedem debitam. [3])

6. — **Regula III.** *Simonia quoque est, si datur temporale, per quod directe et proxime via ad obtinendum spirituale paratur.* Ratio, quia tunc temporale vere cum spirituali commutatur, quod simoniacum est attento principio generali. — Secus autem, si temporale valde remote sternit viam ad obtinendum spirituale, quia tunc temporale cum spirituali non commutatur.

Resolves: 1) *An simonia sit, dare pecuniam competitori, ut desistat a concurrentia ad beneficium, quod tu praetendis?* Sane, quia per pecuniam directe paratur via ad beneficium obtinendum. [4])

2) *An simonia sit, si quis det mediatori pecuniam, ut sibi beneficium obtineat?* Neg., quando pecunia datur pro labore a mediatore suscipiendo, et pecunia labori est proportionata, quia haec se habet remote ad consecutionem rei spiritualis et proinde res temporalis cum spirituali non commutatur. — Affir., quando pecunia datur pro ipsa mediatione et cum pacto, ut intercedat ad beneficium sibi obtinendum; nam tunc per temporale directe ac proxime sternitur via ad rem spiritualem obtinendam. [5])

3) *An sit simonia, pecunia se redimere ab injusta vexatione circa beneficium vel aliud spirituale?* Neg., si vexatio provenit ab iis, qui nequeunt jus spirituale concedere seu qui tantum obesse

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 54.

[2]) Idem n. 51.

[3]) Idem n. 52.

[4]) S. Alph. n. 104. *quaer.* 4. cum aliis communius.

[5]) Idem n. 64. et 65. La Croix: Lib. III. n. 90. et alii.

possunt, quia tunc liberatio a vexatione, quae sola intenditur, est aliquid mere temporale et hinc pretium datur pro re temporali. Sic e. g. si quis per diffamationem patronum impediat, quominus te eligat ad beneficium, potes diffamatori dare pecuniam, ut ab illa cesset diffamatione, quia in hoc casu tantum famam tueris, ita ut patronus adhuc in suo arbitrio maneat, te ad beneficium eligendi vel non eligendi. — Affirm., si vexatio provenit ab iis, qui illud spirituale concedere seu qui obesse et simul prodesse possunt, quia tunc vere datur temporale pro spirituali; e. g. si elector unus tibi suffragium injuste deneget, et tu pecuniam ei tradas, ne deneget votum, tunc vere temporale tradis pro spirituali, nempe pecuniam pro beneficio per voti ejusdem concessionem acquirendo. [1])

7. — **Regula IV.** *Non est simonia, pro pretio temporali dare temporale adnexum spirituali antecedenter,* modo pretium ratione spiritualis adnexi non augeatur, quia res temporales in tali casu a rebus spiritualibus separabiles et proinde vere in se aestimabiles sunt. Hinc licet vendere et emere vel permutare ceram benedictam, sacras reliquias pretiosis capsulis inclusas, rosaria indulgentiis instructa, vasa sacra, vestes sacras, quia in his omnibus res temporales sunt antecedenter adnexae rebus spiritualibus, nempe cera benedictioni, capsula reliquiis, pannus vestibus sacris etc., modo solius valoris rei temporalis ratio habetur. [2])

8. — **Regula V.** *Simonia est, pro pretio temporali dare temporale annexum spirituali concomitanter,* quia sic res sacra vendi censetur, quod simoniacum est juxta principium generale. — Hinc nefas est pro administratione Sacramentorum, pro celebratione Missae etc. aliquod pretium exigere, quia actus isti concomitanter seu inseparabiliter sunt conjuncti cum rebus sacris. — Non vero Simonia et proin licitum est accipere aliquid in s. ministerio: a) pro labore extrinseco, seu sine quo ministerium et functio spiritualis in se adhuc fieri potest, quia hic labor a re sacra separabilis et proinde in se aestimabilis est; b) ratione stipendii seu sustentationis, ut ex praxi Ecclesiae constat.

Hinc 1. licet pecuniam dare et accipere pro labore itineris ad sacrum celebrandum, pro dilatione Missae usque ad meridiem, pro cantu in Missa, pro baptismate domestico vel alio incommodo ex-

[1]) S. Alph. n. 99—102. et alii communiter.

[2]) Idem n. 72. Voit n. 504., et alii omnes.

terno in functionibus sacris, quia temporale datur pro labore extrinseco, qui tantum per accidens conjungitur cum re sacra ac proinde ab ipsa separabilis et in se aestimabilis est. [1])

Porro 2. permissum est, pro administratione Sacramentorum, pro celebratione Missae, pro funeribus, pro dispensatione in voto, in juramento, in impedimentis matrimonii etc. accipere pretium, non quidem pro ipsis actionibus sacris seu labore in functionibus istis intrinseco, sed tamquam stipendium ob honestam sustentationem secundum ordinationem Ecclesiae et consuetudinem approbatam. [2]) — Hinc quoque non est simonia, saltem probabilius, etsi peccatum sit, obire functiones sacras principaliter ob stipendium, quia stipendium non recipitur ut pretium rei sacrae. [3])

9. — **Regula VI.** *Simonia est, pro pretio temporali dare temporale adnexum spirituali consequenter,* quia tunc tantum spirituale vendi censetur, quod cum temporali commutare simoniacum est juxta principium generale. — Hinc nefas est vendere jus ad reditus beneficii, quia hoc consequenter adnexum est juri ad officium ecclesiasticum, quod spirituale est, et a quo nullo modo separari potest. [4]) Item non licet emere vel vendere jus vivendi de bonis monasterii, quia hoc necessario conjunctum est professioni, quae est spiritualis. [5])

B. De simonia juris humani.

10. — Jus Ecclesiae prohibet in quibusdam casibus dare vel accipere temporale pro temporali et spirituale pro spirituali, etsi hoc non sit intrinsece malum, ad speciem et periculum irreverentiae erga res sacras praecavendum. Simonia juris humani admittit parvitatem materiae, quia tantum contra Ecclesiae praeceptum agitur, in quo omnes materiae parvitatem admittunt. [6])

Simonia juris humani potissimum committitur:

1. Beneficia commutando, in alterius favorem resignando, pensiones reservando sine licentia episcopi.

2. Aliquid dando vel accipiendo occasione, qua fit examen parochiale (ex Conc. Trid. sess. 24. c. 18. de reform.), quod quidem Concilium prohibet, sive detur sive accipiatur ante vel post examen; et merito id statuit ad amovendum omne humanae affectionis periculum in examinatoribus.

3. Vendendo oleum benedictum vel s. chrisma etiam secundum speciem suam physicam. — Consuetudo tamen in quibusdam ecclesiis cathedralibus invaluit, ut aliquid accipiatur pro compensandis sumtibus factis in materia comparanda.

4. Vendendo partem coemeterii sacri; sed ex consuetudine pro loco materiali aliquid exigere licet.

5. Exigendo pecuniam pro admissione in ordinem religiosum ratione sustentationis, nisi vel lex vel consuetudo vel paupertas monasterii excuset. Possunt autem moniales semper acceptare dotes, prouti Clemens VIII. declaravit. [1])

C. De poenis in simoniacos statutis.

11. — Sola simonia realis et confidentialis in jure punitur, quamvis sit occulta, et quidem a) in religionis ingressu, et b) in beneficiis ecclesiasticis. Hae poenae sunt:

I. Quoad reos simoniae realis *ob ingressum in Religionem,* excommunicatio latae sententiae Romano Pontifici reservata. In Const. S. P. Pii IX. *Apostolicae Sedis* Art. X.

II. Quoad reos simoniae realis *in beneficiis quibuscunque* (sive haec sint saecularia sive regularia, sive altioris ordinis, ut episcopatus, dignitates, sive inferioris ordinis, ut beneficia simplicia) statuta est 1. excommunicatio latae sententiae Romano Pontifici reservata, quam etiam complices seu cooperantes incurrunt. Vi Constit. supra cit. Art. VIII.

2. Nullitas electionis, praesentationis et canonicae institutionis, ita ut sic promotus nequeat fructus beneficii facere suos, etiamsi pecunia data fuerit a tertia persona ipso ignorante. — Excipe a) si forte per triennium bona fide beneficium possedisset, vel b) si ille post cognitum simoniacum alterius consilium expresse contradixisset et tamen eo nescio alter pecuniam dedisset, vel c) si alius simoniam commisisset eo fine, ut illum redderet inhabilem. — Ubi notandum, quod etiam electiones regularium ad praelaturam, rectoratum etc. simoniace peractae irritae sunt.

3. Inhabilitas ad idem beneficium obtinendum. Dicitur: *ad idem,* nam ad alia beneficia non fit inhabilis, nisi post sententiam,

---

[1]) S. Alph. n. 55. 93.
[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 100. a. 3. S. Alph.: Lib. IV. n. 55. et 96.
[3]) S. Alph.: n. 55. La Croix: Lib. III. n. 62. et alii communius.
[4]) S. Alph. n. 70.
[5]) Scavini: Tom. II. pag. 140.
[6]) S. Alph. n. 50.

[1]) S. Alph.: H. A. Tract. IV. n. 43.

et si alia beneficia jam habet, ea retinere potest. Si vero inculpabili simoniae ignorantia beneficium adiit, poterit episcopus cum eo dispensare ad idem beneficium, dummodo prius illud beneficiatus renuntiet.

III. Propter simoniam confidentialem praeter poenas adversus realem statutas incurritur etiam privatio beneficiorum omnium jam antea obtentorum, sed probabiliter non ante sententiam criminis declaratoriam.

12. — Qui simoniace obtinuit beneficium, tenetur ad restitutionem, et quidem:

1. Pretium acceptum pro simoniaca collatione restituendum est illi, qui hoc tradidit; id autem intelligendum est ante rei traditionem. Ratio est, quia jura solum contra simoniam realem poenas statuunt. Si autem utrinque secuta traditio sit, tunc simoniacum pretium restituendum ecclesiae vel pauperibus in punitionem illius, qui pecuniam tradidit, nisi hic sit bona fide, quia tunc non videtur puniendus amissione suae pecuniae.

2. Fructus beneficii restituendi sunt ecclesiae, vel etiam dari possunt pauperibus aut successori in beneficio. Valde probabiliter autem non sunt restituendi fructus stolae, aliarumque functionum parochialium; quippe isti non recipiuntur ceu *reditus beneficii*, sed ut *stipendia officii.* [1])

* S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 100. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 49—104. — Suarez: De religione Lib. IV. Laymann: Theol. mor. Lib. IV. Tract. X. cap. 8. La Croix: Theol. mor. Lib. III. n. 57 —245. Elbel: Theol. mor. Decal. et Sacram. Tom. I. P. II. Conf. 19. et 20. Scavini: Theol. mor. universa Tom. II. Tract. V. Disp. III. c. 2. a. 4.

Casus.

13. — *Febronius sacerdos multis annis filios comitis cujusdam instruxit sub spe assequendae parochiae. Cum vero nuper vacasset beneficium, intercessionem comitissae efflagitavit, et patronus ad preces suae uxoris Febronio contulit parochiam. Quaeritur: 1. An hic sacerdos sine nota Simoniae potuerit servire comiti sub spe obtinendi ab eo aliquod beneficium? 2. An comes inciderit in Simoniam, beneficium ob preces uxoris suae conferendo sacerdoti?*

Resp. *ad 1.* Neg., quia nullum intervenit pactum dandi vel obtinendi spirituale pro temporali. Simoniacus autem esset Febronius, si ex pacto expresso vel tacito aliquando obtinendi beneficium collatoris filios instruxisset, quia tunc collatio beneficii se haberet veluti merces debita pro servitio. Cf. n. 5.

Ad 2. Negandum videtur, quia ad simoniam non sufficit, dare rem spiritualem ex motivo rei temporalis v. g. ob amicitiam, consanguinitatem, preces etc., sed

[1]) Vid. s. Alph.: Lib. IV. n. 105—112.

opus est, ut detur pro re temporali tamquam pro pretio, id est, in compensationem illius. Sic Laymann, Elbel, aliique, quibus accedit s. Alphonsus dicens, probabiliter non esse simoniacum episcopum, qui *ad preces alterius* etiam indigno beneficium confert, sed nullo habito respectu ad favorem humanum acquirendum: quia revera tunc nulla intervenit venditio (seu permutatio) spiritualis cum temporali. [1]) Ergo comes ille potest excusari a labe Simoniae, licet potuerit graviter peccare contra justitiam, si nempe contulerit hoc beneficium indigno cum damno Ecclesiae.

14. — *Titius electus in parochum, tribus jam transactis annis a sui beneficii possessione percipit, suos parentes, se ipso inscio, variis muneribus plura vota pro ipsius electione a parochianis obtinuisse. Quomodo Titius sic electus sibi consulere debet?*

Resp. Quamvis electio quaelibet Simonica ipso facto irrita sit, et proinde teneatur quilibet Simoniace electus beneficium dimittere statim ac percipit, se fuisse Simoniace electum, casu etiam, quo ipso inscio alii in ejus fervorem egerint: tamen Titius propter triennalem possessionem sibi consulere, et tuta conscientia in beneficio permanere potest. Vide supra n. 11.

Quid vero dicendum, si parentes in favorem ipsius Simoniace egissent, ipseque Titius hanc agendi rationem scivisset, ignorasset autem in tali casu Simoniam committi? — Tunc collatio beneficii quidem irrita foret, quia nullitas provisionis et inhabilitas ad idem beneficium statuuntur per canones in detestationem criminis ad praecludenda majora mala (Lib. I. §. 60. n. 3. et 4.); at vero in hoc casu episcopus posset dispensare et eum habilitare ad idem beneficium possidendum, supposito, quod ignorantia ipsius fuisset invincibilis et inculpabilis, coll. n. 11.

§. 80.

Epilogus.

Ex Libro s. Augustini de vera Religione. [2])

„Hortor vos, homines carissimi et proximi mei, meque ipsum hortor vobiscum, ut ad id quo nos per sapientiam suam Deus hortatur, quanta possumus celeritate curramus. Non sit nobis religio in phantasmatis nostris. Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Non sit nobis religio cultus bestiarum. Non sit nobis religio cultus daemonum, quia omnis superstitio, cum sit magna poena hominum et periculosissima turpitudo, honor est ac triumphus illorum. Non sit nobis religio terrarum cultus et aquarum. Non sit nobis religio vel ipsa perfecta et sapiens anima rationalis sive in ministerio universitatis sive in ministerio partium stabilita.

Religet nos religio uni omnipotenti Deo. Colere et tenere nos convenit unius substantiae Trinitatem, unum Deum, a quo sumus, per quem sumus, in quo sumus: a quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, a quo perire non permissi sumus: principium, ad quod recurrimus, et formam, quam sequimur, et gratiam, qua conciliamur:

[1]) Lib. IV. n. 52. [2]) cap. 55.

unum Deum, quo auctore conditi sumus, et similitudinem ejus, per quam ad unitatem reformamur, et pacem, qua unitati adhaeremus: Deum, qui dixit, Fiat; et Verbum, per quod factum est omne, quod substantialiter et naturaliter factum est; et Donum benignitatis ejus (Spiritum sanctum), quo placuit et conciliatum est auctori suo, ut non interiret quidquid ab eo per Verbum factum est: unum Deum, quo creatore vivimus, per quem reformati sapienter vivimus, quem diligentes et quo fruentes beate vivimus: unum Deum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in saecula saeculorum, Amen."

Caput II.

De virtutibus justitiae adnexis, quae Deum pariter ac hominem respiciunt.

§. 81.

De humilitate.

1. — *Humilitas* a s. Bernardo aptissime definitur *virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit.* [1])

Duplex a doctoribus eodem s. Doctore melifluo praecedente humilitas distingui solet, *humilitas cognitionis,* et *humilitas voluntatis.* [2]) Prior consistit in „verissima sui cognitione", videlicet, hominem a se ipso nihil esse, cum bona, quaecunque habeat, sive naturae sive gratiae, a Deo accepit, mala autem, quae ex se habet, defectus bonorum adeoque nihil sunt. Cf. Lib. I. §. 22. Unde s. Apostolus dicit: *„Si quis existimat, se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit."* Gal. 6, 3. Posterior consistit in sui vilipensione, per quam nimirum homo quoad ea, quae ex se ipso habet, nihil se aestimat. Quare idem Apostolus ait: *„Nihil minus fui ab iis, qui sunt supra modum apostoli, tametsi nihil sum."* 2. Cor. 12, 11.

2. — Notandum, humilitatem cognitionis non esse per se veram perfectamque virtutem humilitatis, quae quippe essentialiter in sui

[1]) Tractatus de gradibus humilitatis et superbiae, cap. 1. n. 2.

[2]) De adventu Domini Sermo IV. n. 4.: „Humilitas duplex est, altera cognitionis, altera affectionis. — Priore cognoscimus, quod nihil sumus: et hanc discimus a nobis ipsis, et ab infirmitate propria: posteriore calcamus gloriam mundi; et hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, qui etiam quaesitus in regnum, fugit; quaesitus ad tanta probra et ignominiosum supplicium crucis, sponte obtulit semetipsum."

ipsius vilipensione consistit, sed tamen fundamentum esse hujus virtutis, quatenus haec in vera sui cognitione nititur, [1]) quod quidem in praelaudata definitione satis liquide indicatur.

Humilitas optime componitur cum justa sui aestimatione; videlicet secundum ea, quae homo a Deo habet, seipsum debet aestimare, respectu eorum, quae a se habet, demisse de seipso sentire, sibique vilescere debet.

3. — *Objectum materiale* humilitatis est generatim vilipensio suimetipsius quoad omnia, quae homo ex seipso habet. *Objectum formale* seu motivum est specialis honestas hujus vilipensionis, siquidem adprime congruum est ordini recto, ut homo se non aestimet et efferat supra id, quod est.

4. — *Actus* hujus virtutis est praeprimis *subjectio hominis ad Deum,* deinde vero etiam *subjectio hominis ad alios propter Deum.* Sic jam s. Hieronymus dicens: *„In eo proprietatem ipsius* (humilitatis) *definimus, quod per omnia Deo subdimur. Nec potest quisquam de meritis suis pendere, quorum causas atque proventus non in se, sed in auctore suo constituit."* [2]) Item s. Bernardus: *„Humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit esse subjectos.* [3]) Idem s. Thomas tradit: *„Humilitas,* inquit, *praecipue respicit subjectionem hominis ad Deum, propter quem etiam aliis humiliando se subjicit."* [4])

Porro *subjectio hominis ad Deum* in eo sita est, quod homo omnimodam dependentiam suam a Deo sincere confitetur, ad omnia bona se ineptum donisque divinis indignum reputat, omnem honorem saltem implicite in Deum refert, atque Deo se tradit sicut opus suo factori, ut de eo Deus disponat pro suo beneplacito in omnibus, praesertim in iis, quae ad hanc vitam pertinent.

Subjectio hominis ad alios sic se exserit, quod homo super alios non inordinate se extollit, alios honore aequare vel superare non concupiscit, vituperationem et contemptum tranquille perfert, infimum et novissimum locum inter alios obtinere appetit, seque ab illis tamquam Dei instrumentis gubernari sinit.

5. — Inde est, quod s. Bernardus humilitatem ad justitiam refert. [5]) Cum enim illa se in omnibus Deo submittat, Deo praestat, quod ipsi debitum est.

[1]) S. Thomas: 2. 2. q. 261. a. 2. c.

[2]) Epist. ad Demetr.

[3]) In Nativitate Domini Serm. 4. n. 2.

[4]) 2. 2. q. 161. a. 1. ad 5. Item q. 161. a. 2. ad 3.; a. 5. c.

[5]) In Psalm. 90. *Qui habitat.* Serm.

PRINCIPIA.

6. — **Principium I.** Humilitas fundamentum est omnium virtutum, hocque intuitu primum locum tenet. Est doctrina communis ss. Patrum et Theologorum. S. Joannes Chrysostomus ait: „*Ubique modum servemus, et bonis operibus nostris humilitatem quasi fundamentum et scabellum substruamus, ut secure virtutes superstruere valeamus. Virtus enim non est, nisi conjunctam habeat humilitatem. Qui hoc fundamentum recte jecerit, poterit, in quantam voluerit altitudinem, structuram excitare.*“ [1]) S. Augustinus monet: „*Magnus esse vis, de minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.*“ [2]) S. Bernardus ait: „*Nisi super humilitatis stabili fundamento spirituale aedificium stare minime potest.*“ [3])

Fundamentum autem omnium virtutum humilitas est *non directe*, seu per quod jam ad Deum acceditur; sic enim sola fides est supernaturalium fundamentum virtutum, quia per eam primus accessus ad Deum est: „*Accedentem ad Deum oportet credere*“ (Hebr. 11. 6.), *accedere est credere*, ait s. Augustinus, [4]) *qui credit, accedit, qui negat, recedit.* Humilitas fundamentum est *indirecte*, quatenus nempe removet impedimentum gratiae accipiendae, quae est origo et custodia virtutum: „*Deus* enim *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*“ Jac. 4, 6. Humilitas est conditio gratiae, gratia conditio virtutis. Ita s. Thomas [5]) aliique communiter.

7. — **Principium II.** Humiles esse debemus ex exemplo et praecepto divini nostri Salvatoris. Videlicet „*Semetipsum exinanivit, — — humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*“ Philipp. 2, 7. 8. Nosque monet: „*Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.*“ Matth. 11, 29. In specie quod attinet humilitatem seu subjectionem ad Deum, eam praecipit s. Petrus: „*Humiliamini sub potenti manu*

XIV. n. 10. Serm. in Octav. Epiphaniae n. 4.

[1]) Homilia XXXV. in Genes.

[2]) Serm. 69. (alias 10. de verbis Domini) n. 2.

[3]) In Cant. Serm. 36. n. 5.

Qua ratione praecipuae virtutes, fides, spes, charitas, patientia, castitas, obedientia, devotio in humilitate fundentur, perbene ostendit Alphons. Rodriguez: Uebung der christl. Vollkommenheit. übers. von Christoph Kleyboldt. II. Band. 3. Abhandl. 3. Cap. (2. Aufl. Mainz 1857.), sicque merito concludit: „Willst du also ein kurzes Mittel, um dir rasch alle Tugenden zu erwerben und bald zur Vollkommenheit zu gelangen, hier hast du es: „*Sei demüthig.*“

[4]) In Joa. Tract. 48.

[5]) 2. 2. q. 161 a. 5. ad 2.

Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.“ 1. Petr. 5. 6. Pariterque humilitatem seu subjectionem ad homines idem s. Apostolus his verbis injungit: „*Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum*“ 1. Petr. 2. 13.

Etiam lex naturalis humilitatem dictat, nempe exigendo, ne homo plus vero se aestimet atque efferat. [1]) Eam tamen philosophi gentiles ignorarunt, non enim intellexerunt, nisi forte perpauci, dicit Lessius, [2]) quo modo homo nihil ex se boni, sed solum defectum et malum habeat: et quo modo omne bonum ex liberali Dei munere dependeat.

8. — **Principium III.** Humilitatis sunt tres gradus, quos eleganter sic exprimit s. Bernardus: „*Humilitas, alia sufficiens, alia abundans, alia superabundans. Sufficiens, subdi majori, nec praeferre se pari. Abundans, subdi pari, nec praeferre se minori. Superabundans, subdi minori.*“ [3])

An vero melior potest se aliis vel omnibus viliorem reputare, adeoque major se subdere minori absque falsitate? — Sane, etenim a) potest aliquis, ut dicit s. Thomas, [4]) reputare aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est; e. g. qui donum habet virginitatis, alium matrimonio copulatum existimare potest se meliorem, cogitans, se forte ab illo aliis pluribus ac potioribus donis superari, ut patientiae, mansuetudinis, atque ipsius humilitatis. [5]) Vel b) potest judicare, quod alii si easdem gratias accepissent, quas ipse accepit, melius Deo serviissent, quam ipse. Vel c) potest perpendere, quod si Deus eum non custodiisset, peccata, quae videt ab aliis commissa, atque illis etiam graviora ipse patrasset: „nullum enim est peccatum, quod facit homo, quod non possit facere et alter homo, si desit rector, a quo factus est homo“, dicit s. Augustinus. Hoc sensu Christus Dominus dicit: „*recumbe in novissimo loco.*“ Luc. 14. 10. i. e.

[1]) Unde s. Greg. M. ait: „*Contra naturam superbire est.*“ Lib. 21. Moral. c. 15. n. 23.

[2]) De justitia ceterisque virtut. cardin. Lib. IV. cap. 4. Dub. VII. n. 55.

[3]) Sententiae s. Bernardi n. 37.

[4]) 2. 2. q. 161. a. 3. c.

[5]) Estius Comment. in epist. ad Philipp. 2. 3. — S. Bernardus dicit: „— aliorum altiora semper attendas, quia in eo plenitudo constat humilitatis. Nam *si forte in re aliqua major tibi fratre aliquo gratia collocata videtur: sed in multis* (si bonus aemulator fueris) *judicare te poteris inferiorem.* Quid enim si forte laborare aut jejunare plus illo potes, et ille te patientia superat, praecedit humilitate, supereminet charitate?“ Serm. 36. de diversis n. 3. Similiter: In Cant. Serm. 37. n. 7.

omnibus te inferiorem reputa, infra omnes te humilia. Et Apostolus Paulus: „*in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.*“ Phil. 2, 3.

9. — Humilitati opponitur 1. per excessum inordinata sui abjectio, quae fit cum neglectu muneris sui vel cum damno eorum, quibus prodesse quis deberet. 2. Per defectum superbia, quae est inordinatus appetitus sive amor propriae excellentiae. Dixi *inordinatus,* velle enim ab aliis cognosci, bona opera sua ab aliis approbari, appetere honorem et favorem hominum, secundum se est indifferens, et honestum fit debitis mediis ex motivo honesto e. g. ad procurandam Dei gloriam et salutem proximi. [1]) Sed maxime cavendum, ne mentiatur iniquitas sibi!

Non est contra humilitatem, dona divina, quae quis possidet, veraciter agnoscere, eaque praeferre donis Dei, quae aliis collata apparent Eph. 3. 5., et maximi aestimare; dummodo qui gloriatur, non in se, sed in Domino glorietur. Imo bonorum divinorum consideratio valde commendanda, utpote quae ad gratam humilitatem, humilemque gratitudinem excitandam et fovendam maximopere conducit; unde etiam secundum Apostolum „*accepimus Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo data sunt nobis.*“ 1. Cor. 2, 12.

* S. Basilius: Homilia 20. S. Joannes Chrysostomus: Homilia 4. de mutatione nominum. S. Augustinus Serm. 69. 123. et 160. S. Leo M. Serm. 36. (in Epiphaniae Solemn. 7.). S. Gregorius M.: Homilia 12. in Evang. S. Bernardus: De diversis Serm. 20. In Cant. Serm. 34. et 42. Tractatus de Gradibus humilitatis et superbiae 22 capitibus absolutus. B. Albertus M.: Paradisus animae seu Libellus de virtutibus, cap. 2. (Ed. nova Ratisb. 1864.). S. Bonaventura: Pharetra Lib. IV. cap. 12. Diaeta salutis Tit. VII. cap. 1. S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 161. et 162. S. Franciscus Salesius: Philothea, Par. III. cap. 4—7. S. Alphonsus: Die wahre Braut Jesu Christi, I. cap. 1. — Leon. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. IV. cap. 4. Dubit. VII. et VIII. Stapf: Theol. mor. Tom. II. P. II. Sect. 3. cap. 1. Martin: Lehrbuch der kath. Moral. §§. 182—187. Palasthy: Theologia morum cath. P. II. pag. 290. et sq.

§. 82.

De superbia.

1. — Superbia est vel perfecta vel imperfecta. *Perfecta* quidem dicitur, quando quis adeo se effert, ut bona, quae possidet, non

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 132. a. 1. Sapienter animadvertit s. Augustinus: „Quid est superbia, nisi perversae celsitudinis appetitus: Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhaerere, principio, sibi quodam modo fieri atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet. Sibi vero ita placet,

Deo, sed sibi attribuat, Deo et superioribus subesse nolit, alios graviter contemnat. *Imperfecta* est, qua homo solum plus justo se aestimat et effert, quin subjectionem Deo et superioribus debitam recuset vel alios graviter despiciat. — Superbia perfecta est peccatum mortale ex toto genere suo, unde *superbi et elati* numerantur inter eos, qui *digni sunt morte* Rom. 1. 32. *Imperfecta* per se tantum est veniale peccatum. Ita communiter. [1])

2. — Superbia (perfecta) est formalis et directa *aversio a Deo,* quia in aliis peccatis homo a Deo avertitur vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, vel propter concupiscentiam, in superbia autem a Deo avertitur eo, quod non vult Deo et regulae ejus subjici; et ideo aversio a Deo, quae est quasi consequens in aliis peccatis, ad superbiam per se pertinet. Ita sapienter s. Thomas. [2]) Superbia est aperta *rebellio contra Deum,* quia divinae voluntati se opponit, quamobrem superbi soli sunt, quibus Deum resistere, contra quos gloriam majestatis suae quasi tueri legimus (Jac. 4, 6. 1. Petr. 5, 5.) [3]) Superbia est *luxuriae seminarium,* [4]) imo *initium omnis peccati* (Eccli. 10. 15.), denique *caput et regina vitiorum.* [5])

3. — Superbiae, utpote vitii capitalis, sequentes sunt filiae: 1. *Praesumptio* (prout humilitati, non spei opponitur), quae est appetitus adgrediendi aliquid supra vires (v. c. potestatem ordinis sacri, officium confessarii sine debita peritia). 2. *Ambitio,* quae est inordinatus appetitus honoris non debiti vel modo et medio non debito. 3. *Vana gloria* seu inordinatus affectus laudis humanae. Huc reducuntur *jactantia, ostentatio* et *hypocrisis,* prouti quis vel verbis, vel factis, vel fictis virtutis signis se extollit ad laudem humanam

cum ab illo bono incommutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi.“ De Civit. Dei Lib. 14. cap. 13. n. 1.

[1]) S. Thom.: 2. 2. n. 162. a. 5. S. Alphons.: L. II. n. 65.

[2]) 2. 2. q. 162. a. 6. c., et a. 7. c.

[3]) Boëtius: „— *cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo opponit.*“ Vide d. Thom. 2. 2. q. 162. a. 6. c.

[4]) S. Gregor. M.: Lib. 26. Moral. cap. 17. n. 28. S. Augustinus docet: „Hoc enim expedit, inferius subjici superiori: ut et ille, qui sibi subjici vult, quod est inferius se, subjiciatur superiori se. Agnosce ordinem, quaere pacem: Tu Deo, tibi caro. — Si contemnis Tu Deo, numquam efficies, ut Tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris a servo.“ Enarr. in Ps. 143. n. 6. Bene etiam Angelicus ex ss. Patribus notat: „— *ad convincendam superbiam hominum Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia: quae etsi sint minora tamen manifestiorem turpitudinem continent. — Qui detinetur superbia et non sentit, labitur in carnis luxuriam, ut per hanc humiliatus a confusione exurgat.*“ 2. 2 q. 162. a. 6. ad 3.

[5]) S. August.: Enarr. in Ps. 18. n. 15. S. Greg. M.: Libr. 31. Moral. cap. 45. n. 87.

captandam. Porro inter filias superbiae communiter recensentur *contentio, discordia* et *inobedientia,* de quibus, ultima excepta, jam sermo habitus est. Haec omnia autem sunt mortalia vel venialia peccata, pro gravitate materiae, damni, finis etc. [1])

4. — Cum Christus dicat: *„Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est."* Matth. 5. 16.; et alia occasione moneat: *„Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua."* Matth. 6. 3.; hinc quaeritur, utrum actus virtutis sint manifestandi aliis, vel occultandi? — Respondetur: Opera *communia* et ad virtutem christianam necessaria exerceri debent palam, non tamen ad hominibus, sed Deo placendum, ut e. g. audire Missam, Sacramenta frequentare, orationes consuetas peragere. Opera supererogationis, quae sapiunt *singularitatem,* ut e. g. mortificatio extraordinaria, occultari debent, quantum possibile est. [2])

5. — An est contra humilitatem, res a se laudabiliter gestas aliis narrare? — Si id fiat ad laudem humanam captandam, est peccatum jactantiae. Nullatenus autem humilitati adversatur, si hujusmodi res enarrantur ad finem honestum et laudabilem, nempe ad Dei gloriam, ad aliorum aedificationem et profectum spiritualem, ad justam defensionem et infamiae depulsionem. [3])

* S. Gregorius M.: Lib. 34. Moral. cap. 22. et sq. S. Anselmus: Epist. Lib. III., ep. 75. (de tribus modis superbiae). Oratio 3. (contra inanem gloriam, invidiam et superbiam). S. Bernardus: Tractatus de gradibus humilitatis et superbiae, a cap. 10. usque ad finem. Sermo 47. de diversis (alias 3. de parvis). S. Bonaventura: Centiloquium P. I. Sect. 17. et 18. (de superbia et inani gloria). Pharetra Lib. II. cap. 6. (multa ex ss. Patribus). Diaeta salutis Tit. I. cap. 3. (novem superbiae comparationes). S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 162. S. Alphonsus: Theol. moral. Lib. II. n. 65—67. — Leon. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. IV. cap. 4. Dub. 8—10. Jocham: Moraltheologie III. Th. S. 610—614.

S. Augustinus de necessitate humilitatis.

„Non aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem, non quo alia non sunt praecepta, quae dicantur, sed nisi humilitas omnia, quaecunque bene facimus, et praecesserit et comitetur et consecuta fuerit, et proposita, quam intueamur, et opposita, cui adhaereamus, et imposita, qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Vitia quippe cetera in peccatis, superbia vero etiam in recte factis timenda est, ne illa, quae laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Itaque sicut rhetor ille nobilissimus (Demosthenes) cum interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiae praeceptis observari oportere. Pronuntiationem, dicitur respondisse; cum quaereretur, quid secundo, eamdem pronuntiationem; quid tertio, nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: ita si interrogares, et quoties interrogares de praeceptis Christianae religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem liberet, etsi forte alia dicere necessitas cogeret." [1])

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 102. a. 4. S. Alph.: Lib. II. n. 66. et 67. Voit: P. I. n. 319.

[2]) Vid, s. Alph.: H. A. Append. I. §. 3. n. 27.

[3]) Fuse hoc de argumento disserit P. M. Benedictus XIV.: De Servorum Dei Beatif. etc. Lib. III. cap. 40. §. 5. et sq.

§. 83.

De obedientia et vitiis oppositis.

1. — *Obedientia est virtus, quae promptam reddit hominis voluntatem ad implendam voluntatem alterius, scilicet praecipientis.* Sic Angelicus Doctor. [2]) Differt a pietate et observantia in eo, quod utraque haec respicit personam excellentem, obedientia autem praeceptum personae excellentis. [3])

2. — *Objectum materiale* obedientiae est praeceptum superioris, sive *expressum* i. e. disertis verbis enuntiatum, sive *tacitum* i. e. signis sufficienter manifestatum. [4]) Unde colligitur, obedientiam se extendere ad omnes actus virtutum, quatenus sunt praecepti. [5])

Objectum formale seu motivum ejusdem virtutis est specialis honestas relucens in eo, quod quis servat praeceptum, quia praeceptum est. [6])

[1]) Epist. 118. (al. 56.) ad Dioscorum n. 22.

[2]) 2. 2. q. 104. a. 2. ad 3.

[3]) ibid ad 4.

[4]) S. Thomas: „Obedientia est specialis virtus, et ejus speciale objectum est praeceptum tacitum vel expressum. Voluntas enim superioris quocunque modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum. Et tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate tamen superioris intellecta." 2. 2. q. 104. a. 2. c.

[5]) S. Thomas: 2. 2. q. 104. a. 3. ad 2.

[6]) Lessius: De justitia etc. Lib. II. cap. 46. Dub. 4. n. 23. Reuter: P. II. n. 230.

Sed potest obedientia etiam ex motivo alterius virtutis praestari. Quod si fiat ex affectu erga excellentiam Dei, erit actus religionis; si fiat ad colendos parentes, erit actus pietatis; si ideo, quia id postulat dignitas Pontificis, ut Vicarii Christi, actus observantiae religiosae; si fiat, quia placet Deo, actus charitatis; si, quia placet superioribus, actus benevolentiae erga ipsos erit. Si vero praecise ideo obedientia praestatur, quia honestum est obtemperare praecepto superioris, est actus obedientiae.

PRINCIPIA.

3. — **Principium I.** Obedientia longe excellentior et laudabilior est ceteris virtutibus moralibus, religione excepta. Est doctrina communis,[1] quae sic probatur: 1. *Obedientia,* s. Gregorius inquit, *sola virtus est, quae ceteras menti inserit, insertasque custodit.*[2] Similiter s. Augustinus dicit, obedientiam esse virtutem, *quae in creatura rationali mater quodammodo est omnium, custosque virtutum.*[3] Obedientia videlicet impellit ad actus exercendos omnium virtutum, quando sub praeceptum cadunt (e. g. nunc ad orandum, nunc ad jejunandum etc.), per quos subinde virtutes generantur, augentur, custodiuntur.[4] — 2. Per obedientiam propria relinquitur propter Deum voluntas, quae est bonum animae et praecipuum quidem homini, quatenus homo est. Itaque hoc ipsum propter Deum abdicare, profecto majoris pretii et excellentiae est, quam bona quaecunque alia propter Deum relinquere. Unde praeclare s. Gregorius ad verba s. scripturae: *„Melior est obedientia, quam victima."* 1. Reg. 15. 22. animadvertit: *per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur.* Et Doctor Angelicus[5]) ait: *„Nihil majus potest homo dare Deo, quam quod propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subjiciat."*

Praestat igitur obedientia ceteras virtutes morales, — *religione tamen excepta;* quia haec propinquius se habet ad Deum, quam

[1]) S. Thomas: 2. 2. q. 104. a. 2. ad 4., a. 3. ad 1. Lessius: l. c. Dubit. IV. n. 26. Reuter: P. II. Tr. III. n. 230.

[2]) Libr. 35. Moral. cap. 12. n. 28.

[3]) De Civitate Dei Lib. XIV. cap. 12.

[4]) Hinc tamen non sequitur, esse obedientiam omnibus virtutibus *priorem:* tum, quia illa necessario prior est, qua auctoritas praecipientis innotescit, nempe fides: tum, quia saepe actus aliarum virtutum fiunt absque praecepto; tum, quia infusio gratiae et virtutum potest praecedere omne opus virtutis, ut patet in parvulis. Ita d. Thomas: 2. 2. q. 104. a. 3. ad 2.

[5]) 2. 2. q. 186. a. 5.

obedientia. Religio enim Deum, qui praecipit, colit, obedientia vero ad ejus praeceptum duntaxat attendit.[1])

4. — **Principium II.** Tenentur omnes Deo obedire in omnibus, tenentur subditi superioribus suis obedire in eis, in quibus subjiciuntur illis, nisi sint contra Dei voluntatem.

Dico 1. *Tenentur omnes Deo obedire,* quia ipse est supremus Dominus omnium, cui igitur omnes subduntur. Lib. I. §. 26. n. 2. Equidem *in omnibus,* quando quidem quoad omnia, et interiora et exteriora, Deo subjiciuntur.[2]) Porro *„omnia serviunt ipsi."* Psalm. 118. 91. Nonne ergo voluntates etiam omnes servire in omnibus obediendo debent imperio divino?

Dico 2. *Tenentur subditi obedire superioribus suis,* quia hi vi potestatis sibi divinitus datae dominantur et imperant illis. Rom. 13. 1—7. Si Deo parendum est, certe etiam vicariis ejus. Subditur: *in iis, in quibus subjiciuntur illis,* ut v. c. miles duci exercitus in his, quae pertinent ad militiam; servus domino in iis, quae spectant ad opera servilia; filius patri in his, quae concernunt disciplinam vitae et curam domesticam.

Restringitur adhuc obedientia additis verbis: *nisi praecepta sint contra Dei voluntatem.* Etenim *„obedire oportet Deo magis, quam hominibus."* Act. Apost. 5, 29. Hinc apte s. Augustinus: *„Si quid jusserit curator, numquid est tibi faciendum, si contra Proconsulem jubeat? Rursum, si quid Proconsul jubeat, et aliud imperator, numquid dubitatur illo contempto huic esse serviendum? Ergo si aliud imperator, aliud Deus jubeat, contempto illo, obtemperandum est Deo."*[3])

5. — Obedientia hominibus praestanda non est alia virtus, quam obedientia, quae Deo praestatur, quia dum hominibus obtemperatur, Deo ipsi obtemperatur, a quo quippe superiores humani potestatem praecipiendi habent, et cujus vices gerunt. Hoc indicat s. Bernardus scribens: *„sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura,*

[1]) Cajetanus: in 2. 2. q. 104. a. 3. Lessius: De Virtut. Cardin. Lib. II. cap. 46. Dubit. V. n. 36 Suarez: De virtute et statu religionis Lib. III. cap. 9. n. 15.

[2]) S. Thomas: 2. 2. q. 104. a. 4. a. 5. ad 2.

[3]) Serm. 62. (alias 4. de verbis Domini cap. 8. n. 13. S. Thomas: 2. 2. q. 104. a. 5.

pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non praecipit homo." [1]) Idem s. Thomas [2]) aliique [3]) docent.

6. — Ad materiam de obedientia superioribus humanis deferenda spectant quaestiones sequentes: 1) Utrum subditus *dubitans*, an res praecepta sit licita, possit et debeat obedire? an tunc, si *probabiliter* vel etiam *probabilius* ipsi videatur illicita esse res praecepta? 2) An subditus teneatur obedire, quando *probabiliter* opinatur, praeceptum non esse impositum? 3) An in dubio, utrum praeceptum excedat potestatem superioris? 4) An tunc, si dubium subest, utrum ille, qui praecipit, sit legitimus superior? — Quas quidem quaestiones hic discutere, plane abundaret, cum earum resolutiones ex doctrina de conscientia dubia et de conscientia probabili liquido pateant. [4])

7. — **Principium III.** Obedientiae sunt tres gradus. *Primus* gradus est, opere tantum praeceptum tempore et modo determinato implere. Et tanto quidem exactior videtur obedientia, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate tamen superioris intellecta. Ita s. Thomas [5]) cum Alberto M., [6]) s. Bernardo [7]) et aliis. — Hujusmodi autem obedientia externa virtutis nomen haudquaquam meretur, nisi ad voluntatis submissionem pertingat.

Altior, nempe *secundus* gradus est, non operis tantum executione, sed voluntatis simul submissione superiori obedire, sicque idem velle, idem nolle cum superiore praecipiente. Haec est vera obedientiae virtus, quam praecipit Apostolus dicens, obediendum esse „*ex animo*" i. e. non coacte, sed sincere „*cum bona voluntate*" i. e. non morose et fastidiose, sed prompte et libenter, „*sicut Deo,*" cujus nempe personam, et auctoritatem superiores repraesentant. (Ephes. 6, 6. 7.)

Tertius demum gradus est, non solum operis executione, et voluntatis submissione, verum etiam judicii oblatione superiori obtemperare, sicque absque discussione idem sentire, quod ille; nisi manifeste appareat, iniquum esse mandatum. Haec est perfecta

[1]) Libr. de praecepto et dispensatione cap. IX. n. 19.; similiter ibid. n. 21.

[2]) 2. 2. q. 104. a. 2. ad 4.

[3]) Lessius l. c. Dubitatio V. n. 26. Suarez: De virtute et statu religionis Lib. III. cap. 6. n. 7. ut *probabile*.

[4]) Ceterum legatur s. Alphonsus: Theol. moral. Lib. V. n. 47.

[5]) 2. 2. q. 104. a. 2. c.

[6]) De virtut. cap. 3. n. 2. „*Verus obediens numquam praeceptum expectat, sed solum voluntatem Praelati sciens, vel credens, ferventer exequitur pro praecepto; exemplo Domini nostri Jesu Christi, cui voluntas et complacentia Patris summum praeceptum fuit.*"

[7]) Serm. 41. n. 7. „Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, *praeripit praecipientem*, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem."

obedientia, *caeca* etiam dici solita, quam merito laudibus extollunt ss. Patres et Doctores, [1]) cum per eam homo totum abneget semetipsum atque offerat holocausti instar Deo suo. Hanc obedientiam Deo, hanc Ecclesiae magisterio infallibili praestare stricte tenemur, id, quod confirmatur ex eo, quod Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini* 16. Julii 1715. damnavit opinionem quorundam existimantium, ad obedientiam Apostolicis Constitutionibus editis contra quinque Jansenii propositiones debitam non requiri, ut quis Janseniani libri sensum in quinque illis propositionibus damnatum interius ut haereticum damnet, sed satis esse, de hac re *obsequiosum* (ut vocabant) *silentium* tenere. Aliis superioribus eandem obedientiam exhibere, maxime laudabile atque meritorium est, imo aliquo modo etiam necessarium, quatenus nimirum voluntatis motus multum pendet a rationis judicio, adeoque vix aliquis, sicut necesse est, praecepto superioris cum submissione voluntatis obtemperabit, nisi judicium suum in sententiam superioris bene inclinaverit.

8. — Obedientiae opponitur 1. per excessum *servilitas* seu obedientia indiscreta, quae etiam in illicitis obtemperat; 2. per defectum *inobedientia,* quae semper est peccatum mortale, quando nascitur ex contemptu *formali* praecipientis vel praecepti, ut dictum est Lib. I. §. 56. n. 5., secus vero vel mortale vel veniale est pro ratione materiae. Ad rem s. Bernardus: „*Differunt neglectus et contemptus mandatorum; neglectus quidem languor inertiae est, contemptus vero superbiae tumor. Porro contemptus in omni specie mandatorum pari pondere gravis et communiter damnabilis est.*" [2])

* S. Gregorius Nyss.: Oratio in eos, qui castigationes aegre ferunt (Op. Tom. III.). S. Gregorius M.: Lib. 35. Moral. cap. 14. (n. 28—34). S. Bernardus: Sermo 41. Lib. de praecepto et dispensatione cap. 5—12. (de obedientia religiosorum). B. Albertus M.: Paradisus animae cap. 3. S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 104. et 105. S. Bonaventura: Pharetra Lib. II. cap. 43. et 44. — Lessius: De justitia ceterisque virt. card. Lib. II. cap. 46. Dub. 4. 5. et 6. Patiss: Der Gehorsam. Regensburg 1861.

[1]) S. Basilius Constit. monast. cap. 23. „Quemadmodum pastori suo oves obtemperant, et viam quamcunque ille vult, ingrediuntur, sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, *nihil omnino illorum jussa curiosius perscrutantes, quando libera sunt a peccato.*" S. Gregorius: Lib. 2. c. 4. in I. Reg.: „*Vera obedientia nec Praepositorum intentionem discutit, nec praecepta discernit, quia qui omne vitae suae judicium majori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi praecipitur, operatur; nescit enim judicare, quisquis perfecte didicerit obedire.*" Similiter B. Albertus M.: De virtut. cap. 3. n. 2. S. Bernardus: De praec. et dispens. cap. 10. n. 23.

[2]) Lib. de praecepto et disp. c. 8. n. 18.

S. Gregorius M. in obedientiae commendationem.

„Quia ad ostendendam virtutem obedientiae occasio opportuna se praebuit, libet hanc paulo vigilantius discutere, et quanti sit meriti demonstrare. Sola namque virtus est obedientia, quae virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Unde et primus homo praeceptum, quod servaret, accepit, cui se si vellet obediens subdere, ad aeternam beatitudinem sine labore perveniret. Hinc Samuel ait: *Melior est obedientia, quam victimae* (1. Reg. 15. 22.) Obedientia quippe victimis jure praeponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos repressa arbitrii sui superbia, gladio praecepti se immolat. Hinc per Salomonem in ostensione obedientiae dicitur: *Vir obediens loquitur victorias* (Prov. 21. 28.) Vir quippe obediens victorias loquitur; quia dum alienae voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Hinc in Evangelio Veritas dicit: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras: quia de coelo descendi, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* (Joa. 6. 37.) Cum igitur non suam, sed Patris voluntatem facit, eos qui ad se veniunt, foras non ejicit: quia dum exemplo suo nos obedientiae subjicit, viam nobis egressionis claudit. Hinc rursum ait: *Non possum ego a me ipso facere quidquam, sed sicut audio, judico.* (Joa. 5. 30.) Nobis quippe obedientia usque ad mortem servanda praecipitur. Ipse autem, si sicut audit, judicat, tunc quoque obedit, cum judex venit. Ne igitur nobis usque ad praesentis vitae terminum obedientia laboriosa appareat, Redemptor noster indicat, quia hanc etiam cum judex venerit, servat. Quid ergo mirum, si homo peccator se obedientiae in praesentis vitae brevitate subjicit, quando hanc mediator Dei et hominum et cum obedientes remunerat, non relinquit?“ [1])

§. 84.

De gratitudine cum vitiis oppositis.

1. — *Gratitudo est virtus, qua benefactoribus gratiam recompensamus.* [2]) Haec principaliter Deum respicit, summum et maximum

[1]) Lib. 35. Mor. cap. 14. n. 28.

[2]) Sic brevissime et rectissime s. Thomas, dum alii solent in definitione hujus virtutis esse longiores. Dicit enim: „— *gratia seu gratitudo* (est virtus specialis), *quae benefactoribus gratiam recompensat.*“ 2. 2. q. 106. a. 1. c. „*Recompensatio beneficiorum ad virtutem gratitudinis specialiter pertinet.*“ *ibid.* ad 3. Ipsum sequitur Benedictus XIV. De

nostrum benefactorem; dein vero se extendit ad alios, a quibus aliquid beneficii accipimus, ut sunt parentes, superiores.

Objectum materiale gratitudinis est compensatio beneficii accepti. *Objectum* ejusdem *formale* seu motivum est specialis honestas talis compensationis; decet enim, benefactori aliquo modo satisfacere pro dono accepto. [1])

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Gratitudo magis in affectu,* nempe animo benigno recipientis *quam in effectu,* seu actu externo *consistit.* Sic Doctor Angelicus [2]) cum aliis. Compensatio beneficii enim naturae beneficii debet respondere. Atqui beneficium magis secundum *affectum* seu animum et voluntatem benefactoris, quam secundum *effectum* seu quantitatem rei datae consideratur et aestimatur. Ergo etiam recompensatio beneficii magis in affectu recipientis, quam in effectu consistit.

3. — *Affectu* beneficii accepti recompensatio fit per benignam gratiae agnitionem seu aestimationem: et ad hanc omnes et statim dono accepto obstringuntur. [3]) Qui benigne accipit et aestimat donum, jam incipit compensationem; affectui enim donatoris quodammodo satisfacit, quandoquidem gaudio ille afficitur videns, beneficium suum gratum esse, et aliquid commodi vel solaminis adferre donatario. [4])

Effectu beneficii compensatio fit per gratiarum actionem et beneficii retributionem. Gratiarum actio est revera quaedam beneficii compensatio, quia per eam honoratur benefactor, et alter se illi quodammodo submittit tamquam majori. Hinc fit, quod illa non semper est necessaria, nec solet usurpari a magnatibus erga homines infimae sortis. [5]) Demum beneficii retributio fieri debet aut alio beneficio, aut obsequio, pro temporis opportunitate, et pro facultate recipientis. [6])

Servor. Dei Beatif. Lib. III. cap. 24. n. 18.

[1]) S. Thomas: „— *qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honestatis, ut similiter aliquid gratis impendat.*“ 2. 2. q. 106. a. 6. c. Cf. a. 4. ad 1. q. 107. a. 1. c. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 47. Dub. II. n. 14.

[2]) 2. 2. q. 106. a. 3. ad 5; a. 4. c.; a. 6. ad 1. Hinc s. Ambrosius de fratre suo Satyro scribit: „— judicabat enim divinae solutionem gratiae in *affectu* ac fide esse; quam quidem statim ubi primum copia liberior Ecclesiae fuit, implere non distulit.“ Lib. I. de excessu fratris sui Satyri n. 48.

[3]) Idem Angelicus: 2. 2. q. 106. a. 4.

[4]) Lessius l. c.

[5]) Idem l. c.

[6]) S. Thom. 2. 2. q. 106. a. 4. q. 107. a. 2. c. Lessius l. c.

Conficitur hinc, beneficii recognitionem, gratiarum actionem et doni retributionem esse gratitudinis actus atque gradus. [1])

4. — **Principium II.** *Gratitudinem omnibus benefactoribus debemus.* Constat ex jure positivo divino. Monet enim s. Paulus: „*Grati estote*“ 2. Thess. 6. Idem habetur in jure naturae; dictat enim unicuique recta ratio, bonum bono esse recompensandum. [2])

5. — **Principium III.** *Praeprimis autem erga Deum gratos nos exhibere tenemur.* Etenim Deus summus est atque maximus hominum benefactor, — sive a) spectemus Ipsius dantis sublimitatem, quae est infinita, — sive b) ponderemus dona ab Ipso collata, quae plane innumera sunt atque immensa, generalia et particularia, naturalia et supernaturalia, — sive c) consideremus Dei benefacientis affectum, qui est summa benignitas et liberalitas, quandoquidem nobis beneficio prorsus indignis, supplicio dignis beneficia dignatur conferre tam multa, tam magna, equidem non ut Ipsi inde sit melius, sed ut nobis sit quam optime, utque per illa nos ad naturae ac beatitudinis suae participationem perducat.

Pro omnibus, sive prospera sint, sive adversa, gratitudinem Deo exhibere debemus; ex eadem quippe charitate Deus dat consolationem et afflictionem, gaudium et dolorem. Hinc est, quod Tobias ait: „*Benedico te, Domine, Deus Israel, quia tu castigasti me, et tu salvasti me.*“ Tob. 11. 17. Apostolus monet, ut gratias agamus *semper pro omnibus* in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri. Ephes. 5. 20. Et Ecclesia in s. Liturgia Missae sic precatur: „*Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: per Christum Dominum nostrum.*“

6. — Ad quaestionem, utrum poenitens, an innocens magis ad gratitudinem erga Deum obstringatur? Doctor Angelicus reponit, poenitentem magis, quam innocentem teneri, quia licet donum, quod

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 107. a. 2. c.

[2]) Hoc d. Thomas sic ostendit: „Omnis effectus naturaliter ad suam causam convertitur. Unde Dionys. dicit tertio de divin. nomin. (cap. 1.), quod Deus omnia in se convertit tamquam omnium causa. Semper enim oportet, quod effectus ordinetur ad finem agentis. Manifestum est autem, quod benefactor in quantum hujusmodi, est causa beneficiati. Et ideo *naturalis ordo requirit, ut ille, qui suscepit beneficium, per gratiarum recompensationem convertatur ad benefactorem.*“ 2. 2. q. 106. a. 3. c. S. Ambrosius ait: „*Quid* enim *est tam secundum naturam, quam referre auctori gratiam?*“ Subinde ostendit, creaturas etiam insensibiles Deo gratias quodammodo referre. De excessu fratris sui Satyri Lib. I. n. 45.

habet innocens, *in se* seu absolute sit majus, illud tamen donum, quod poenitenti confertur, majus est *relate ad ipsum;* cum enim esset poena dignus, gratia ipsi confertur. [1])

7. — Exhibebimus Deo gratum animum, beneficia omnia, quae ab Ipso veniunt, recognoscendo et aestimando, humillimas ipsi gratias pro illis agendo, vitam nostram in divinum obsequium impendendo, Ipsiusque honorem omni industria promovendo.

8. — Gratitudinis virtuti opponitur per excessum *gratitudo indiscreta,* quae quippe beneficia compensat, quae, vel quando, vel quo modo compensare rectae rationi repugnat. Per defectum illi opponitur *ingratitudo,* quae habet tres gradus, totidem gratitudinis gradibus adversos, atque duplex est, materialis et formalis.

Ingratitudinis *materialis* gradus sunt: 1. beneficium acceptum non retribuere, quando benefactor est in necessitate, et tu illi opem ferre potes; 2. beneficium dissimulare, et non agere gratias; 3. non aestimare et nolle agnoscere beneficium acceptum.

Ingratitudinis *formalis* gradus sunt sequentes: *Primus* gradus est, malum pro bono reddere; de qua ingratitudine Deus conqueritur per prophetas: „*Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.*“ Mich. 6. 3. et 39. „*Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animae meae?* Jerem. 18. 20. Huc etiam spectant sic dicta improperia, quae in Liturgia s. Feriae VI. in Parasceve cantantur. *Secundus* gradus est, beneficium extenuare, negare, vituperare; qua ratione a s. Augustino [2]) Pelagiani, a s. Prospero [3]) Pelagiani et Semipelagiani vocabantur ingrati, qui quippe superbia elati gratiae divinae necessitatem negarunt. *Tertius* gradus est, beneficium veluti maleficium reputare; quod faciunt damnati, et etiam quidam impii hujus saeculi, qui malum esse judicant, quod Deus non sinat ipsos perpetuo hoc mundo frui. [4])

Ingratitudo materialis ex genere suo est peccatum veniale, for-

[1]) 2. 2. q. 166. a. 2.

[2]) De peccator. merit. et remiss. Lib. I. n. 54. Lib. II. n. 28. De spiritu et lit. n. 18. De natura et gratia n. 39. Contra duas epistolas Pelagian. Lib. I. n. 38. Contra Julian. Lib. IV. n. 15. Libr. de dono perseverantiae n. 16. 56. et al.

[3]) Hic contra Pelagianos et Semipelagianos scripsit: „*Carmen de Ingratis.*“ Vid. Dr. Jos. Fessler, Institutiones Patrologiae Tom. II. p. 778. et sq. Oenoponte, 1851.

[4]) S. Thomas: 2. 2. q. 107 a. 2. Lessius l. c. Dub. III. n. 17—20.

malis autem est ex genere suo mortale, etsi possit ex levitate materiae veniale tantum esse.[1])

* S. Basilius: Homilia V. in S. Julittam. S. Ambrosius: De Jacob et vita beata cap. 6. n. 23–26. (ad gratitudinem adhortatio cum beneficiorum divinorum enumeratione). Hexaëmeron: Lib. VI. cap. 4. n. 17. (ab ipsis bestiis disci potest gratitudo). S. Anselmus: Lib. Meditat., Med. 15–18. S. Bernardus: In Psalm. 90. *Qui habitat* Serm. 14. n. 1–3. In Cant. Serm. 13. (Op. Tom. IV.) B. Albertus Magnus: Paradisus animae sive Libellus de Virtutibus, cap. 25. (Edit. nova Ratisbonae 1864.) S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 106. et 107. S. Bonaventura: Pharetra Lib. III. cap. 21. (de ingratitudine). Lib. IV. cap. 31. (de gratitudine). — Lessius: de Iustitia ceterisque virtutibus cardinalibus. Lib. II. cap. 47. Dubitatio 1–3. De perfectionibus moribusque divinis Lib. XII. cap. 7–19. (Nova edit. Friburgi 1861.)

Admonitio s. Bonaventurae ad gratitudinem.[2])

„Semper cogita, quantam Deus tecum misericordiam fecit; et in hoc perpende, quantum ab ipso diligeris, quod ejus beneficium numquam tibi defuisse cognoscis. Certe mihi videtur, cum ejus miserationes circa me attendo, quod, si fas est dicere, quodammodo nihil aliud faciat Deus, nisi ut saluti meae provideat, et ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, et mihi soli vacare velit. Semper praesentem se exhibet, semper paratum se offert; quocunque vertero, me non deserit; ubicunque fuero, non recedit; quidquid egero, pariter assistit. Confiteor igitur tibi miserationes tuas, Domine Deus meus, quia non dereliquisti me. Quando errabam, reduxisti me; quando ignorabam, docuisti me; quando peccabam, corripuisti me; quando contristabar, consolatus es me; quando desperabam, confortasti me; quando cecidi, erexisti me; quando steti, tenuisti me; quando ivi, duxisti me; quando veni, suscepisti me. Haec omnia et multa alia fecisti Domine Deus meus, de quibus mihi dulce erit semper cogitare, semper loqui, semper gratias agere, ut te laudem et amem pro omnibus beneficiis tuis, Domine Deus meus. Amen."

[1]) Lessius l. c. Dubit. III. n. 16. et sq. S. Thom. 2. 2. q. 107. a. 3.

[2]) Ex Opusc., quod inscribitur Amatorium. Inter opusc. ed. Lugduni 1647. Tom. II. pag. 254. 255.

Caput III.

De virtutibus justitiae adnexis, quae inter homines servari debent.

§. 85.

De pietate et observantia.

1. — *Pietas* tripliciter accipitur: 1) Pro religione seu Dei cultu, ut si Apostolus dicit: „*pietas ad omnia utilis est.*" Tim. 4. 7. 2) Pro benignitate seu misericordia, ut quando Deus dicitur pius Eccli. 2, 13. 2. Paral. 30, 9. 3) Pro speciali virtute respiciente causam seu principium existentiae nostrae: quo modo hic sumitur et sic definitur: *Virtus, qua parentibus patriaeque cultum deferimus.*[1])

Haec igitur virtus respicit *parentes,* quia post Deum sunt auctores vitae et educationis nostrae, atque *patriam,* quia parentes nosque fovet, et idonea ad nostram educationem media suppeditat. Ad parentes reducuntur *consanguinei,* quia nobiscum sanguinem parentum participant, idemque principium ortus habent. Ad patriam referuntur omnes *concives* et *patriae amici* propter eorum cum ipsa conjunctionem.[2])

Extenditur pietas etiam ad *parentes spirituales,* qui nimirum post Deum nobis sunt auctores vitae spirituales. Non minus namque his debetur, quam parentibus carnis, quia per eos accepimus vitam longe altiorem, supernaturalem, sine qua parum prodesset totum id, quod a parentibus carnis nostrae habemus.[3])

2. — *Objectum materiale* pietatis est cultus, sub quo comprehenduntur amor, reverentia et obsequium. *Objectum formale* seu motivum ejusdem est singularis honestas, quae conspicitur in eo, quod quis cultum parentibus patriaeque debitum praestat.

3. — *Pietas religione longe inferior est,* nam homines colit, dum religio Deo cultum reddit. Ideoque ceteris paribus haec magis

[1]) Triplicem hanc pietatis significationem jam indicat s. Augustinus: De civitate Dei Lib. X. cap. 1. n. 3. Arctius et proprius sumptam pietatem cum Cicerone sic definit: „*Pietas est, per quam sanguine junctis, patriaeque benevolis officium, et diligens tribuitur cultus.*" Lib. qq. 83. q. 3.

Pietatem in significatione misericordiae splendide depingit et imitandam proponit s. Bernardus: In Cant. Serm. XII. n. 1. et sq.

[2]) S. Thomas: 2. 2. q. 101. a. 1. Lessius: De Virtut. cardinal. Lib. II. cap. 46. Dubitatio I. n. 3.

[3]) Lessius l. c. n. 9. Reuter: P. II. Tract. III. n. 228. S. Bernardus ait, *parentes carnis germanius propter naturam, spirituales vero eruditores profusius propter gratiam* esse diligendos. In Cant. Serm. 50. n. 8.

obligat, quam illa. Bene dicit s. **Ambrosius**: *„Prima causa religionis, secunda pietatis est. — Oportet enim, ut divinis humana posthabeas. Nam si officium parentibus exhibendum est, quanto magis auctori parentum."* [1]) Idem dic de amore patriae. Hinc S. D. N. Pontif. Pius IX. jure meritoque damnavit commentum in *Syllabo* sub n. 64. exhibitum: *Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.*

4. — *Praecipitur* pietas jam ex lege naturae. Cuilibet enimvero ratio (legis naturalis praeco) dictat, ob beneficium ortus ac educationis honorandos esse parentes colendamque etiam patriam. Praecipitur insuper a lege positiva divina, maxime pietas, quam filii parentibus debent, ut patet ex quarto Decalogi praecepto.

* S. **Thomas**: Summa Theologica 2. 2. q. 101. tota. — **Lessius**: De Justitia et Jure, ceterisque virtutibus cardinalibus, Lib. II. Cap. 46. Dubitatio I.

5. — *Observantia* dicitur *virtus, qua personis dignitate praestantibus cultum exhibemus.* In primis quidem respicit superiores, sed praeterea extenditur ad omnes, sive munere et officio, sive sapientia et doctrina, sive vitae probitate ac sanctitate, sive aetate et experientia conspicuos.

Duplex solet observantia discerni, humana et religiosa. Humana audit, quae ob dignitatem politicam, vel excellentiam mere humanam alicui defertur: talis est, qua coluntur principes a subditis, domini a servis etc. *Religiosa* est, quae ob dignitatem vel perfectionem cum religione conjunctam alicui praestatur: talis est, qua honorantur S. Pontifex, Episcopi, sacerdotes, religiosi.

Quoad *objectum materiale* et *formale* hujus virtutis proportionate eadem valent ac illa, quae dicta sunt de pietate.

6. — *Observantia minus excellit, quam pietas.* Per hanc enim personas magis nobis conjunctas colimus; manifestum siquidem est, parentes et consanguineos arctius nobis colligari, quam personas illas, quae tantum dignitate quadam sunt insignes. Sic d. Thomas. [2])

7. — Observantia praescribitur 1) in lege positiva divina, *implicite* in quarto Decalogi praecepto, *explicite* in multis locis, ut observantia erga potestates ecclesiasticas Eccli. 7, 31. Luc. 10, 16. 1. Cor. 9, 14. Hebr. 13, 17. observantia erga potestates civiles Rom. 13, 1—7. observantia erga dominos 1. Petr. 2, 17. 18. observantia erga seniores 3. Mos. 19, 32. Exigitur 2) a lege naturae. Vel quis est, qui ignoret, speciali dignitati specialem deberi venerationem?

8. — Tum pietatis tum observantiae tres gradus a Lessio [1]) assignantur. *Primus* gradus est, parentibus et majoribus omnibus honorem debitum verbis factisque impendere. *Secundus* est, aequo animo ferre eorum molestias, asperitatem, morositatem, injurias; nec propterea ab officio desistere. *Tertius* est, cum voluptate illis servire et eorum incommoda tollere. Duo priores gradus sunt de necessitate et praecepto, ultimus est de perfectione virtutis.

9. — Denique observandum, quod cum parentes colimus, dignitate antecedentes reveremur, id ea re maxime facere debemus, quod divina quodammodo excellentia in eis resplendet, si a Deo quidem omnis paternitas et dignitas omnis vera nominatur. [2]) Ex quo fit, ut honor, quem hominibus habemus, Deo potius, quam hominibus haberi videatur. Vide Catechism. ad Parochos Par. III. Cap. V. q. 6.

*. S. **Thomas**: Summa Theologica 2. 2. q. 102. tota. — **Lessius**: De Justitia et Jure, ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. Cap. 46. Dubitatio 2. et 3.

§. 86.
De veracitate.

1. — *Veritas* seu *veracitas est virtus, qua inclinamur ad verba et facta menti nostrae conformanda.* Haec virtus dicitur etiam *simplicitas,* in quantum non aliud praetendit, et aliud intendit, ergo duplicitatem excludit, qua scilicet aliquis aliud habet in corde, et aliud ostendit exterius. [3])

Objectum materiale hujus virtutis sunt signa externa, vel verba vel facta, quibus mentem nostram patefacimus proximo nostro. *Objectum formale* est specialis honestas in eo relucens, quod lingua menti, facta dictis concordant.

2. — Ad veritatem obligamur 1) a lege naturae. Videlicet a) ordo naturalis poscit, ut signa signatis concordent; verba enim sunt instituta, ait s. **Augustinus**, per quae in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat: verbis igitur uti ad fallaciam, peccatum est. [4]) Aeque b) ordo naturae requirit, ut homines sibi in-

---

Footnotes, p. 300:

[1]) In Evang Luc. Lib. VII. c. 12.

[2]) 2. 2. q. 102. a. 3. c.

Footnotes, p. 301:

[1]) l. c. Dubit. II. n. 16. et 17.

[2]) Ephes. 3. 15.

[3]) S. **Thomas**: 2. 2. q. 109. a. 2. ad 4.

[4]) Enchiridion de fide, spe et charitate cap. 22. S. **Thomas** dicit: „— Cum bonum secundum Augustinum in lib. de Natura boni (cap. 3.) consistat *in ordine,*

vicem veritatem manifestent; secus enim mutua fides deficeret, ideoque societas humana servari nequiret.[1]) Ad eandem virtutem 2) etiam ex lege evangelica obligamur. Nam Christus dicit: *„Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae."* Matth. 10. 16. Cf. 5. 37. S. Apostolus Paulus monet: *„— loquimini veritatem unusquisque proximo suo."* Ephes. 4. 25. Porro haec virtus nos Deo similes reddit *„quia Deus verax est."* Joa. 3. 33. Rom. 3. 4. Apoc. 19. 11.

3. — Sed simplicitas, ut s. Ambrosius monet, *cauta esse debet et provida, ut noverit, quid cavendum sit. Neque enim otiose dictum est: Estote astuti sicut serpentes, et simplices, sicut columbae.*[2]) Et s. Chrysostomus: *„Hoc est enim philosophiae culmen, simplicem esse cum prudentia."*[3]) Adversatur quippe veracitati per excessum *indiscreta manifestatio veri*, quae praeprimis fit violatione secreti, sicuti per defectum eidem virtuti repugnat *mendacium*. De his igitur nunc agemus; simul vero discutiemus, an licitum sit *restrictione mentali* uti.

* Hermas: Pastor Lib. II. Mand. III. S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 109. Lessius: De Justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 46. Dubit. 5. et 6. Card. Bona: Manuductio ad coelum cap. 25.

§. 87.

De mendacio.

1. — *Mendacium est locutio vel significatio contra mentem cum voluntate fallendi.* Dixi: *locutio* vel *significatio*, potest namque mendacium tam verbo, quam facto committi; quo posteriori casu *simulatio*, appellatur. Ad simulationem seu ad mendacium facti pertinent *jactantia, adulatio, hypocrisis.*

Ex qua definitione sequitur: 1. Non mentitur, sed errat, qui asserit falsum, quod credit esse verum. E contrario autem mentitur, qui verum dicit, quod falsum reputat, quia contra mentem loquitur.[4])

2. Non sunt mendacia locutiones tropicae, ironicae, hyperboli-

---

necesse est, specialem rationem boni considerari ex determinato ordine. *Est* autem quidam *specialis ordo, secundum quod exteriora nostra, vel verba vel facta, debite ordinantur ad aliquid, sicut signum ad signatum; et ad hoc perficitur homo per virtutem veritatis."* 2. 2. q. 109. a. 2. c.

[1]) Doctor Angelicus 2. 2. q. 109. a. 3. ad 1.

[2]) In Psalm. 36. n. 10.

[3]) Homil. 62. in Matth.

[4]) S. August.: De mendacio c. 3. n. 3. S. Bernardus: In Cantica Serm. 17. n. 3.

cae, quae ut tales ab audientibus facile percipi possunt. Multo minus parabolae, quibus tam frequenter Christus Dominus usus est.[1])

3. Non mentitus est Jacobus dicens patri suo Isaaco: *Ego sum filius tuus Esau,* ut communiter docent cum s. Augustino.[2]) Etenim „Jacob mystice dixit, se esse Esau primogenitum Isaac: quia videlicet primogenita illius de jure sibi debebantur. Usus autem est hoc modo loquendi per spiritum prophetiae ad designandum mysterium, quia videlicet minor populus, scilicet gentilium, substituendus erat in locum primogeniti, scilicet in locum Judaeorum." Sic Doctor Angelicus.[3])

2. — Triplex distinguitur mendacium: 1. *damnosum,* quo injustum damnum alicui infertur, 2. *officiosum,* quod fit ob propriam vel alienam utilitatem,[4]) et 3. *jocosum,* quod causa voluptatis vel recrationis admittitur.

PRINCIPIA.

3. — **Principium I.** Mendacium est intrinsece malum absolute, ideoque ne vitandae quidem mortis causa admitti potest. Probatur 1. ex s. scriptura: *„Mendacium fugies"* Exod. 23. 7. *„Nolite mentiri invicem."* Coloss. 3. 9.[5]) — 2. Ex Traditione. Sane ss. Patres unanimes sunt in hac asserenda veritate. Pro omnibus sit s. Augustinus, qui ex professo hac de materia tractat in duobus opusculis *de mendacio,* et *contra mendacium* inscriptis. Idem docent omnes scholae magistri. Angelicus ait: *„Non est licitum, mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium a quocumque periculo liberet."*[6]) — 3) Ex naturali ratione. Mendacium enim naturalem institutionem et

---

[1]) S. Aug.: De mendacio c. 5. n. 7. Contra mendacium c. 10. n. 24. 38. 29.

[2]) Contra mendacium cap. 10. n. 24.

[3]) 2. 2. q. 110. a. 3. ad 3. Similiter dicit s. Bonaventura: „Non intendebat (Jacob) dicere, se esse Esau quantum ad personam, sed quantum ad dignitatem primogeniturae et benedictionis, quam sibi a Deo vendicaverat. Et hoc non propria auctoritate, sed matris imperio et Spiritus sancti consilio dicebat. S. Augustinus dicit, cum non commisisse mendacium, sed implevisse mysterium." In Lib. 3. Sent. Dist. 38. Dub. 4.

[4]) Expressio *„mendacium officiosum"* jam occurrit apud s. Augustinum epist. 82. n. 21.

[5]) Nec potest opponi, quod scriptum est, bene Deum fecisse cum Hebraeis obstetricibus (Exod. 1.) et cum Raab Jerichuntina meretrice (Joh. 6, 25); „hoc enim non ideo factum est, quia mentitae sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis." Ita s. Augustinus: Contra mendac. c. 15. n. 32.

[6]) 2. 2. q. 110. a. 3.

finem locutionis pervertit et ordinem societatis in mutuo hominum commercio positum misere perturbat. Cf. dicta §. 86. n. 2.

An ergo *simulatio* est *licita?* Simulatio *formalis,* seu actio qua quis intendit aliud significare, quam in animo habet, numquam est licita, quia est verum mendacium facti. [1]) Simulatio vero *materialis* seu actio non mala, qua quis praevidet, sed non intendit deceptionem alterius, licita est ex justa causa, semper ac ex circumstantiis conjici possit, ad alium finem id agi. [2]) Hinc simulare improbitatem est peccatum, nempe mendacium, et quidem scandalosum, potestque esse mortale. [3])

4. — **Principium II.** Mendacium, ut repugnat veracitati, peccatum tantum veniale est; in hoc enim est tantum inordinatio levis; potest tamen mortale esse propter oppositionem ad aliam virtutem, v. c. charitatem, justitiam. [4])

In specie 1. mendacium *damnosum* grave est vel leve pro ratione majoris vel minoris damni, quod proximo per illud infertur; et obligationem damnum reparandi inducit, cum sit non modo contra veracitatem, sed simul contra justitiam. Ita omnes. 2. Mendacium *officiosum* est peccatum veniale per se, ut ex dictis patet. 3. A fortiori mendacium *jocosum* per se veniale non excedit. Imo omni culpa vacat, ubi audientes facile intelligere possunt, loquentem solum intendere jocari. Ita omnes. [5]) Simulatio pariter est venialis per se, nisi fiat cum gravi scandalo, cum injuria vel contemptu Dei et proximi. Ita communiter. [6])

* S. Augustinus: Liber de mendacio. Liber contra mendacium. (Op. Tom. VI.) Serm. 81. 133. et 166. (Op. Tom. V.) S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 110. S. Bonaventura: Centiloquium P. I. cap. 12. Pharetra Lib. III. cap. 25. (de simulatione, multa ex ss. Patribus). — Jocham: Moraltheologie III. Th. §. 192.

§. 88.
De restrictione mentali.

1. — *Restrictio mentalis definitur actus mentis, quo quis suum sermonem ad sensum alium, quam naturalem et obvium restringit seu detorquet.*

---

[1]) D. Thom. 2. 2. q. 111. a. 1.

[2]) S. Alphons.: L. IV. de secundo Decal. praecepto n. 171. et alii communiter.

[3]) S. Alph.: Th. m. L. II. n. 67.

[4]) Idem l. c.

[5]) S. Augustinus tamen subjungit: „Quo genere (loquendi, nempe mendaciis jocosis) utrum sit utendum *perfectis* animis, alia quaestio est." De mendacio c. 2. n. 2.

[6]) S. Alph. L. II. n. 66.

Restrictio mentalis duplex est: 1. alia *pure* seu *stricte mentalis,* si ex nullis adjunctis mens loquentis intelligi potest; et haec etiam *proprie mentalis* vocatur; 2. alia *late* seu *improprie mentalis,* si sensus verborum ex modo vel usu loquendi, vel ex aliis circumstantiis percipi potest.

Ad restrictionem mentalem revocantur *amphibologiae* seu aequivocationes, quae sunt locutiones ambiguae, duplicem sensum habentes, ut v. c. unum magis, et alterum minus communem, unum spiritualem, alium literalem.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Nunquam licet uti restrictione proprie seu stricte mentali, nec amphibologia, cujus sensus a loquente intentus nullo modo percipi potest;* nec a potiori licet unquam cum eadem jurare. Ratio in promptu est: sic enim loqui, mendacium est, dolus est. Confirmatur ultro ex propositionibus 26. 27. et 28. ab Innocentio XI. damnatis. De hac loquendi fallacia etiam s. literae monent: *„Labia tua, ne loquantur dolum."* Psalm. 33. 14. *„Qui sophistice loquitur, odibilis est."* Eccli. 37. 23.

3. — **Principium II.** *Licitum est ex justa causa uti restrictione late seu improprie mentali nec non verbis aequivocis, ex quibus mens loquentis intelligi potest.* Probari potest ex rei natura et ex auctoritate.

1) Ex rei natura. Etenim hujusmodi restrictione et amphibologia uti, non est mentiri, quia deceptio audientis non intenditur, sed tantum permittitur; ac praeterea sensus loquentis ex adjunctis satis percipi potest, licet forte, ex defectu advertentiae ab audiente non percipiatur. — Adde, quod ad bonum societatis requiritur, ut medium habeatur honeste celandi secretum magni momenti: aliquando autem aliud medium non suppetit praeter illam restrictionem et amphibologiam.

2) Ex auctoritate. Nimirum a) ex s. scriptura. Abraham Saram, uxorem suam, dixit esse *sororem.* „Aliquid veri tacuit, non falsi quid dixit, quando tacuit uxorem, dixit sororem." [1]) Raphaël Archangelus dixit: *„Ego sum Azarias, Ananiae magni filius"*, nempe quoad externam speciem. Christus Dominus rogatus a discipulis, ut ascenderet ad diem festum, respondit: *„Ego non ascendam"* Joa. 7. 8.

---

[1]) S. Augustinus: Contra mendacium cap. 16. n. 23.

postea autem ascendit. Dixit: Non ascendam, scilicet manifeste, quia enim discipuli volebant, ut ascenderet ad suam divinitatem ostendendam. De die judicii ajebat: „*De die illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in coelo, neque filius.*" Marc. 13. 32., nempe ad manifestandum, seu scientia communicabili. [1]) — b) Ex Sanctorum exemplis. Sic s. Athanasius a satellitibus Juliani imperatoris ad necem conquisitus, iisdem ex industria occurrit, et interrogantibus, quantum inde abesset Athanasius, respondit, eum non longe abesse; itaque illos contrarium tenentes cursum aufugit atque Alexandriam rediit. [2]) S. Franciscus Seraphicus interrogatus a latronibus, num quidam per viam, in qua erat, transiisset, positis manibus inter manicas vestis respondit: Nullus huc transiit. — c) Ex ss. Patrum doctrina. S. Augustinus ait: „*Non hoc est occultare veritatem, quod est proferre mendacium. Quamvis enim omnis, qui mentitur, velit celare, quod verum est, non tamen omnis, qui vult, quod verum est, celare, mentitur.* [3]) Rursus: „*Non est mendacium, cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promitur falsum.*" [4]) Adhuc: „*Occultare in tempore quidquid occultandum videtur, mentiri autem numquam licet.*" [5]) — d) Ex Theologorum sententia. Angelicus dicit: „*Non est licitum, mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium a quocunque periculo liberet, licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut Augustinus dicit in libro de mendacio.*" [6]) Idem alii *fere omnes* docent teste s. Alphonso. [7])

Sed dixi: *ex justa causa;* quia si usus talium restrictionum promiscue fieret, nemo posset aut vellet alteri fidem habere: unde non posset non grave damnum vitae socialis exoriri. Justa autem causa juxta s. Alphonsum [8]) esse potest quicunque finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori utilia, vel etiam ad se liberandum ab importuna et injusta interrogatione.

4. — Hinc 1. Possunt uti restrictione mentali omnes personae publicae interrogatae de rebus suae fidei commissis, ut sunt ministri

---

[1]) Sic explicant s. Basilius, s. Ambrosius, s. Augustinus, s. Hieronymus. Sic etiam sentit s. Thomas inquiens: *Dicitur nescire diem, quia non facit scire.* 3. q. 10. a. 2. ad 1.

[2]) Breviar. Rom. die festo S. Athanas., 2. Maji Lect. 6.

[3]) Contra mendacium c. 10. n. 23.

[4]) l. c.

[5]) De mendacio c. 10. n. 17.

[6]) 2. 2. q. 110. a. 3. ad 4.

[7]) Lib. IV. n. 152., ubi etiam plures Theologos citat, et subjungit, ipsos rigidiores Theologos, imo et rigidissimum *Contensonium* restrictiones late mentales licitas declarare.

[8]) L. IV. n. 151.

et legati principum, secretarii, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi etc. Si enim secreta hujusmodi personis commissa violarentur, gravissima inde sequerentur incommoda societatis. Ita omnes.

2. Confessarius affirmare potest etiam juramento, se nescire peccatum auditum in confessione, subintelligendo *ut hominem,* vel *ad manifestandum.* Ita omnes. [1])

3. Quoties tenetur aliquis occultare infamiam alterius, licite dicat: *Nescio,* nempe scientia communicabili. [2])

4. Reus a judice non *juridice* aut non *legitime* interrogatus potest respondere, se non patrasse crimen, subintelligendo, de quo possit inquiri seu quod fateri teneatur. Reus tamen vel testis, qui *legitime* a judice interrogatur, nequit ulla aequivocatione uti, quia tenetur justo praecepto superioris parere. Est communis. [3])

5. Adultera a marito interrogata potest aequivoce asserere, se non fregisse matrimonium, quod revera persistit. Et si adulterium sacramentaliter confessa sit, potest respondere: Innocens sum ab hoc crimine; quia per Sacramentum jam est ablatum. Ita s. Alphonsus [4]) cum aliis.

6. Requisitus ad mutuandum licite potest dicere, se non habere pecuniam, quamvis eam habeat, intelligendo, se non habere ad mutuandum, si ita res sit. Sic communiter. [5])

7. Qui debet bonis cedere, indigens bonis absconditis ad sustentationem, potest judici respondere, se nihil habere, quod nempe teneatur cedere, [6]) quia attento jure naturali cessor potest sibi aliquid retinere, quo indiget ad gravem suam suorumque necessitatem sublevandam.

8. Potest famulus jussu domini negare, illum esse domi, quamvis adsit; quia talis locutio communiter est usu recepta ad significandum, eum non esse domi, quatenus videri possit. [7])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 151—168.

§. 89.

De secreti violatione.

1. — Secretum, quod est notitia rei, quae occulta servari debet, triplex est: 1. *Naturale*, quod ab ipsa natura imponitur, ut si scias

---

[1]) S. Alph.: L. IV. n. 153.

[2]) Idem l. c.

[3]) Idem n. 154.

[4]) n. 162.

[5]) Idem n. 163.

[6]) Idem n. 158.

[7]) Idem n. 165.

crimen proximi, quod manifestare non vales sine justa causa citra omne pactum. 2. *Promissum*, quo quis tenetur arcanum non revelare, quia sic promisit. 3. *Commissum*, seu communicatum (das Amtsgeheimniss), quo quis tenetur secretum servare, quia muneris seu officii susceptione per pactum tacitum vel expressum ad id se obligavit, ut contingit in consiliariis principis, advocatis, parochis etc.

2. — Secretum *naturale* obligat per se sub gravi in materia gravi, quia proximus jus strictum habet, ne sine causa rationabili laedatur in fama et honore.

Secretum *promissum* obligat sub levi, si ex mera fidelitate promittatur; si vero ex justitia, sub gravi vel levi pro ratione materiae. Obligat juxta intentionem promittentis. [1])

Secretum *commissum* obligat per se sub gravi ex justitia et strictius quidem, quam secretum promissum et naturale. [2])

Dantur autem causae justae secretum manifestandi: 1. Consensus recte praesumptus illius, cujus interest secretum occultari. 2. Divulgatio rei aliunde facta. 3. Damnum ex secreto secuturum reipublicae vel privatis. 4. Quando legitime interrogaris a judice. At si secretum sit tibi *commissum* et alias non publicatum, teneris servare etiam a judice vel superiore interrogatus, et potes respondere, te nihil scire, scilicet ut revelandum; quia id bonum commune postulat, ne metu revelationis homines priventur commodo consilii aut auxilii quaerendi, quod tamen quaererent nunquam, nisi certi forent de secreto servando. [3]) Cf. §. 88. n. 4.

§. 90.

De affabilitate.

1. — Affabilitas est virtus inclinans, ut nostra cum proximo conversatio sit grata et decens. Est virtus justitiae adnexa, cum eam proximo debeamus.

Objectum *materiale* hujus virtutis est tota hominis conversatio cum proximo, consistens in colloquiis et actionibus, quibus cum illo tractamus. Objectum *formale* est honestas conversationis, quam homo proximo debet.

Actus praecipui affabilitatis sunt: 1. omnes benigne audire eosque libenter atque hilari vultu alloqui; 2. obvios salutare et eorum

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 970.
[2]) Idem n. 970.
[3]) Idem n. 970. et 971.

salutationibus respondere, ea quidem honoris et benevolentiae significatione, quam vel locorum consuetudo, vel dignitas vel urbanitas exigit; 3. vocem, verba, gestum et vultum ita componere, ut, quidquid incidat in oculos eorum, quibuscum versamur, praeferat decentiam et suavitatem, ita, ut dicere possimus cum Apostolo: *per omnia omnibus placeo.* 1. Cor. 10. 33.

2. — Hanc nobis virtutem praecipit lex naturalis; cum enim homo sit animal sociale, tenetur ita se gerere, ut aliis delectabiliter convivat. [1]) Porro Christus Dominus exemplo suo eandem nobis virtutem commendat, in cujus labiis ita diffusa erat gratia, ut omnes mirarentur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius. Luc. 1. 22.

3. — Affabilitati opponuntur per defectum *asperitas* seu *morositas*, per excessum *adulatio*. Utraque per se est peccatum veniale.

* S. Thom. 2. 2. q. 114. 115. 116. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. Cap. 47. Dub. 7.

§. 91.

De liberalitate.

1. — Liberalitas est virtus, quae moderatur amorem pecuniae, ut eam in nostram et proximi utilitatem, Deique honorem libenter et prompte elargiamur. Unde ejus officium est 1. moderari pecuniae affectum, juxta rectam rationem, et 2. de divitiis elargiri, quando recta ratio ad fines assignatos dictat. [2]) Heroicus ejusdem actus est, propter Christi amorem et imitationem divitiis relictis et contemptis voluntarie paupertatem assumere. [3])

2. — Liberalitati affinis est *magnificentia*, qua ad opus magnum sumptus magni fiunt secundum rectae rationis dictamen. [4])

3. — Liberalitati adversatur per excessum *prodigalitas*, qua

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 114. a. 2.
[2]) Vide d. Thom. 2. 2. q. 117. a 1. 2. et 3.
[3]) S. Ambrosius: De officiis Lib. 1. cap. 30. n. 151. Lessius: De justitia etc. Lib. 2. cap. 47. Dub. 8. n. 55.
[4]) S. Thomas: „— ad magnificentiam pertinet magnos sumptus facere ad hoc, quod opus magnum convenienter fiat.“ 2. 2. q. 134. a. 3. c. „Dicendum, quod ad liberalitatem pertinet, bene uti divitiis, in quantum hujusmodi, eo quod divitiae sunt propria materia liberalitatis. — Ad magnificentiam autem pertinet uti divitiis secundum quandam specialem rationem, id est, secundum quod assumuntur in alicujus operis magni expletionem. Unde et magnificentia quodammodo se habet ex additione ad liberalitatem.“ 2. 2. q. 117. a. 3. ad 1. Angelicus Doctor magnificentiam recenset inter virtutes fortitudini adnexas 2. 2. q. 134. a. 4.

quis sua non conservat, uberius bona largitur, quam convenit;[1]) per defectum ei repugnat *avaritia,* quae est inordinatus appetitus divitiarum. Utraque ex genere suo venialis est, evadere autem potest mortalis, si charitati vel justitiae graviter repugnet, e. g. alienum invadendo vel injuste detinendo vel non restituendo, proximo in extrema vel gravi necessitate non succurrendo.[2]) Porro ex mente Angelici Doctoris prodigalitas secundum se considerata minus peccatum est, quam avaritia, quia minus abest a virtute liberalitatis.[3])

4. — Avaritia est *idolorum servitus* (Ephes. 5, 5.), quia sicut paganus in idolo, sic avarus in idoli materia, quae est aurum et argentum, suam fiduciam collocat ejusque gratia omnia facit, *febris* est, quae per lucra non extinguitur, sed potius accenditur,[4]) *radix omnium malorum* (1. Tim. 6. 10.), nimirum quia nullum est malum, ad quod cupiditas divitiarum aliquando non impellat; quapropter a ss. Patribus et scholae magistris inter *capitalia* vitia merito numeratur. S. Gregorius M. septem avaritiae filias enumerat. *De avaritia,* inquit, *proditio, fraus* (dolus in verbis), *fallacia* (dolus in facto), *perjuria, inquietudo* (supervacanea cura semper in crastinum sollicita), *violentia, et contra misericordiam obduratio cordis oriuntur.*[5])

* S. Basilius: Homilia 6. 7. 8. et 21. (de eleemosynae praecepto et avaritia). S. Joan. Chrysostomus: Homiliae 7 de Lazaro et divite, ubi de divitiarum vanitate et de avarita sermo instituitur. S. Ambrosius: De officiis ministrorum Lib. 1. cap. 30. (de liberalitate). Liber de Nabuthe (de avaritia). Lib. de Tobia cap. 5. n. 17—22. (de prodigalitate). S. Augustinus: Serm. 86. 107. 177. et 178. (de avaritia). S. Petrus Damiani: Opusc. 31. contra munerum cupiditatem, cap. 2. et 3. (de avaritia). S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 117. (de liberalitate). q. 118. (de avaritia), q. 119. (de prodigalitate). S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. 2. n. 68. et 69. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 47. Dub. 8. Card. Bona: Manuductio ad coelum cap. 27. (de liberalitate).

---

[1]) Elegantor prodigalitatem depingit s. Ambrosius: Lib. de Tobia cap. 5. n. 17—22. (Op. Tom. I.).

[2]) S. Alph.: Theol. mor. L. II. n. 68. S. Thom.: 2. 2. q. 118. a. 4. et 5. Less.: Lib. II. c. 47. dub. 9. n. 61, et 62. Elbel: Conf. 21. n. 608.

[3]) 2. 2. q. 119. a. 3. Item s. Alph. l. c.

[4]) S. Ambros.: De Nabuthe c. 2. n. 4.

[5]) Lib. 31. Mor. c. 31.

Caput IV.

De virtute justitiae.

Ad eam plene explicandam 1. de justitia et jure, justitiae objecto; 2. de violatione justitiae; et 3. de reparatione injuriae seu de restitutione sermonem instituemus.

DISPUTATIO I.

De justitia et jure.

Videlicet 1. de justitia et jure in genere, et 2. de iisdem in particulari.

DISTINCTIO I.

De justitia et jure in genere.

§. 92.

De notione et divisione justitiae.

1. — Justitia dupliciter accipi solet, large et stricte. Justitia *large* accepta significat virtutum omnium complexum; quo sensu Christus dixit: „*Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam.*" Matth. 5, 6. „*Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.*" Matth. 6, 1. „*Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.*" Matth. 5, 20. Eodem sensu Noë, Joseph aliique *justi* in s. scriptura appellantur. Justitia *stricte* accepta, prouti significat virtutem a ceteris specie distinctam, est *virtus moralis inclinans hominis voluntatem ad jus suum unicuique tribuendum.*[1])

Justitia hoc sensu accepta *differt a fortitudine ac temperantia* in eo, quod hae sunt virtutes hominem rite ordinantes in semetipso, dum illa hominem recte ordinat ad alterum ut a se distinctum.[2]) *Differt quoque a charitate erga proximum,* quia a) objectum mate-

---

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 58. a. 1. c. Sic etiam ss. Patres. S. Ambrosius scribit: „*Justitia suum unicuique tribuit, alienum non vindicat.*" Lib. 1. de offic. cap. 24. S. Augustinus ait: „*Justitia ea virtus est, quae sua cuique distribuit.*" Lib. 19. de Civit. Dei cap. 21. S. Bernardus: „*Justitiae definitio est, reddere unicuique, quod suum est.*" Serm. in Octav. Epiphaniae n. 4.

[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 58. a. 2. Benedictus XIV. de Servorum Dei Beatif. etc. Lib. III. cap. 24. §. II. n. 15. Laymann, Lessius, Collet etc.

riale charitatis est immediate persona proximi, cui bonum volumus; dum objectum justitiae materiale est immediate jus, quod proximo convenit et ipsi reddi debet; — et quia b) objectum formale seu motivum charitatis erga proximum est ipse Deus, quatenus divina bonitas a proximo quodammodo participatur, cum sit imago Dei, filius Dei, et capax beatitudinis aeternae coll. §. 18. n. 1.; at vero objectum formale justitiae est honestas specialis, quae conspicitur in praestanda actione vel re, quae proximo debetur (seu in tribuendo unicuique jure suo).

2. — Justitia *triplex* est: *legalis, distributiva* et *commutativa.* Ratio est, quia justitia respicit ordinem ad alios; atqui ordo hic triplex est, nempe partium ad totum, totius ad partem, et partis ad partem. Jamvero 1. *justitia legalis* ordinat partes ad totum, seu inclinat subditos ad reddendum communitati seu principi, quod ipsi debitum est propter bonum commune. Vocatur *legalis,* quia pro objecto id habet, quod debetur communitati seu principi juxta legem naturalem vel positivam. [1]) 2. *Justitia distributiva* ordinat totum ad partes, et inclinat principem vel ejus ministros ad bona et onera juxta merita et vires subditorum distribuenda. Et ad hanc pertinet quoque congrua punitio reorum in bonum publicum, quae dicitur *justitia vindicativa,* novam tamen justitiae speciem non constituit. 3. *Justitia commutativa* ordinat partes inter se, et inclinat privatum ad reddendum privato, quod ei stricte debetur, secundum aequalitatem rei ad rem. Dicitur *commutativa,* quia praecipue circa commutationes aliosque contractus versatur.

3. — Nonnulli Germaniae philosophi ita notionem *justi* seu juris concipiunt, acsi illud esset quid praeter et extra *bonum morale.* Sed falso; etenim bonum morale dicitur, quod generatim convenit ordini morali a Deo stabilito (Lib. I. §. 21.), justum est, quod habet rectitudinem justitiae, ut s. Thomas [2]) loquitur, seu specialiter convenit ordini morali hominis ad alios; unde idem s. Doctor rectissime dicit, quod *bonum comparatur ad justum, sicut generale ad speciale,* [1]) adeoque justum est quaedam species boni moralis.

[1]) Quemadmodum charitas secundum se spectata, peculiaris atque ab aliis distincta virtus est, comparata vero ad alias virtutes, quarum operationes dirigit, ut propter Deum exerceantur, quasi omnium virtutum forma est, ac proinde perfectio, et adimpletio totius legis: sic etiam justitia legalis, secundum se peculiaris atque ab aliis distincta virtus est, quia per eam quisque se recte ac debite gerit erga rempublicam, cujus pars est; generalis tamen est, comparata ad alias virtutes, quarum nempe actiones imperat et dirigit ad reipublicae prosperitatem. S. Thom.: 2. 2. q. 58. a. 5. et 6. Laymann: Theol. mor. lib. III. Sect. 5. Tract. I. cap. 2. n. 1. Cardin. de Aguirre in Tract. de virtutibus et vitiis, Disp. 10. quaest. 4. sect. 1. et sq. Lessius: De justitia etc. lib. II. cap. 1. Dub. 3. Collet: Tr. de virtut. cardinal. cap. 5. de justitia a. 2. sect. 1.

[2]) 2. 2. q. 57. a. 1.

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 58. et 61. — Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 1. tot. De Lugo: De justitia et jure Disp. 1. Laymann: Theologia moralis lib. III. Sect. V. Tract. I. cap. 2. 3. et 4. Collet: Continuatio praelectionum theologicarum Honorati Tournely Tom. I. Tract. de virtutibus cardinalib. cap. 5. a. 1., et a. 2. sect. 1. Carrière: De justitia et jure Tom. I. cap. praev. Lovanii 1847.

§. 93.

De objecto justitiae seu de jure.

1. — Sensu latiori jus significat 1) legem seu regulam justi, et sic dicitur: jus naturale, positivum etc., 2) judicis sententiam, quo sensu dicitur in jus vocari, jus dicere; 3) rem, quae alteri stricte debetur, 4) titulum seu rationem rei debitae.

Sensu strictiori jus communiter definitur *facultas legitima aliquid habendi vel agendi.* Dicitur: facultas *legitima,* i. e. legi conformis seu legitimo titulo innixa; non enim jus habemus ad id omne, quod physice possumus. Huc spectant errores sequentes a S. D. N. Pio IX. in Syllabo damnati, nempe sub n. 59. *Jus in materiali facto consistit; — et omnia humana facta juris vim habent;* et sub n. 61. *Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.* — Additur: *habendi vel agendi;* his namque duobus: *habere* et *agere,* omnis hominum absolvitur facultas et efficacitas. Hoc sensu acceptum jus constituit objectum justitiae virtutis.

2. — Jus multiplex est. Praesertim I. ratione originis est 1) *naturale,* quod in lege naturae fundatur, ut e. g. jus perficiendi animum, tuendi corpus, acquirendi dominium; 2) *positivum divinum,* quod a lege revelata descendit, ut e. g. jus sacramenta percipiendi, et 3) *humanum,* quod e lege humana, sive ecclesiastica sive civili emanat, unde duplex est, ecclesiasticum et civile. Tot enim sunt genera jurium, quot sunt genera legum, quae jus tribuunt. [2])

Jura naturalia sunt *innata* seu *primitiva,* jura positiva divina et humana sunt *adventitia,* ut patet. Porro jura alia sunt *abdicabilia,* alia *inabdicabilia,* prouti aut cedi possunt aut non possunt absque laesione officiorum vel jurium aliorum.

II. Ratione effectus distinguitur jus strictum seu proprie tale, et jus non strictum seu improprie tale.

[1]) 1. q. 21. a. 1. ad 4.

[2]) Lessius op. cit. lib. III. cap. 2. Dub. 1. n. 2. Dub. 2. n. 10.

Jus strictum dicitur facultas legitima aliquid habendi vel agendi, quod per se ordinatur ad proprium commodum. Dicitur *strictum*, quia res seu objectum juris tam stricte seu arcte connectitur cum homine, qui hoc jure gaudet, ut immediate seu per se ad ipsius utilitatem debeat referri et ordinari. [1]) Hujusmodi jus est dominium seu jus proprietatis, (quod est objectum justitiae commutativae) et hoc significamus, quando dicimus *meum* et *tuum*. Sic e. g. quisque jus strictum habet in bonis fortunae legitime acquisitis, quia ob peculiarem connexionem, quam habent cum illo, per se debent referri et ordinari ad ipsius utilitatem.

Jus non strictum vocatur facultas legitima aliquid habendi vel agendi, quod principaliter ordinatur ad bonum commune. Dicitur *non strictum*, quia objectum juris tam strictam seu arctam relationem ad eum, qui hoc jure gaudet, non habet, ut per se in ipsius commodum ordinetur, cum potius in bonum societatis principaliter tendat. Tale jus est, quod digni habent, munera seu officia communitatis obtinendi, siquidem haec principaliter instituta non sunt in praemia meritorum, sed in publicum bonum. [2])

III. Jus strictum duplex est: jus in re, et jus in rem.

1. *Jus in re* illud est, quod quis habet in re jam *sua* seu jam obtenta. Tale est illius, cui tradita jam res est donata, vel vendita. Hoc jus confert actionem realem i. e. actionem, quae rem ipsam immediate attingit, quatenus ille, qui hoc jure gaudet, rem suam vindicare et repetere potest, ad quemcunque ea devenerit.

2. *Jus in rem* est illud, quod quis habet, ut res *fiat* sua. Hujusmodi est jus illius, cui res quidem promissa, vel donata, vel vendita, sed nondum tradita est. Quod jus dat actionem personalem

[1]) Lugo: „*Jus illud, quod respicit justitia commutativa, est praelatio, qua in usu talis rei debet hic homo praeferri aliis; quia propter peculiarem connexionem, quam haec habet cum ipso, tota debet ad ejus utilitatem referri et ordinari.*" De just. et jure Disp. 1. n. 6. Dein n. 15. explicans illam connexionem dicit: „*Connexio multiplex esse potest; nam alio modo connectuntur nobiscum per unionem substantialem nostra membra, quae data sunt nobis ad usum et utilitatem nostram; et ideo fundant in nobis jus justitiae: alio modo connectuntur nostra accidentia per inhaerentiam, ut bona valetudo, scientia, etc., quae etiam non possunt sine injuria per violentiam aut fraudem nobis auferri: alio modo connectuntur pecuniae, quas in arca habemus; alio modo praedia, quae possidemus: alio modo fama* etc.

[2]) S. Alph. de Beneficiis disserens ait: „*Beneficia, ut communiter dicunt DD., principaliter fuerunt instituta ob bonum publicum, et minus principaliter in praemium meritorum.*" H. A. Tr. XIII. n. 33. et 37.

i. e. actionem, quae personam immediate attingit; efficit nimirum, ut persona, quae abnuit vel impedit rei obtentionem, citari possit ad judicem atque per ejus sententiam cogi, ut rem vel ejus pretium tradat.

§. 94.

Juris ad officium relatio atque ratio ultima.

1. — Jus et officium intime cohaerent. Etenim 1. sunt correlativa, invicem se respicientia. Obligationi aliquid faciendi (quod est officium) ex una parte, respondet facultas id exigendi (seu jus) ex altera parte. 2. Utrumque a lege derivatur. Si quidem lex, quae actionem praecipit, duo gignit: obligationem ponendi actionem (officium) in aliis, et facultatem exigendi eandem actionem (jus) in aliis.

2. — Ultima ratio seu causa omnium jurium sicut omnium officiorum est Dei voluntas, lex aeterna. Jus enim, ut praehabitum est, a lege derivatur. Omnium vero legum, quae in mundo morali existunt, principium est lex aeterna (Lib. I. §. 29.); ab hac igitur lege seu a Deo derivantur (partim immediate partim mediate) omnes aliae leges; et consequenter derivantur omnia officia simul atque omnia jura, naturalia et positiva divina, ecclesiastica et civilia. Ac proinde, quo major religionis verae fervor, eo tutior jurium integritas et justitiae custodia permanebit. [1])

Ex hac veritate consequitur: 1. Omnes illi, qui Deum verum et personalem negant, nempe Materialistae et Pantheistae, illi etiam Rationalistae, qui Deo posthabito autonomiam rationis praedicant, si sibi consequentes esse velint, de veri nominis juribus loqui nequeunt: deficit enim ipsis ratio juris vera et necessaria, quae solus Deus est. Sapienter Card. Rauscher ait: „*Non datur jus sine officio, non datur officium sine Deo.*" [2])

2. Assertio Liberalismi, rempublicam esse omnium jurium originem et fontem (Lib. I. §. 8. n. 8.), merito a S. P. Pio IX. in Syllabo n. 39. proscripta est; si quidem a) haeretica est, quia jura naturalia, positiva divina et ecclesiastica proprie talia negat; — b) impia est, quia divinae voluntati et legi humanam substituit legem et voluntatem; — c) injuriosa est erga nativam hominis dignitatem, quatenus nullo ad naturalia hominis jura respectu habito eum veluti rem et instrumentum habet. Praeclare s. Thomas, quasi praesagiens Liberalismi commentum scribit: „*Ea, quae sunt juris humani, non possunt derogare juri naturali vel juri divino.*" [3]) „*Voluntas humana potest jus facere de aliquo indifferenti, quod non habet aliquam*

[1]) Praeclare jam Cicero dixit: „*Pietate adversos deos sublata, fides etiam, et societas humani generis, et excellentissima virtus, justitia tollitur.*"

[2]) Der Staat ohne Gott. Wien 1865. S. 5.

[3]) 2. 2. q. 66. a. 7. c.

repugnantiam contra jus naturale." [1]) *„Lex scripta* (humana) *sicut non dat robur juri naturali, ita nec potest robur ejus minuere aut auferre, quia nec voluntas hominis potest immutare naturam.*" [2])

* Em. Card. Rauscher: Der Staat ohne Gott. Wien 1865. Ep. Ketteler: Freiheit, Auctorität und Kirche. Mainz. Theod. Meyer S. J.: Die Grundsätze der Sittlichkeit und des Rechtes (Stimmen aus Maria Laach IX.) Freib. 1868. Nicolas: Der Staat ohne Gott, das sociale Uebel unserer Tage. Aus dem Französischen. Mainz 1872. Walter: Naturrecht und Politik. 2. Aufl. Bonn 1871. S. 52. u. f.

§. 95.
De obligatione justitiae.

PROPOSITIO.

Justitia tum legalis, tum distributiva, tum commutativa obligat sub gravi, per se, et commutativa insuper cum onere restitutionis.

1. — Probatio 1^{mae} partis: Etenim jus suum unicuique tribuere, quod pertinet ad justitiae munus, per se est aliquid grave et valde necessarium ad bonum tum publicum tum privatum servandum et promovendum.

Probatio 2^{dae} partis: Etenim obligatio restituendi, ut serius patebit, tunc obtinet, quando jus strictum est violatum. Atqui jus strictum alterius violatur justitiae commutativae violatione coll. §. 93. n. 2. E contrario laesio justitiae tam legalis, quam distributivae *per se* non inducit obligationem restitutionis, quia per illam jus strictum alterius non violatur. Dixi: *per se,* etenim per accidens etiam ex violatione justitiae legalis vel distributivae onus restitutionis exurgit, scilicet, quando eis per pactum explicitum vel implicitum justitia commutativa consociatur.

Inde sequitur:

2. — I. Graviter contra justitiam *vindicativam* peccat superior, non puniendo reum gravis delicti, si advertat, ex impunitate delicti augeri audaciam improborum, rempublicam turbari. Imo peccat etiam contra justitiam commutativam, et consequenter tenetur ad restitutionem, tunc, quando propter gravem negligentiam in puniendo causa est, quod privati vel communitas grave damnum patiantur; quia officium assumendo per contractum implicitum se obligavit, ad damna subditorum praecavenda; et „reditus, quos habet, ait s. Thomas, [3]) sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut justitiam conservet."

[1]) 2. 2. q. 57. a. 2. ad 2.

[2]) 2. 2. q. 60. a. 5. ad 1.

[3]) 2. 2. q. 62. n. 7. c.

II. Graviter per se peccat contra justitiam *distributivam* superior, qui non distribuit fideliter bona communia. Verum etiam peccare potest contra commutativam, scilicet 1) si proponat *concursum,* et obliget se ad dandum beneficium vel officium publicum *digniori* ex concurrentibus; tunc enim peccat contra commutativam, si digniorem omittat, propter pactum saltem implicitum, quo se obligavit ad digniorem ceteris praeferendum; similiter 2) si conferat beneficia vel officia *indignis,* relictis dignis, tunc enim violat commutativam erga Ecclesiam vel rempublicam, propter pactum implicitum, quo se obligavit Ecclesiae vel reipublicae ad procurandum ejus bonum et impediendum ejus malum. [1])

Inde facile colligitur, quandonam iniquus beneficiorum vel munerum publicorum distributor obstringatur ad restitutionem.

1. Non tenetur ad restitutionem superior, qui *minus digno* officium societatis contulit, nec erga praetermissum digniorem, neque erga communitatem. a) *Non erga digniorem praetermissum,* quia ejusdem jus strictum non violavit, quandoquidem coll. §. 93. n. 2. beneficia et munera principaliter instituta sunt in bonum commune, et secundarie tantum in praemia meritorum. b) *Non erga communitatem,* quae quippe aliud exigere nequit, nisi ut indigni ab officiis arceantur. [2]) Excipe tamen casum, quo beneficium confertur per *concursum,* ut supra diximus; in hoc quippe casu dignior acquirit jus strictum ad rem, et superior, qui elegit minus dignum, tenetur ad restitutionem erga digniorem praetermissum. [3])

2. Superior, qui *indigno* contulit beneficium a) non tenetur ad restitutionem erga dignum praetermissum, nisi in casu concursus, ut supra dictum est; sed b) tenetur ad restitutionem erga communi-

[1]) Lugo: De justitia et jure Disp. I. Sect 3. n. 54.

[2]) S. Alphonsus scribit: „— communius eum, qui eligit ad beneficium *minus dignum*, excusant a restitutione facienda *tam digniori*, qui nullum jus rigorosum habet super beneficiis, quae principaliter fuerunt instituta ob bonum publicum, et minus principaliter in praemium meritorium, *quam Ecclesiae*, quae non intendit obligare electores, nisi ad non eligendos indignos (in quo casu utique tenerentur restituere Ecclesiae damnum)." H. A. Tr. XIII. n. 37.

[3]) S. Alphonsus: „Majus dubium vertitur, an cum beneficium providetur *per concursum*, eligens minus dignum teneatur compensare digniori damna? Communissima est sententia affirmativa, — quia dignior ob concursum acquirit verum jus in beneficium ratione pacti, quod tunc intercedit inter electorem et concurrentes, quod pactum (ut dicunt) sufficienter explicatur in Edicto." H. A. Tr. XIII. n, 37.

tatem, propter pactum implicitum, quo superior se obligavit communitati ad impediendum ejus malum, proindeque ad non eligendos ministros indignos, ut superius habitum est. [1])

DISTINCTIO II.

De dominio, praecipua juris specie. [2])

§. 96.

Notiones praeviae.

1. — *Dominium est facultas disponendi de re aliqua tamquam sua ad proprium bonum.* [3])

Hoc cumprimis duplex est: 1) *dominium divinum*, seu quod Deo competit, ut absoluto rerum omnium domino ratione creationis et conservationis omnium, unde Psalm. 23. 1. dicitur: *„Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo“*; — 2) *dominium humanum,* quod convenit homini per participationem, seu potestatem sibi a Deo collatam, unde Psalm. 8. 8. dicitur: *„Omnia subjecisti sub pedibus ejus.“* Et de hoc dominio agitur in proposito.

Dominium humanum praecipue dividitur in perfectum et imperfectum. Dicitur *perfectum,* si est jus disponendi tam de re, quam de ejus utilitate; nimirum rem ipsam (e. g. agrum) et ejus fructus pro suo arbitrio (dummodo lex non obstet) vel servando, vel donando, vel vendendo vel commutando vel destruendo. Dicitur *imperfectum,* si est jus disponendi tantum de rei proprietate, vel de sola ejus utilitate; in priori casu appellatur *directum,* quale e. g. habet locator rei; in altero *indirectum,* quale e. g. competit locatario.

2. — Distinguunt communiter adhuc dominium *altum* et *humile.* Prius dicitur jus, quod princeps vel respublica habet disponendi de bonis privatorum ob bonum publicum ex gravissima causa, sed cum debita compensatione, in quantum fieri potest; ut e. g. si

---

[1]) S. Alph.: Lib. V. n. 107. H. A. Tr. XIII. n. 37.

Late totam materiam de distributione munerum publicorum prosequitur de Lugo: De justitia et jure Disp. XXXIV. Sect. 4. Disp. XXXV. Sect. 1. et sq.

[2]) Aliae species juris sunt: *usus, ususfructus, possessio et servitus.* Ast expositionem earum jurisprudentiae citra jacturam Theologiae moralis relinquere possumus.

[3]) A *dominio* distinguitur *imperium* (seu jurisdictio), utpote quod est potestas legitima gubernandi subditos, ad ipsorum commodum. Actus hujus potestatis sunt: praecipere vel prohibere, judicare, punire vel praemiare.

bonum publicum requirit, ut aliquis agro etc. privetur pro via ferrea construenda etc. Posterius est, dominium privatorum, cui proprie definitio convenit.

Articulus I.

De objecto, subjecto et acquisitione dominii.

A. De objecto dominii.

§. 97.

De dominio hominis quoad bona ipsius intrinseca et extrinseca.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Homini convenit dominium utile bonorum, quae sibi sunt intrinseca, nempe animae et corporis.* Ratio est, quia haec Deus homini dedit, ut iisdem utatur ad Ipsius gloriam suamque propriam felicitatem. [1]) Hinc injuriam ipsi facit, qui violat et diminuit illa bona. [2])

Non tamen *directum* dominium illorum bonorum habet. Ratio est, quia sunt bona divinitus homini attributa et Dei potestati subjecta. [3]) Patet quoad vitam etiam ex s. scriptura: *„Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem.“* Sap. 16. 13. Hinc Deo injuriam facit, qui violenta manu se vita privat.

2. — **Principium II.** *Homo habet dominium famae suae.* Sic communiter docent. [4]) Ratio est, quia homo famam sibi comparat suis actibus ad suam utilitatem, quare ejusdem dominus non minus est censendus, quam rerum aliarum, quas proprio labore sibi acquisivit. [5])

---

[1]) Hoc dominium circa bona interna, sive corporalia, sive spiritualia est naturale et innatum. Suarez: De Relig. Par. II. Tract. 7. Lib. 8. cap. 4. n. 10.

[2]) Nec excipiuntur bona supernaturalia divinitus collata, nempe gratia sanctificans, virtutes infusae, nam horum quoque bonorum homo dominium utile habet. Reuter: P. III. n. 28. Holzmann: Theol. moral. Par. IV. de jure et justitia Tract. 1. a. 4. n. 183.

[3]) Vide s. Thom. 2. 2. q. 64. a. 5. c.

[4]) Lessius: De justitia etc. Lib. 2. cap. 4. Dub. 11. n. 59. Suarez, qui (de Relig. P. II. Tr. 7. Lib. 8. cap. 4. n. 10.) dominium circa famam et honorem vocat *naturale et innatum.* Lugo: De justitia et jure Disp. 14. Sect. 10. n. 153. Sotus: lib. 4. de justitia q. 2. a. 3. Laymann: Th. mor. lib. 3. t. 3. p. 2. cap. 3. n. 14. Voit n. 876. et alii recentiores contra Cajetanum. Idque innuit s. Thomas q. 73. a. 4. ad 1. ubi docet, *in cujusvis arbitrio esse, pati detrimentum suae famae, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum.*

[5]) Reiffenstuel: Th. m. Tom. III. Tr. VII. Dist. 4. q. 1. n. 7.

Consequenter igitur homo licite potest *ex rationabili causa* famae suae jacturam facere e. g. ad exercendam humilitatem, ad celebrandam Dei misericordiam; ut fecit s. Augustinus, qui quippe scripsit libros Confessionum, s. Franciscus Seraphicus, qui e publico loco suos defectus denuntiavit. Dixi: *ex rationabili causa;* etenim sine tali causa tantum famae bonum prodigere, esset peccatum, idque eo majus, quando infamia redundaret in despectum status vel conditionis, vel officeret executioni utili muneris, vel procrearet scandalum proximo; unde s. Paulus: *„Providemus enim bona,* inquit, *non solum coram Deo, sed et coram hominibus."* 2. Cor. 8. 21. Rom. 12. 17. Et s. Augustinus ait: *„Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra."* [1])

3. — **Principium III.** *Homini convenit dominium rerum externarum.* Etenim homo per rationem et voluntatem potest uti rebus exterioribus ad suam utilitatem, tamquam propter se factis. Semper enimvero imperfectiora sunt propter perfectiora. [2]) Accedit, quod Deus etiam expresse concessit hominibus res externas, ut de iis disponant ad sua commoda, his quidem verbis: *„Dominamini piscibus maris et volatilibus coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram."* Gen. 1. 28. Sic s. Thomas [3]) et catholici omnes.

4. — Permulti temporis decursu exstiterunt, et in praesentiarum quoque existunt commenti assertores, bona omnia debere communia esse, atque illicitam et plane iniquam esse distinctam et privatam bonorum possessionem. Et quidem 1. jam Apostolici asserebant, *hominem non posse salvari, nisi viveret instar Apostolorum nudus ab omni divitiarum proprietate.* [4]) 2. Manichaei pariter docebant, *fidelibus non licere agros ac domos pecuniamque ullàm possidere.* [5]) 3. Item Pelagiani spem salutis iis negabant, qui non renuntiarent actu omnibus, quae possidebant. [6]) 4. Postea Waldenses et Albingenses fabulati sunt, *paupertatem* (sub qua teste Bossueto intelligebant bonorum communionem) omnibus a Christo praeceptam esse. Hi quidem omnes haeretici ad perversa sua placita stabilienda locis s. scripturae pessime explicatis institerunt. 5. Postremo *Communistae* Galliae, St. Simon, Fourier, Cabet, Leroux, Louis Blanc, Proudhon, ex insanis rationis placitis, communitatem et aequalitatem bonorum introducendam esse asseruerunt, dicentes, omnes homines pari jure gaudere, felicitatem terrenam assequendi, ac ideo bonis, quae vitam beatam reddant, utendi; cum vero maxima sit bonorum inaequalitas, et inprimis

---

[1]) De bono viduitatis cap. 22.

[2]) 2. 2. q. 64. a. 1. c.

[3]) 2. 2. q. 66. a. 1. c.

[4]) Teste s. Epiphanio haeres. 61. et s. Augustino haeres. 40.

[5]) Sic refert s. Augustinus: De moribus Eccl. cathol. Lib. 1. cap. 35. n. 78 et sq.

[6]) Constat praeprimis ex s. Augustini opere: de Gestis Pelagii cap. 35. n. 65.: constat etiam ex epist. Hilarii ad s. Augustinum, ep. 156. in operibus s. Augustini, et ex epist. 157. s. Augustini ad Hilarium n. 29. et sq.

operarii summa egestate et miseria per industrialismum opprimantur, ideo constituendam esse societatem, in qua omnia sint communia, atque singulis tum labores, tum bona in praemium laborum aequa lance distribuantur. His adhuc audaciores omnimodo sunt *associationis internationalis,* uti ajunt, sectatores, qui dominium non aliud quam manuum laboribus acquisitum, cives non alios quam operarios esse volunt, omnibusque, qui in rerum possessione sunt, bello indicto potestatem etiam politicam abripere attentant ad monstrum democratiae socialis ruinis societatis extantis superstruendum. Vid. Lib. I. §. 8. n. 8. et seq.

PROPOSITIO.

Dominium privatum rerum exteriorum in statu naturae lapsae nedum licitum, sed et necessarium, ac inviolabile est.

5. — Dico I. *Dominium privatum* **licitum** *est.* Etenim nil obstat 1. ex parte Dei, quia Deus res terrenas hominibus subjecit ad eorum utilitatem, ut praehabitum est n. 3.; ergo possunt singuli res quasdam sibi proprias reddere ad providendum suis necessitatibus. Et nihil obstat 2. ex parte rerum; quia si nullius sint, libere occupari, si alicujus sint, ab illo diversis modis e. g. emptione, donatione, absque justitiae laesione obtineri possunt.

Dico II. *Dominium privatum in statu naturae lapsae necessarium est.* Etenim per peccatum natura humana in deterius mutata est, et hinc ad cupiditatem vehementer inclinat. Experimur homines maxime curare propria, communia autem facile negligere, et (quod inde sequitur) jurgiis se lacessere, dum communiter quid possident. Quare possessiones, si communes mansissent, parum colerentur, ac praeterea contentiones et rixae inter homines assidue saevirent. Si enim Abraham et Loth, viri justi, *nequibant habitare communiter, et facta est rixa inter pastores gregum Abraham et Loth* Gen. 13. 6, 7., quid de aliis minus piis futurum esset? Quocirca distincta rerum proprietas necessaria evasit: a) ut res melius administrentur, et b) ut status pacificus hominum facilius conservetur. Et ideo ipsa natura rationali impellente, seu, ut s. Thomas loquitur, „per adinventionem rationis humanae" distinctio et divisio possessionum facta est, et jam quidem ab ipsis terrae exordiis. Etenim Abel pastor effectus ovile sibi fecit proprium et oves proprias habuit; Cain agriculturam exercens proprios habuit campos; Henoch propriam possedit domum, imo civitatem; Abraham fuit dives valde in possessione auri et argenti etc. — Ex quibus omnibus colligitur, dominium proprietatis, ob naturae nostrae pravitatem, rationi maxime consentaneum atque necessarium esse; quod insuper Deus ipse, rerum

omnium auctor et dominus supremus, expresse confirmavit legibus multis, atque praeprimis in 7. et 10. Decalogi praecepto legitimum illud ac inviolabile declaravit.

6. — Cum his non pugnat, quod passim ss. Patres dicunt, omnia esse communia. E. g. s. Chrysostomus ait: *„Non vides, quando omnia communia Deus nobis concessit?“* [1]) S. Ambrosius: *„Proprium nemo dicat, quod est commune.“* [2]) — Etenim res exteriores eatenus sunt *communes*, quatenus bonorum possessores tenentur de illis communicare et subvenire indigentibus in necessitate extrema et gravi, imo et communi, ut dictum est de eleemosynae praecepto §. 30. Unde s. Paulus dicit: *„Divitibus hujus saeculi praecipe, facile tribuere, communicare de bonis.“* 1. Tim. 6. 17, 18. Et hinc s. Chrysostomus verbis citatis statim addit: *„Nam si pauperes esse permisit, id in divitum gratiam facit, ut possint per eleemosynam peccata deponere.“* Et s. Ambrosius supra sic prosequitur: *„Plus quam sufficeret sumptui, violenter obtentum est.“* Idem exprimit s. Augustinus scribens: *„Quaere, quantum tibi dederit* (Deus), *et ex eo tolle, quod sufficit: cetera, quae superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienae possidentur, cum superflua possidentur.“* [3]) Cum enim res terrenae a Deo ordinatae sint, ut ex his subveniatur hominum necessitati: ideo res, quas aliqui abundanter habent, ex jure naturali debentur pauperum sustentationi, ut d. Thomas [4]) dicit.

7. — Ceterum cum divisio et proprietas bonorum ob corruptionem naturae humanae sit introducta, inde sequitur, quod si in aliquo coetu vitia naturae ita comprimi possint, ut non dominentur, bene obtinere potest communitas bonorum. Et hinc legitur, tempore nascentis Ecclesiae, fideles Jerosolymis omnia habuisse communia Act. Ap. 2, 44.; 4, 32.; quod mirum non est, cum *credentium esset cor unum et anima una* ibid. 4. 32. Idem adhucdum servatur in coetibus religiosorum, qui cum a mundo sint segregati et toti rebus divinis mancipati facilius illa vitia, quae distinctionem rerum postulant, devitare queunt; quare merito inter eos, ut omnia sint communia, statuitur. [5])

8. — *Quid igitur sentiendum est de doctrina Communistarum?* Haec est 1. impia erga Deum, 2. injuriosa proximo, 3. perniciosa societati, et 4. in se absurdissima.

1. *Impia erga Deum*, quia Deus ipse jus proprietatis multis legibus confirmavit et inviolabile declaravit.

2. *Injuriosa proximo;* quo enim jure homo potest hominem jure privatum declarare, quod in ipsa hominis natura fundatur et quod Deus confirmavit.

3. *Perniciosa societati*, quandoquidem jure proprietatis sublato, labores abjecti et molesti mox repudiarentur, negotia non pauca, societati humanae necessaria et utilia negligerentur, res multae depravarentur, quisque rem communem, qua uti

---

[1]) Homil. 77. in Joannem, n. 5.

[2]) Habetur dist. 47. cap. *Sicut.*

[3]) Enarr. in Psalm. 147. n. 12.

[4]) 2. 2. q. 66. a. 7. c.

[5]) Lessius: De justitia etc. Lib. 2. cap. 5. Dub. 3. n. 9. Laymann: Theol. moral. Lib. 3. Tract. 1. cap. 5. n. 5. De Lugo: De justitia et jure Disp. VI. Sect. 1. n. 1.

vellet suam facere conaretur; potentiores omnia raperent; quibus accedit, quod jure proprietatis semel sublato, mox alia jura evanescerent, mundus continuis contentionibus et pugnis arderet, humana societas everteretur. Quae quidem maxime in molimínibus associationis internationalis videre licet.

4. *In se absurdissima*, quia insulsis praemissis nititur. Etenim Communistae a) supponunt homines tales esse, quales experientia teste non solent communiter inveniri, nempe pacis et concordiae studiosos, ad obsequia aliis praestanda pronos, paucis facile contentos, laboris patientes, ab omni egoismo alienos, boni communis unici sollicitos. b) Falso supponunt, omnes homines posse conjungi in unam societatem operariorum, quam passim appellant associationem universalem („association universelle“ St. Simon), societatem organicam („societé organique“ Fourier), idque absque praesidio religionis christianae. [1]) c) Falso supponunt, potestatem civilem parem existere, singulis vel pro eorum „capacitate“ (St. Simon, Petr. Leroux), vel pro eorum naturali inclinatione (Fourier, Cabet), vel pro eorum dignitate (Louis Blanc) labores assignando, atque bona in praemium laborum aequa lance distribuendo d) Falso supponunt, supremum potestatis socialis munus esse, labores „organizare,“ rerum „productionem“ et „industriam“ promovere et moderari (Louis Blanc), „associationes operariorum“ constituere (Louis Blanc), officinas nationales „Nationalwerkstätten) et instituta industrialia erigere (Louis Blanc, Cabet) labores omnes distribuere et remunerari (Cabet, Petr. Leroux etc.). e) Falso supponunt, felicitatem terrenam esse summum bonum generis humani, atque societatem civilem hunc in finem esse institutam, ut illo bono omnes et singuli potiantur. [2]) Ceterum Communistarum et Socialistarum modernorum mens nequaquam est, populum felicem reddendi, sed suam tantum cupiditatem et ambitionem satiendi. Et quod attinet mala socialia, quibus medelam adferre praetendunt Communismi magistri, certum est, unicum simulque efficacissimum istorum malorum remedium in Christianae legis custodia positum esse. [3]) Hinc monstrum Communismi jure meritoque anathemate percussit P. M. Pius IX. encycl. die 9. Novembris 1846., ubi declaratur *„infanda ac vel ipsi naturali juri maxime adversa de Communismo, uti vocant,*

---

[1]) Recte dicit philosophus protestant. Imman. Herm. Fichte: „Durch die Lehren des Communismus wird der Staat in eine grosse Industrie- und Bankanstalt, das Menschengeschlecht in Arbeitergesellschaften umgewandelt.“ Die philosofischen Lehren von Recht, Staat und Sitte. Leipzig 1850. S. 758.

[2]) Apposite idem philosophus observat: „Wie stünde es um die Menschheit, wenn sie in der That mit einem Schlage in eine grosse Arbeiterassoziation oder in ein riesiges Phalansterion mannigfachsten Lebensgenusses verwandelt werden könnte, oder gar in ein humanitäres Freimaurerthum von lauter „Diesseitigen,“ Nichtglaubenden? Wäre sie glücklicher, befriedigter, als jetzt, wären ihre geheimen Wunden geschlossen, ihr innerstes Sehnen gestillt? Müsste sie nicht an der vollendeten Langenweile dieses Daseins zu Grunde gehen, ihr Leben verwünschen? Op. cit. pag. 749.

[3]) Rectissime Fichte observat: „Der Communismus ist keineswegs zu betrachten als ein Inbegriff von positiven Lehren und genau untereinander verbundenen Sätzen, sondern als die durchgreifende Verneinung der alten Form der Gesellschaft in allen ihren Grundlagen, ohne dass er selbst es wüsste oder darüber mit sich einig geworden wäre, was Neues und Positives an dessen Stelle zu setzen sei. Er ist darin ganz den Bestrebungen des kirchlichen Unglaubens gleich zu stellen, die von den verschiedensten Gesichtspunkten auch nur verneinen und dennoch sich einbilden, einig zu sein oder wohl gar ein Positives geschaffen zu haben.“ Op. c. p. 775.

doctrina, quae semel admissa, omnium jura, res, proprietates, ac vel ipsa humana societas funditus everterentur;" item in encycl. die 8. Decembr. 1849., in qua „*nefaria*" appellantur „*novi Socialismi et Communismi systemata.*"

Quod molimina *associationis internationalis* attinet, haec jam prima fronte ut injustissima ita impiissima, maximeque societati humanae perniciosa cognoscuntur; quare ea refutare superfluum, cohibere autem et evertere maxime necessarium est, Ecclesiae et principatus civilis viribus unitis.

* De jure proprietatis: S. Augustinus: De moribus Ecclesiae catholicae Lib. I. n. 78—80. (contra Manichaeos). Epist. 157. ad Hilarium n. 23—39. (contra Pelagianos). S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 66. a. 1. et 2. De Lugo: De justitia et jure Disp. VI. Sect. 1. Lessius: De justitia ceterisque virtut. cardin. Lib. II. cap. 5. Dub. 1. 2. et 3. Jos. Carrière: De justitia et jure Tom. I. P. I. c. 2. Taparelli S. J.: Versuch eines auf Erfahrung begründeten Naturrechtes I. B. n. 398—411. Regensburg 1845. — Contra Communistas et Socialistas nostrae aetatis videantur scriptores Lib. I. pag. 36. et 37. adducti. Praeter illos hic commemorari merentur. Thiers: Ueber das Eigenthum. Deutsch, Mannh. 1848. A. Nikolas: Das Verhältniss des Protestantismus und aller Haeresien zum Socialismus. Uebers. Paderborn 1853.

De remediis malorum socialium e religione et Ecclesia catholica petendis consuli possunt: Hefele: Das Christenthum und die Wohlthätigkeit. (Beiträge zur Kirchengeschichte etc. I. B. S. 175—212. Tübingen 1864.). Ratzinger: Geschichte der kirchl. Armenpflege. Freiburg 1868. Eberl: Die Kirche und die Association der Arbeiter. Passau 1866. Ep. Ketteler: Die Arbeiterfrage und das Christenthum. Mainz 1864. Perin: Ueber den Reichthum in der christlichen Gesellschaft. Deutsch von Weizenhofer. Regensb. 1866. Meyer S. J.: Die Arbeiterfrage und die christlich-ethischen Socialprinzipien. Stimmen aus Maria Laach. Monatschrift 1871. 1. B. Heft 2. u. f. Curci S. J.: Sopra l'Internationale nuova forma del vecchio dissidio tra i ricchi ed i proveri. Felix: Ein Wort an die Arbeiter. Regensb. 1871. Ephem. *Der Katholik.* 1867. S. 434—457.

§. 98.

De dominio hominis in alios homines.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Homo non habet dominium directum proprietatis in alium hominem* nec quoad corpus nec quoad animam ejus. [1]) Hoc dominium soli Deo competit. Potest tamen princeps vi potestatis divinitus sibi concessae malefactores interficere.

Principium II. *Potest homo dominium indirectum seu utile in alios habere,* quatenus nempe ei facultas legitima convenire potest, disponendi de actibus aliorum et de fructibus actuum in proprium commodum. Ratio est, quia homo quilibet est dominus actuum suorum et fructuum laborum suorum, ac proinde potest eos in dominium alterius tradere. Et hoc quidem obtinet in statu famulatus.

[1]) Laymann: Th. mor. Lib. III. Tr. 1. cap. 5. n. 11., Carrière, Scavini etc.

2. — *Quid igitur censendum de servitute?*

Servitus est status subjectionis perpetuus, quo quis pro alimentis tenetur omnes operas suas alteri praestare.

Communiter docent, [1]) servitutem, posito peccati statu, [2]) *per se* non repugnare juri naturae, quando adsunt sequentes conditiones: 1. justus titulus e. g. renuntiatio propria, ut legitur de s. Paulino episcopo, qui servum se fecit, ut viduae cujusdam filium a servitute redimeret, jus belli etc., 2. benigna servorum tractatio nec non sedula salutis eorum cura.

His igitur positis conditionibus servitus, quamvis sit status maxime lugendus et poena peccati, tamen iniqua non est, ideoque intrinsece mala dici nequit. Quod ultro eo confirmatur, quod Deus in A. T. Exod. 21. Lev. 25. Deut. 20. et 21. varias leges tulit pro variis servitutum generibus, et in N. T. Apostolus servos hortatus est ad honorem et obsequium dominis suis exhibendum 1. Cor. 7. 20. Coloss. 3. 22. Ephes. 6. 5. et servum Onesimum ad Philemonem ipsius dominum remisit. Et quidem tum praescripta veteris legis tum Apostoli monita praescindebant, quidquid detestabile in servitute apud gentiles occurrebat.

Item per salutaria Ecclesiae statuta servitus, quae illico tolli nequibat, valde mitigata, et tandem sublata est; ast America detecta Europaei incoeperunt *commercium Nigritarum,* omnino detestabile, quia a) Nigritae injustissime in servitutem rediguntur, et quia b) iidem non ut homines, sed tamquam vilia pecora tractantur. Ideoque merito Pontifices complures tam immanem negotiationem severe interdixerunt et damnarunt, nempe Paulus III., Urbanus VIII., Benedictus XIV., Pius VII., et postremo Gregorius XVI., qui in sua

[1]) Lugo: De Justit. Disp. 6. Sect. 2. Lessius: de justitia ceterisque virt. card. Lib. II. cap. 4. Dub. 9. n. 54. et sq. cap. 5. Dub. 4. n. 12. et sq. Laymann: Theol. moral. Lib. III. Tract. 1. cap. 5. n. 9. et sq. Collet: Tract. de jure et injuria Par. I. cap. 2. Concl. 2. et alii. Inter recentiores Gerdil: De justitia et jure cap. 6. prop. 3. Jos. Carrière: De justitia et jure Tom. I. P. I. c. 3. a. 3. Scavini: Tom. II. Tract. VI. Disp. 3. Dissert. 2. cap. 2. art. 2. q. 3. Gury: P. I. n. 539. et 540. Kenrick: Vol. I. Tract. V. cap. 6.

[2]) In statu innocentiae nulla esset futura servitus, ut communiter docent ss. Patres et Doctores, ut s. Joannes Chrysostomus: Serm. 4. in Genesin, s. Augustinus: Lib. 19. de Civitate Dei cap. 15., s. Gregorius M. Lib. 21. Moral. cap. 15. n. 22. S. Thomas: 1. q. 96. a. 4.; q. 92. a. 1. ad 2.

Constit. *In supremo Apostolatus fastigio,* die 3. Decemb. 1839. commercium illud declaravit *inhumanum et Christiano nomine prorsus indignum,* simulque districte prohibuit, ne quis illud veluti licitum tueri, aut publice vel privatim docere praesumat. [1])

B. De subjecto dominii.

§. 99.

Veritas praevia.

In terra omnes et soli homines sunt dominii capaces, quia dominium est legitima facultas disponendi de aliqua re tamquam sua; atqui omnis et solus homo hac facultate praeditus existit. Nec excipiuntur parvuli et amentes, quia et isti possident facultatem disponendi de rebus externis, quae quippe facultas immediate in ratione et voluntate fundatur. Hinc licet non possint *usum* facere hujus juris per seipsos, eodem tamen *jure* sane gaudent.

§. 100.

De dominio clericorum.

1. — Clericis permissam esse rerum temporalium possessionem acriter negarunt Arnaldus de Brixia, [2]) Waldenses, [3]) Wicleffus, [4]) Reformatores, quibus accesserunt publicistae moderno Liberalismo addicti, qui contendunt, Ecclesiae ejusque ministris nullum jus competere, res temporales possidendi, nisi ex concessione et nutu regimis civilis. Lib. I. §. 8. n. 8.

Synodus Pistoriensis ut „turpem abusum“ notavit, stipendia Missarum et quemcunque proventum stolae a fidelibus accipere. [5])

2. — Sed *de fide* est, *Ecclesiae ministris dominium bonorum temporalium competere.* Etenim Concilium Constantiense condemnavit sequentes Wicleffi propositiones, sub n. 10. *Contra s. scripturam est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones;* sub. n. 32. *Ditare clerum est contra regulam Christi,* et sub n. 33. *Sylvester papa et Constantinus imperator errarunt ecclesiam dotando.* S. P. Pius IX. in Syllabo condemnavit propositiones sequentes: Sub n. 26. *Ecclesia non habet nativum et legitimum jus acquirendi et possidendi.* Sub n. 27. *Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.*

Veritatem enuntiatam breviter sic probamus. Ex jure naturae certe clerici dominii bonorum exteriorum capaces sunt, ut ex hactenus dictis satis liquet. Nullibi vero lex positiva divina extat, quae dominium clericis absolute interdicat. Quin imo discipuli cum ipso Christo vitam agentes possidebant pecuniam, qua emerent escas et sibi et turbis Luc. 9. 13. et loculos habebant. Joan. 12. 6.: 13. 29. Porro Christus dixit: „*Dignus est enim operarius mercede sua*“ Luc. 10. 7. Et Apostolus: „*Quis,* inquit, *militat suis stipendiis unquam? — Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant?*“ 1. Cor. 9. 7, 13. Haec etiam numquam non fuit Ecclesiae persuasio. S. Augustinus scribit: „*Exemplum Domini accipe conversantis in terra. Quare habuit loculos, cui angeli ministraverant, nisi quia Ecclesia ipsius loculos habitura erat.*“ Et subjungit: „*Tunc primum ecclesiasticae pecuniae forma instituta est.*“ Et eosdem loculos vocat „*fiscum reipublicae Domini.*“ [1]) S. Ambrosius in ep. 33. ad Marcellinam scribit, se cum rogaretur, ut ecclesiam unam Arianis traderet, obtulisse patrimonium suum, patrimonium autem Christi se tradere noluisse. Porro stultum, ut Angelicus [2]) observat, videtur dicere, quod tot Sancti, ut Athanasius, Ambrosius, Augustinus praeceptum nihil proprii possidendi transgressi fuissent, si hujusmodi praeceptum extitisset.

Exinde simul facile colligitur falsitas sententiae Synodi Pistoriensis supra allatae, quae igitur jure optimo a S. P. Pio VI. *Auctorem fidei* sub n. 54. damnata est ut falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris laesiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa. Ecclesiae enim ministri, dum Missarum stipendia et proventus stolae percipiunt, „utuntur jure ab Apostolo promulgato, accipiendi tem-

---

[1]) Möhler: Bruchstücke aus der Geschichte der Aufhebung der Sclaverei durch das Christenthum in den ersten fünfzehn Jahrhunderten (Ges. Schr. II. B.). Hefele: Sclaverei und Christenthum (Beiträge u. s. w. I. B. S. 212—227). Balmes: Der Protestantismus verglichen mit dem Katholicismus in seinen Beziehungen zu der europäischen Civilisation. Deutsch. Regensb. 1845. B. I. S. 200. bis 299.

[2]) Otto Frising. Lib. 2. de gestis Frid. cap. 20. inter alia de isto Arnoldo sequentia refert: „„*Dicebat enim, nec clericos proprietatem, nec episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione salvari posse; cuncta haec principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantum laicorum cadere oportere* etc.“

[3]) Constat ex professione fidei praescripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III. a. 1210.

[4]) Hic, ut Thomas Waldens. Lib. 4. doctrinae fidei art. 3. refert, docebat, non licere clericis habere ullas possessiones, et peccasse, tam qui eas donarunt Ecclesiae, quam, qui eas receperunt.

[5]) Vide Constitut. Pii VI. *Auctorem fidei.* 28. Aug. 1794. sub n. 54.

---

[1]) Enarr. in Psalm. 146. n. 17.

[2]) 2. 2. q. 185. a. 6. ad 2.

poralia ab his, quibus spiritualia ministrantur", ut in praelaudata Constitutione docetur.

3. — Bona clericorum sunt *triplicis* generis:

1. *Bona patrimonialia*, quae clericis obveniunt ex paterna haereditate vel ex alia quacunque causa profana.

2. *Bona industrialia* seu *quasi ecclesiastica*, quae clerici acquirunt ex functionibus ecclesiasticis, nempe stipendia Missarum et proventus stolae. Huc etiam pertinent variae oblationes personis ecclesiasticis datae, porro distributiones quotidianae, quae dantur Canonicis pro assistentia in choro. [1]) S. Poenitentiaria die 9. Jan. 1823.

3. *Bona ecclesiastica*, quae ex beneficiis ecclesiasticis clericis adveniunt, nempe reditus beneficiorum. Huc autem referuntur etiam bona, quae a gubernio solvuntur pastoribus et Canonicis in compensationem bonorum ecclesiasticorum, quae surrepta sunt, ut constat ex sequentibus ss. Poenitentiariae declarationibus:

1. An salaria, quae in Belgio solvuntur a Gubernio Pastoribus et Canonicis induant beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum indolem, et annexam habeant obligationem inhaerentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis, et residentiae sub poena non *faciendi fructus suos?*

Sacra Poenitentiaria, perpensis expositis, respondit: *Jam alias a Sancta Sede et consilio secretae Congregationis, responsum fuisse* *affirmative*. Datum Romae die 19. Januarii 1819.

2. Sacra Poenitentiaria consulta, an illa responsio applicari debeat salariis, quae pastoribus et Canonicis regni Galliarum a Gubernio solvuntur, respondendum censuit: *Affirmative*. Datum Romae, in s. Poenitentiaria die 19. August. 1821.

Porro bona ecclesiastica 1. vel honestae clerici sustentationi *necessaria* sunt; 2. vel studiosa frugalitate de beneficii fructibus sunt subtracta, quae ideo dicuntur *parcimonialia;* 3. vel honestae sustentationi supersunt, quae dicuntur *superflua*. Honesta autem clerici sustentatio ea est, quae clerico convenit ratione status, dignitatis etc. Non excludit honestas recreationes, moderatas donationes etc. Sed generalis regula desuper vix statui potest. Attendatur praesertim ad usum clericorum timoratae conscientiae, qui sunt ejusdem conditionis, et ad circumstantias loci et temporis. [2])

PRINCIPIA.

4. — **Principium I.** *Clericus dominium perfectum habet bonorum patrimonialium.* Ratio est, quia clericus nulla lege prohibetur, quin

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 491.

[2]) S. Alph.: Lib. V. n. 182.

de praedictis bonis libere disponat. Haec igitur pleno jure pertinent ad illum, qui consequenter eadem perinde, ac si laicus esset, in quos velit usus, expendere potest, conscientiae tamen ratione habita. [1])

Principium II. *Clericus perfectum pariter dominium habet bonorum industrialium seu quasi ecclesiasticorum.* Est doctrina communis, cui adstipulatur P. M. Benedictus XIV. tum quoad Missarum stipendia et similes proventus, [2]) tum quoad distributiones chorales. [3]) Ratio est, quia Missarum stipendia et stolae reditus a fidelibus absolute donantur clericis ob ministerium personale, quin aliquid oneris iisdem imponere intendant; et distributiones chorales destinatae sunt ut stipendia personalia in praemium assistentibus in choro. [4])

Principium III. *Clericus plenum dominium habet bonorum ecclesiasticorum, in quantum sibi necessaria sunt ad honestam sustentationem. Itemque dominio perfecto parcimonialium gaudet. Superflua autem pauperibus distribuere, vel in alios pios usus erogare sub gravi tenetur.*

Ratio 1mi est, quia haec pars redituum ecclesiasticorum est justa merces eorum, qui Ecclesiae deserviunt; justum enimvero est, ut qui Ecclesiae deserviunt, ab eadem sustententur. Nec excluditur ex hoc jure clericus habens patrimonium, unde vivat, quia non ratione paupertatis, sed laboris clericus ad sustentationem jus habet; qua-

[1]) Hinc non sunt immunes a peccato, qui illa bona minus recto affectu expendant. S. Thom.: 2. 2. q. 185. a. 7. Benedictus XIV.: De Serv. Dei Beatif. etc. Lib. III. cap. 34. n. 23.

Jure exposito ipsi Sancti quandoque usi sunt. Sic s. Carolus Borromaeus bona a majoribus accepta, quae fideicommissi jure manere in familia necesse erat, Francisco Borromaeo Comiti patruo reliquit. S. Franciscus Salesius in testamento una cum fratre adjutore in episcopatu Genevensi condito Anicii die 6. Novembris 1622, patrimonialium haeredem instituit Ludovicum fratrem superstitem Dynastam et Baronem Salesium, Torrentinum et Tullianum etc. Cumque anonymus quidam sanctitatem Francisci Salesii ob idipsum acriter impugnasset, dum de ejus virtutibus quaerebatur in S. Rituum Congregatione, Petrus Franciscus de Rubeis tunc Fidei promotor jussus pro veritate sensum suum aperire, postquam demonstravit, bona, de quibus testatus Franciscus fuerat, non fuisse ex reditibus ecclesiasticis quaesita, conclusit, ex praedicta testamentaria ordinatione nihil inferri posse adversus heroicas ejusdem virtutes. Benedict. XIV. l. c. n. 25.

[2]) De Synodo Dioecesana Lib. V. cap. 8. n. 5.

[3]) Op. c. Lib. XIII. cap. 12. n. 22.

[4]) Lugo: Disp. 4. n. 25. Benedictus XIV. Inst. 107. §. VII. S. Alphonsus: "— *praefatae distributiones, licet ex titulo beneficii proveniant, non tamen dantur immediate pro titulo, sed pro servitio personali, tamquam personae stipendium.*" Lib. IV. n. 491. I.

propter patrimonio parcere, et fructibus beneficii uti potest ad sustentationem statui suo convenientem. Ita communiter. [1])

Ratio 2[di] est, quia clericus jus strictum ad competentem sustentationem habet; quidquid igitur sibi inde detrahit parcius vivendo, jure sibi proprium reddit. Est doctrina communis. [2])

Ratio 3[tii] evincitur ex Ecclesiae praecepto, quod ex innumeris Patrum et Conciliorum testimoniis manifestum redditur. Hanc enim obligationem omnes Ecclesiae canones Clericis imponunt, aut omnibus impositam supponunt, ait Benedictus XIV. [3]) — Ab hac tamen obligatione, ut communiter docent, [4]) excipiuntur *parochi coadjutores* seu *capellani nutu amovibiles,* nec non *pensionarii* seu ii, qui justa de causa pensiones ex fructibus beneficii percipiunt.

Inde deducitur:

1. Superflua bona non necessario pauperibus sunt eroganda, sed in alios pios usus converti possunt, e. g. ad cultum templorum, ad Missas pro defunctis celebrandas, ut colligitur ex Concilio Trid. Sess. 25. cap. 1. de Reform. Excipitur tamen casus, quo pauperes gravi necessitate laborent; tunc enim urget praeceptum naturale charitatis, superflua pauperibus elargiendi. [5])

2. Nomine *pauperum* non tantum mendici, sed ii etiam veniunt, qui sine aliorum subsidio nequeunt statum suum conservare. [6]) *Si consanguinei pauperes sint, iis ut pauperibus clerici distribuant,* ait Concil. Trident. l. c. Postulat autem charitatis ordo, ut consanguinei pauperes aliis pauperibus praeferantur. [7])

3. Non reperitur obligatio, statim anno exeunte superflua in pios usus expendendi; sed necessitate non imminente pauperibus providendi reservari possunt ad erigendam piam fundationem, aliave opera religiosa perficienda, dummodo cautio a clerico adhibeatur, ne post ipsius mortem a consanguineis et familiaribus surripiantur. [8])

---

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 185. a. 7. ad 3. S. Alphons.: n. 491. Quaer. V. Habert, Holzmann, Billuart etc.

[2]) S. Alph. n. 491. III. cum s. Thoma 2. 2. q. 185. a. 7., Lessius, Ferraris etc.

[3]) De Synodo Dioec. lib. 7. cap. 2. n. 4. et 5.

[4]) Vide s. Alph.: Lib. V. n. 184. Lib. IV. n. 491. q. 6.

[5]) S. Alph. n. 491. IV. q. 1.

[6]) S. Alph. n. 491. q. 2.

[7]) Licite quoque potest clericus ex bonis superfluis suis consanguineos in studiis alere, si aliunde non habeant, eo quod parentes vel nolint vel non possint eos sustentare; tunc enim est opus misericordiae. S. Alph. Lib. V. n. 182.

[8]) S. Thom.: 2. 2. q. 185. a. 7. ad 4. S. Alph.: Lib. IV. n. 191. q. 4. cum aliis.

Sed magna quaestio est: *an beneficiatus etiam ex justitia teneatur pauperibus superflua distribuere, ita ut negligens non tantum peccet, sed etiam teneatur ad restitutionem ex bonis, quae aliunde habet?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis:

1. Affirmant alii, [1]) a) quia fundatores beneficiorum videntur bona clericis donasse cum tacito pacto, quod hi detracta sua sustentatione, reliqua in pios usus expenderent; et b) quia ss. Patres et plurima Concilia haec bona appellare solent, *bona pauperum, patrimonia egenorum, vota fidelium,* unde colligere licet, pauperibus convenire jus in bona ecclesiastica superantia clericorum sustentationem, et beneficiatos ex justitia teneri superflua illis ministrare.

2. Negant alii *valde communius* [2]) cum d. Thoma, [3]) quia talis obligatio probari nequit, et quidem a) non ex modo donandi fidelium, siquidem non constat, eos bona Ecclesiae donando, obligationem justitiae clericis imposuisse, superflua in eleemosynas vel alia pia opera erogandi, et b) non ex dispositione Ecclesiae, cum talis obligatio nullibi expressa reperiatur. Nam quod attinet verba ss. Patrum et Conciliorum supra memorata, ea non videntur necessario ita rigorose accipienda, bonumque sensum fundunt, si explicentur de obligatione charitatis, clericis peculiariter imposita, bona superflua pauperibus distribuendi. [4]) Imo ex Concilio Lateranensi V. Sess. 9. §. *Statuimus.,* et ex Concilio Trident. Sess. 24. cap. 12. de Reform.

---

[1]) Alexander Halens.: 3. p. q. 36. n. 5. a. 2. Soto: de Instr. Sacerd. p. 2. lect. 3. Laymann: Th. m. Lib. IV. Tr. 4. cap. 3. n. 3. Habert: De justitia cap. 21. Concina, Roncaglia, Alexander Natalis, Reiffenstuel, qui hanc sententiam vocat *probabiliorem,* Carrière etc.

[2]) Voit: Th. m. P. I. n. 875. q. 4. refert: *Pro hac sententia 100 Theologi facile inveniuntur apud Diesbach;* Marsilius *enumerat* 61, Billuart 17, Lugo 7. Inter hos sunt s. Antoninus tr. 2. tit. 2. c. 5. §. 3. Lessius: De justitia etc. Lib. 2. cap. 4. Dub. 6. n. 43. Lugo: De justitia Dist. 4. Sect. 1. n. 2. Sotus: De justit. Lib. 10. q. 4. a. 3. et 4. Sporer, Azor etc. Inter Canonistas Fagnani, Barbosa, Gonzalez, Schmalzgrueber, Pichler etc.

[3]) Scribit enim Quodl. 6. a. 12. Si Clericus abutitur fructibus suae praebendae, *non tenetur ad restitutionem, sed ad poenitentiam peragendam.* Idem docet 2. 2. q. 185. a. 7.

[4]) SS. Patres passim et superflua laicorum solent bona pauperum appellare. E. g. s. Ambrosius: Lib. de Nabuthe c. 12. *„Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas. Debitum ergo reddis, non largiris indebitum."* S. August. in Ps. 147. *„Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienae possidentur, cum superflua possidentur."* S. Gregorius M. Lib. 3. pastor. cap. 22. *„Cum qualibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur."*

colligi videtur, clericos habere dominium redituum omnium beneficialium (quamvis obligatione oneratum, superfluos expendendi in pias causas), cum a Concilio Later. de omittentibus recitationem Officii et a Conc. Trid. de non residentibus dicatur: *non faciant fructus suos;* exinde enim sequitur, eos, qui haec officia adimplent, et praestant, quod debent, fructus facere suos, seu quod idem est, fructuum beneficialium verum *dominium acquirere* seu obtinere; id enim denotant illa verba: *facere fructus suos,* ut patet ex c. de Cler. non resid. in 6. et Conc. Trid. Sess. 22. cap. 3. de Ref. Ergo clerici beneficiati habent verum dominium proventuum ecclesiasticorum.[1]) Si porro beneficiati illorum dominium tenent, sane non laedunt jus aliquod pauperum, ideoque nec peccant contra justitiam neque ad restituendum pauperibus obstringuntur, dum non faciunt eleemosynam de superfluis, quamvis peccent contra charitatem.[2]) S. Alphonsus[3]) secundam sententiam, nempe negativam, vocat *non minus probabilem* seu *aequiprobabilem* ac primam seu affirmativam, signanter ob auctoritatem s. Thomae.

Ceterum, ut Bellarminus ait, *parum refert, utrum Praelatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra justitiam, an vero, quia peccavit contra charitatem non bene distribuendo facultates suas ecclesiasticas.*

Cum vero *satis probabiliter,* imo forte *probabilius,* beneficiatus non peccet contra justitiam ideoque nec teneatur ad restitutionem, superflua pauperibus non erogando: hinc nec ii tenentur restituere pauperibus, qui absque legitima causa superflua a beneficiato receperunt.[4])

* S. Alphonsus: Theologia moralis. Lib. IV. n. 490—492. Lib. V. n. 180—186. — Lugo: De jure et justitia Disp. IV. Sect. 1—4. Lessius: De

[1]) Card. Pallavicini Lib. 24. Hist. Conc. Tr. c. 3. n. 4. refert, in hoc Concilio propositum fuisse, ut Decreto Sess. 25. cap. 1. de Ref. adderetur: „Quia episcopi Ecclesiasticorum proventuum *dispensatores* sunt,“ sed Lotharingum Cardinalem, Guerrerum Archiepiscopum Granatensem et alios admonuisse, „ut id removeretur, ne detrimentum afferret *valde communi sententiae*, quae docet, *verum dominium penes illos esse.*“ Concilium Provinc. Viennense a. 1858. Tit. VII. cap. 3. dicit, *clericum saecularem beneficii fructuum juste perceptorum dominum non immerito censeri.*“

[2]) Juxta s. Alphonsum: Lib. III. n. 491. IV. et alios sufficit pars vigesima superfluorum ad materiam gravem constituendam.

[3]) Th. m. Lib. IV. n. 492. q. VII. H. A. Tr. X. n. 8.

[4]) Vid. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze S. 297. 298. Olmütz 1851. Gury: Casus conscientiae T. I. p. 338. 339. Lugduni 1864.

justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 4. Dubit. 6. Scavini:
Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VI. Disp. II. cap. 2. art. 2. Gury: Com-
pendium Theologiae moralis, Tr. de justitia et jure n. 558—565. Kenrick:
Theologia moralis Vol. I. Tract. X. P. I. cap. 3. §. III. n. 22—32. Ed. 2. Mech-
liniae 1860. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze oder von der Resti-
tution. S. 285—298. Olmütz. 1851. Jocham: Vom Besitzthume der Geistlichen.
Regensburg. Pruner: Constitutive Gerechtigkeit. S. 216—237. Regensburg.
1857.

§. 101.

De dominio filiorum familias et uxorum.

1. — De dominio *filiorum,* nempe eorum, qui adhuc paternae subjacent potestati, diversae in diversis regnis obtinent juris dispositiones, quae magis ad jurisprudentiam civilem quam Theologiam moralem pertinent. Praescripta juris Romani circa illud versantia videri possunt penes s. Alphonsum Lib. V. n. 488. Codex Austriac. §§. 149. 150. 151. coll. §§. 21. 172. et seq. dominium filiorum familias determinat.[1])

2. — Quoad dominium *uxorum,* trifaria earum bona distinguenda sunt: 1. *Dotalia,* quae ab uxore traduntur marito ad onera matrimonii sustinenda. 2. *Paraphernalia,* (praeterdotalia), quae uxor habet praeter dotem, et sibi reservat; item, quae speciali industria, extraordinario labore acquirit, vel sibi subtrahendo de bonis a marito ad victum, vestitum etc. ipsi concessis comparcit. 3. *Communia,* quae pertinent ad utrumque conjugem.

De his ex jure Romano s. Alphonsus: Theolog. moral. Lib. IV. n. 489. Cod. Austr. §§. 1217. et seq.[2])

Ex jure naturae circa usum illorum bonorum sequentia particulariter veniunt notanda:

1. Uxor licet habeat bona propria, ex bonis communibus dare potest eleemosynam et munera secundum consuetudinem aliarum mulierum illius loci et conditionis, etiamsi maritus eleemosynas omnes illi prohibeat; quia consuetudo hoc jus ei tribuit, quo maritus eam privare nequit. Ita communiter.[3])

2. Praeterea potest uxor subvenire parentibus vel filiis primi matrimonii, ut juxta eorum statum vivere possint, ex bonis communibus vel fructibus dotis, si paraphernalia non habeat, esto maritus

[1]) Alia particularia jura indicat Pruner: Constitutive Gerechtigkeit, I. B. S. 46. u. f. Regensb. 1857.

[2]) De aliis juribus particularibus Pruner op. cit. pag. 99—206.

[3]) Vide s. Alph.: Lib. IV. n. 540.

repugnet; quia jure naturae tenetur uxor praedictos consanguineos alere, et maritus in id consentire. Attamen debet uxor, si possit, compensationem postea praestare filiis secundi matrimonii, quando bona illa subtracta fuerint magni momenti. Ita s. Alphonsus [1]) cum aliis.

3. Non peccat uxor abscondendo et reservando bona, quae maritus in detrimentum familiae dilapidaret, vel subducendo aliquid pro victu aliisque sibi vel familiae necessariis, quae frustra a marito peterentur. [2]) Eo minus peccati argui potest, si marito inscio nonnulla accipiat, quae ipsi rogatus facile concederet.

C. De acquisitione dominii.

Dominium acquiritur 1. occupatione, 2. inventione, 3. accessione, 4. praescriptione, 5. contractibus. De contractibus speciali articulo tractabimus; hic igitur de ceteris.

§. 102.

De occupatione.

1. — *Occupatio est apprehensio rei corporalis, quae nullius est* (ut fera sylvestris) *animo eam habendi ut suam.* Non possunt occupatione acquiri animalia mansueta seu domestica, ut bos, ovis, gallina etc., quantumvis a custodia domini aberrent; ideo ubicumque fuerint reperta, vel etiam incendio vel lupo erepta, restitui debent domino.

2. — Quaeritur: *An is, qui contra legis prohibitionem venatur aut piscatur, peccet contra justitiam, et ad restitutionem obligetur?*

Resp. 1. Peccat contra justitiam, saltem praxi spectata, qua uni vel pluribus jus venandi vel piscandi exclusive reservatum est sive per contractum sive per legem. Ratio est, quia jus strictum alterius violatur.

R. 2. Tenetur ad restitutionem, ut sequitur ex dictis. Et quidem a) si animalia non fuerint in aliquo loco inclusa (pisces in piscinis, ferae in nemoribus muro circumdatis), tunc fur tenetur tantum restituere, quantum spes valet, quam dominus habuit, animalia illa capiendi, id est, circiter dimidium pretium animalium, quae cepit. b) Si animalia fuerint inclusa, fur tenetur integrum eorum

---

[1]) Lib. IV. n. 542. 2. H. A. Tr. X. n. 33.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. n. 541.

pretium restituere, quia animalia ad dominum loci jam pertinebant, atque ipsius erant. [1])

§. 103.

De inventione.

1. — Bona, quae inveniri possunt, quadruplicis generis sunt, videlicet 1. *thesauri* seu res vetustae et absconditae, quarum dominus non amplius inveniri potest, ut e. g. numismata, vascula; — 2. *res amissae* seu res a domino recenter perditae; — 3. *bona derelicta* seu res a domino ideo rejectae, quia eas habere noluit; — 4. *bona vacantia* seu absque testamento et haerede relicta.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Thesaurus ex jure naturae fit primi occupantis, quia res nullius est. [2])

Ex jure Austriaco thesaurus inventus in duas partes dividi debet, quarum una domino fundi, altera inventori adjudicanda est, nisi inventor ad thesaurum effodiendum specialiter fuerit conductus, quo in casu totus ad dominum fundi pertinet. Porro, si inventor illicitis artibus domino inscio vel invito thesaurum quaesierit, dimidia pars, quae per se ad inventorem spectat, tribuenda est denuntianti, vel hoc deficiente, domino fundi. Si fundi dominium directum ad unum, utile ad alium spectet, dimidia pars inter eos dividi debet. Decr. 31. Mart. 1846. Cod. Civ. §§. 400. et sq.

3. — **Principium II.** Res nuper amissae domino tradi debent, si notus sit vel diligentia adhibita innotescat, quia res clamat ad dominum. Unde s. Augustinus ait: „*Quod invenisti, et non reddidisti, rapuisti.*“ [3]) — Quodsi diligentia adhibita dominus inveniri non possit, tunc res ab inventore retineri potest, quia censetur esse nullius, ideoque a primo occupante ejusdem dominium acquiritur. Ita communius. [4])

Ex jure Austriaco sequentia valent: Res inventa vel summam unius floreni, vel duodecim, vel viginti quinque florenorum excedit. Si primum, ter ex more inventio publicetur. Si secundum, ter quoque inventio promulgetur, et insuper res ad Praeturam deferatur, atque una vice in ephemeride notificetur. Si tertium, observentur prius dicta, sed tribus vicibus in ephemeride fiat notificatio. His peractis si dominus compareat, res ipsi reddenda, inventor tamen 10 florenos pro singulis

---

[1]) Ita Molina, Laymann, Lessius, Sporer, Reiffenstuel et alii. Vid. s. Alph.: Lib. IV. not. ad n. 605. in edit. ab Haringer procurata.

[2]) Vid. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze. S. 325. Pruner op. c. §. 99. pag. 287.

[3]) Serm. 179. (al. 19.) n. 8.

[4]) Vid. s. Alph. H. A. Tr. X. n. 69.

centenis exigere potest; quodsi praemium mille florenos attingat, nihil dein inventor exigere potest, nisi 5 pro centenis. Quando dominus inter triennium non appareat, res fit inventoris. Cod. Civ. §§. 389. et sq.

4. — **Principium III.** Bona derelicta et vacantia ex jure naturae fiunt primi occupantis, quia nullius sunt.

Ex jure Austriaco §. 760. bona vacantia ad fiscum pertinent.

Bonis derelictis accenseri nequeunt bona reperta in litore maris aut fluminis post naufragium, adeoque fieri nequeunt primi occupantis. Ita ex jure naturae et jure Austriaco §. 388.

Uvae, spicae etc. fructibus jam collectis remanentes ubique habentur ut res derelictae, ideoque illas colligere unicuique permissum est.

§. 104.

De accessione.

Accessio est incrementum, quo res aliqua augmentatur; et est vel naturalis vel industrialis vel mixta.

Accessio *naturalis* triplex est, nimirum *productio fructuum* ex fundo citra industriam humanam, *nativitas animalium*, et *alluvio* terrae ex uno fundo in alium.

Accessio *industrialis* fieri potest *aedificatione*, quae vel ex aliena materia, vel in alieno fundo est facta; *specificatione*, quando ex materia aliena res nova conficitur, *adjunctione*, si res unius adjungitur rei alterius, tamquam secundaria principali, *commixtione*, quando res solidae ad diversos pertinentes junguntur (e. g. frumentum cum frumento), *confusione*, si res liquidae diversorum in unum coëunt.

Accessio *mixta* fit praesertim *plantatione* et *seminatione*. De his juxta jus Romanum s. Alph.: Lib. IV. n. 494—503. Cod. Austr. §§. 404—422.

§. 105.

De praescriptione.

1. — *Praescriptio* est amissio juris, quo quis intra tempus legibus definitum usus non est. *Usucapio* dicitur acquisitio juris vi legitimae possessionis. Solet praescriptio ceu terminus generalis adhiberi, et in *liberativam* et *acquisitivam* distingui, prouti est vel amissio vel acquisitio juris.

Praescriptio non tantum pro foro externo, sed etiam interno vim habet, siquidem lex humana dominium rerum transferre potest ab uno ad alterum ob bonum commune, ne dominia rerum maneant incerta, jurgiaque excitentur. [1])

Ad praescriptionem requiruntur conditiones sequentes: 1. res, quae praescribi potest, 2. bona fides, 3. titulus justus, 4. possessio continuata, et 5. tempus legitimum.

2. — I. *Res praescriptibilis* ea est, quae pro natura sua vel legum dispositione a privatis acquiri et possideri potest. Ratio, quia praescriptio est species alienationis. Praescribi nequeunt a) res furtivae vel vi ablatae, [2]) b) bona et jura

---

[1]) S. Alph. Lib. IV. n. 517.

[2]) Qui vero rem furtivam bona fide emit vel haereditate accepit, eam praescribere potest. C. A. §. 1476.

regalia, ut e. g. jus exigendi vectigalia C. A. §. 1456., c) res sacrae, ut ecclesiae, porro jura spiritualia, [1]) d) res conjugum durante matrimonio, et bona filiorum familias et pupillorum C. A. §. 1495.

II. *Fides bona* dicitur, qua quis prudenter judicat, rem esse suam. Haec ad validitatem praescriptionis absolute requiritur ex reg. 2. jur in 6. *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* Qui initio dubitat, an res sit sua, possessionem inchoare nequit. Si possessioni bona fide inceptae dubium supervenerit, praescriptio non interrumpitur, modo diligentia adhibeatur ad veritatem cognoscendam; quia in dubio melior est conditio possidentis. [2])

III. *Titulus* dicitur causa, ex qua res possidetur, v. g. emptio, donatio. Ad praescriptionem 30 annorum nullus requiritur titulus, sed sola possessio sufficit etiam in conscientia.

IV. *Possessio* appellatur detentio rei vel exercitium juris. Sine possessione praescriptio non procedit. Et debet esse *continua*, non interrupta, donec tempus requisitum compleatur. Interrumpitur autem vel *naturaliter*, si quippe praescribens amittat possessionem, vel mala fides ipsi superveniat, vel *civiliter*, si a quodam lis super rem intimatur, nisi ille id faciat ad praescriptionem interrumpendam. [3]) Vid. C. A. §§. 1463. 1497.

V. *Tempus* ad praescriptionem requisitum diversum est pro diversa personarum et rerum conditione. Vid. C. A. §§. 1466—1493.

Articulus II.

De contractibus.

§. 106.

Notio et divisio contractus.

1. — *Contractus est duorum vel plurium conventio ad aliquid dandum vel agendum.* Multiplex est; in primis autem pro scopo nostro notarî debet:

1. *Contractus explicitus* seu formalis, et *contractus implicitus* seu virtualis. Explicitus est, quando fit expressa partium conventione, ut e. g. si quis emit mercem pretio a venditore determinato; et hic proprie dicitur *contractus*. Implicitus est, quando tacite fit susceptione muneris, cui pactum adnexum est; et hic a theologis vocatur *quasi contractus*. Talem inire censentur episcopi, parochi, confessarii, judices, advocati, procuratores, medici etc. eo ipso, quo munera certa suscipiunt; quia hoc facto virtualiter sese obligant ad munera sua diligenter obeunda. [4])

2. *Contractus bilateralis*, qui in utramque contrahentium partem

---

[1]) S. Alph. n. 515.

[2]) Idem n. 504.

[3]) Idem n. 511.

[4]) La Croix: Lib. III. Par. II. n. 580. Reiffenstuel: Tom. III. Tr. 8. Dist. 1. n. 8. et 10. Elbel: De Restitut. Conferent. VI. n. 150.

obligationem inducit, ut e. g. est venditio, locatio; et *contractus unilateralis*, qui in unam tantum contrahentium partem obligationem inducit, ut v. c. est promissio, donatio. Prior vocatur etiam *onerosus*, quia onus importat ex utraque parte sustinendum; alter *gratuitus* seu beneficus, lucrativus, quia lucrum seu emolumentum unius contrahentium importat, quod alter ipsi gratis tribuit.

2. — Loquemur 1. de contractibus in genere; et 2. de contractibus in specie, praecipua tantum tractaturi, cum materia de contractibus potissime ad jurisprudentiam civilem pertineat.

A.

De contractibus in genere.

§. 107.

De objecto contractus.

1. — Objectum contractus generatim ea omnia sunt, quae sub hominis dominio cadere possunt.

Ut contractus validus sit, res, circa quam versatur, debet esse: 1) *Existens* in re vel saltem in spe; secus enim illusorius foret contractus. Bene igitur de rebus *futuris* contrahi potest, siquidem spes rerum futurarum pretio aestimabilis est. 2. *Possibilis*, quia ad impossibilia nemo tenetur. Quodsi res ex parte sit possibilis, contractus pro hac parte valet, nisi, ut statuit C. A. §. 882., ita conventum fuerit, ut vel totum vel nihil praestari debeat. Qui autem sua culpa effecit, ut praestatio impossibilis evaderet, ex C. A. §. 878. damnum reparare tenetur. 3) *Propria* contrahentis, quia nemo potest in alium jus transferre, quod ipse non habet. 4) *Honesta*, quia nemo ad rem vel actionem illicitam seu peccaminosam obligari potest.

2. — Quaeritur 1. *An pretium quis licite possit accipere pro actione vel omissione ex justitia debita*, e. g. *judex pro sententia justa ferenda?*

Resp. *Neg.*, quia venderet rem alterius, non suam; alter enim jus habet in actionem illam. Et ideo consequenter, si pro tali actione acceperit pretium, id restituere tenetur. Est certa et communis doctrina. [1]) Hinc ab Alexandro VII. merito damnata est propositio n. 26. sic sonans: *Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.*

---

[1]) Vide s. Alph. Th. m. Lib. V. n. 216.

Quaeritur 2. *An obligationem inducant pacta de re turpi*, e. g. *de patrando furto, homicidio, adulterio?*

Resp. 1. Commune et certum est, ante operis positionem nullum esse contractum, nullamque proinde obligationem, quia justitia nequit ad inhonesta obligare. Quocirca nec promittens solvere debet pretium promissum, nec promissarius retinere potest pretium acceptum.

R. 2. Post operis positionem et pretium solvere tenetur promittens, et illud retinere potest accipiens. Et quoad meretrices quidem commune et certum est, eas posse pretium meretricii petere et retinere. Expresse hoc d. Thomas [1]) tradit. Et s. Poenitentiaria die 23. Aprilis 1822. sequentem edidit declarationem: *Mulier poenitens non cogenda, sed hortanda est, ut pretium meretricii juxta prudentis confessarii judicium eroget in usus pios.* [2]) Idemque haud minus certum videtur quoad alias actiones turpes, ut s. Alphonsus [3]) aliique multi tenent cum d. Thoma; [4]) quia licet hujusmodi actiones, quatenus peccaminosae, pretio aestimabiles non sint, peccatum enim nihil est coll. Lib. I. §. 22., nihilominus tamen pretium merentur, quatenus laboriosae, vel ignominiosae, vel periculosae uni, et utiles alteri sunt. Convenit cum Codice Austr. §. 1174.

3. — Quodsi unus alteri munera dederit, ut eum ad peccatum alliceret, tunc ille qui munera accepit, denegato consensu ea retinere potest, quia nullum intercessit pactum de peccato patrando, et proinde datio illa fuit omnino liberalis. Hinc e. g. judex, cui pecunia data est ad ipsum alliciendum, ut sententiam injustam ferat, juste potest pecuniam retinere tali sententia non lata; item foemina retinere potest munuscula a viro sibi intentione turpi donata, etsi denegaverit copulam. Ita s. Alphonsus [5]) et alii communiter, qui tamen recte addunt, hujusmodi munera accipientem difficulter excusari posse a peccato scandali.

Casus.

4. — 1. *Jucundus promisit Alberto, se ipsi 10 aureos daturum, si unam secum operam conferret ad puellam rapiendam. Re obtenta, cum recusaverit Jucundus pro-*

---

[1]) Dicens: „*Cum quis dat meretrici propter fornicationem, mulier potest sibi retinere, quid ei datum est: sed si superflue aliquid per fraudem aut dolum extorsisset, teneretur eidem restituere.*" 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2; et q. 62. a. 5. ad 2.

[2]) Apud Scavini Tom. II. pag. 307.

[3]) Lib. IV. n. 712. q. I. H. A. Tr. X. n. 123.

[4]) In Lib. IV. Sent. Dist. 15. q. 2. a. 4. q. Solut. 3.

[5]) Lib. IV. n. 712. q. II.

missionem implere, Albertus in bonis Jucundi pro 10 aureis se compensavit. An Jucundus tenebatur promissionem implere, et Albertus uti poterat compensatione?

R. *Aff.* ad utrumque, quia etsi peccatum *nihil*, adeoque non vendibile sit, tamen juste aliquid exigi et accipi potest pro actu ipso materiali, qui seu laboriosus vel periculosus etc. pretio aestimabilis est. [1]) Cf. n. 2.

2. *Paulus, cum posset impedire furtum, pecunia accepta, ut taceret, id non impedivit. An pecuniam acceptam licite potest retinere?*

R. *Aff.*, licet enim peccaverit tacendo, omissio tamen ipsius tamquam utilis alteri, erat pretio aestimabilis; quare pecuniam retinere potest, nisi et ipsa sit furtiva. [2]) Cf. l. c.

3. *Martinus testis pro veritate dicenda in judicio pretium accepit. Quaer. An istud restituere teneatur?*

Resp. *Aff.*, quia testis tenetur ex justitia dicere veritatem, pro eo autem, quod jam ex justitia debitum est, aliquid accipi nequit coll. n. 2. Propterea s. Augustinus ait, non debere judicem vendere justum judicium, nec testem verum testimonium. [3]) Si vero testis expensas facere vel damna subire debuisset, per modum compensationis pretium licite accipere potuisset.

§. 108.

De subjecto contractus.

Hic dicendum 1. quinam contractum valide inire possint, et 2. qualis consensus ex parte contrahentium ad valorem contractus requiratur.

I. Quinam contractum valide inire possunt?

1. — Ex jure naturali ii omnes et soli contrahere possunt, qui usu rationis gaudent et liberam bonorum suorum administrationem habent. Unde contrahere nequeunt 1. infantes, 2. amentes et furiosi, 3. perfecte ebrii, 4. prodigi curatorem habentes.

Ex jure Austriaco inhabiles sunt ad contrahendum, saltem in multis: 1) minores, 2) uxores, quae tamen libere possunt contrahere de suis bonis, et 3) publice interdicti ob statum imbecillitatis aut dementiae etc. De quibus C. A. §§. 865—868.

II. Qualis consensus contrahentium ad valorem contractus requiritur?

2. — Consensus contrahentium est veluti anima contractus; et debet esse internus, liber et plene deliberatus, externe manifestatus et mutuus.

1. *Internus*, quia obligatio contractus ex sola contrahentis voluntate sive implicita sive explicita oritur.

[1]) Casus Consc. de mandato Card. Prosp. Lambertini (Bened. XIV.) Tom. IV. pag. 146. Monasterii 1856.

[2]) Op. cit. Tom. I. pag. 103. La Croix: Th. m. Lib. III. P. 2. n. 45. Lessius: De justitia etc. Lib. II. cap. 13. Dub. 10. n. 68.

[3]) Vid. s. Thom.: 2. 2. q. 71. a. 4.

Unde infertur, quod contractus *ficte* seu sine animo contrahendi vel se obligandi initus nullus est. [1]) Nemo tamen in foro externo ei, qui asserit, se interius non consensisse, fidem habere tenetur.

Porro notandum, quod is, qui finxit consensum, ad damnum, quod alteri ex fictione subsecutum est, resarciendum tenetur, et si aliud non suppetat medium reparandi damnum, consensum internum praestare et contractui stare debet. [2])

2. *Liber et plene deliberatus*, ita, ut contrahens non solum sui compos sit, sed cum ea advertentia agat, quae ad peccatum grave requiritur, quia contractus perfectam obligationem involvit, perfecta autem obligatio perfectum actum praesupponit.

3. *Externe manifestatus*, quia contractus est conventio, quae necessario requirit, ut consensus unius ab altero cognoscatur.

4. *Mutuus* ob rationem modo positam, quia nimirum conventio duorum vel plurium dicitur contractus.

3. — Quaeritur 1. *An error aut dolus irritet contractum?*

Resp. 1. *Aff.*, si error aut dolus versetur circa *rei substantiam*, ut e. g. si emas vitrum putans, id esse gemmam; quia tunc deficit consensus, siquidem prorsus diversus extat contractus ab illo, in quem consensus praestitus est.

2. *Neg.*, si error aut dolus contingat solum circa rei *qualitatem*, ut e. g. si quis emat equum decennem, putans, eum esse quinquennem; quia tunc consensus vere voluntarius in objectum contractus habetur. Deceptus tamen ab erroris vel doli auctore indemnis servari debet. — Excipitur, quando qualitas illa putativa dederit causam motivam et principalem contractui atque per modum conditionis in pactum fuerit deducta, quia tunc error vel dolus in rei substantiam transit. S. Alphonsus [3]) cum aliis communiter. [4]) Convenit C. A. §§. 871. 872. 874.

[1]) S. Alph. Lib. IV. n. 710. Lib. VI. n. 833.

[2]) S. Alph.: H. A. Tract. X. n. 93.

[3]) Lib. IV. n. 714. et 715.

[4]) Lessius: De justitia etc. Lib. II. cap. 17. Dub. 5. n. 29. Laymann: Lib. III. Tr. 4. cap. 5. n. 3. Collet: De justitia, de Contract. par. I. cap. 3. a. 2. concl. 3. Reiffenstuel: Th. m. Tom. III. Tract. 8. Dist. 1. q. 2. n. 14. et 15. cum additionibus. Voit: P. I. n. 889. Scavini etc.

Alii, quibus Gury n. 777. q. 1. accedit, excipiunt contractus *gratuitos*, quos putant invalidos esse, licet qualitas, circa quam error accidit, non fuerit veluti conditio in contractum deducta: quia illi contractus ex natura sua omnimodam spontaneitatem requirunt.

Quaeritur 2. *An metus invalidum reddat contractum?*

Resp. 1. Si metus sit *levis,* contractus valet nec rescindibilis est, qua talis metus nec minuit voluntarium.

2. Si metus sit *gravis,* distinguendum est, videlicet vel juste vel injuste fuit incussus. Si *juste,* contractus validus est et firmus, quia metus gravis minuit quidem, sed non tollit voluntarium. Si *injuste,* contractus, saltem *probabilius,* ex jure naturae adhuc valet, ex ratione prius adducta; sed rescindibilis est, ratione injuriae, quam ille patitur, cui metus est incussus. Ita s. Alph. [1]) et alii communissime. Convenit Cod. Aust. §. 870. — Excipiuntur tamen sequentes contractus seu actus, qui ex metu gravi injuste incusso prorsus invalidi sunt ex jure canonico: 1. matrimonium et probabilius etiam sponsalia, 2. professio religiosa, 3. electio Pontificis, 4. traditio rerum ecclesiasticarum, 5. jurisdictio ecclesiastica per metum acquisita, 6. absolutio a censuris, 7. renuntiatio beneficiorum.

4. — Contractus jure naturae irriti nec *juramento* firmantur, quia juramentum sequitur naturam actus. Idem communius dicunt, si contractus ipso facto irriti sunt ex jure positivo, ratione boni communis.

Casus.

5. — *Casparus donavit Petro satis opulento 40 florenos, putans eum esse Paulum pauperem.*

Robertus sciens, Sigismundum deliquisse, minatur, se illum ad judicem delaturum, nisi dederit duos aureos; quin tamen habuerit animum, eum deferendi, sed tantum terrendi. Obsequitur ipsi Sigismundus.

Rursus Adolpho injuste minatur mortem, quem in flagitio deprehendit, ideo hic ad periculum evadendum 300 florenos Roberto promittit.

Quaeritur, quid de his casibus judicandum?

Resp. ad 1. Nulla est donatio, quia error ille essentialis est, et causa motiva Caspari fuit, sublevare pauperem, qualis non erat Paulus. — Quid, si uterque esset pauper? Tunc donatio valeret, quia error esset tantum accidentalis.

Resp. ad 2. Negant Lugo [2]) et alii, Robertum pecuniam sibi posse retinere, quia dolus dedit causam contractui. E contrario affirmant Lessius, [3]) La Croix, [4]) Reuter [5]) cum aliis, quia, ut dicunt, Sigismundus dedit aureos Roberto, ut resignaret juri suo ad accusandum, id, quod vere fecit, etsi non intenderit accusare. Sed prima sententia omnino praeferenda videtur ex ratione allata, nec persuadet ratio pro secunda sententia adducta; si enim Robertus non intenderit accusare, certe noluit jure suo uti, adeoque dici nequit, pecuniam datam fuisse, ut resignaret juri suo. [6])

[1]) Lib. IV. n. 716. et 717.

[2]) De jure et justitia Disp. 22. n. 167.

[3]) De justitia ceterisque virt. card. Lib. II. cap. 17. Dub. 6. n. 42.

[4]) Th. m. Lib. III. P. II. n. 635.

[5]) Th. m. Tom. III. n. 120.

[6]) Si autem Robertus aliquid acceperit, ut jure suo non uteretur, quo uti

Resp. ad 2. Contractus promissionis validus quidem est, sed rescindibilis ob injuriam Adolpho irrogatam [1]) coll. supra n. 3. q. 2.

§. 109.

De forma externa contractuum.

1. — Sub forma externa contractuum intelliguntur solemnitates seu conditiones in conficiendis contractibus a lege civili praescriptae. Aliae sunt *essentiales,* quarum omissio contractum invalidum reddit, aliae *accidentales,* quibus omissis contractus nihilominus in suo robore manet.

Pro plerisque contractibus secundum jus Austriacum nulla solemnitas ad contractus validitatem requiritur, et ideo contractus vel voce tantum et sine testibus initus tenet et obligat. C. A. §. 883.

2. — Sed *quaestio est, an valeant et in conscientia obligent contractus absque formalitatibus ad ipsorum valorem a jure praescriptis?*

Resp. Triplex est sententia probabilis:

Prima affirmat, quia leges irritantes fundantur in praesumptione fraudis, ergo ubi fraus abest, etiam ipsae leges cessant obligare, cum praesumptio cedat veritati. [2])

Secunda negat, quia jus civile hujusmodi contractus vult haberi pro infectis, ut ansa quibuslibet fraudibus tollatur. [3])

Tertia est media inter duas praemissas sententias, quae docet, hujusmodi contractus esse *validos* quidem, antequam per sententiam judicis irritentur seu irriti declarentur, quia extat obligatio naturalis; *invalidos* vero, quatenus ejusmodi contractus possunt, imo et debent per sententiam judicis irriti declarari, si lis super eis mota fuerit, et ad judicium saeculare deferantur. [4]) Haec sententia videtur ceteris *probabilior* et in praxi tenenda. Cf. Lib. I. §. 60. n. 3.

voluit, tunc certe poterit pretium acceptum retinere.

[1]) La Croix, ut *probabilius* l. c. n. 639.

[2]) Eam tradunt Sotus: De justit. Lib. IV. q. 5. a. 3. Molina, Sa, et alii apud s. Alph. n. 711.

[3]) Hanc tenent Salmat.: De Contr. c. 1. punct. 6. n. 51. cum Vasquez et aliis (Lugo Disp. 22. n. 250. enumerat 20.), quibus ipse Lugo ibid. a n. 257. multum favet. Lessius: De justitia etc. Lib. II. cap. 19. Dub. 3. et La Croix: Th. m. Lib. III. n. 717—724. arbitrantur, testamenta obligare in conscientia, quamvis acta sint omissis solemnitatibus, quas jus civile requirit, reliquos autem contractus sine hujusmodi formalitatibus factos esse irritos vel saltem irritabiles.

[4]) Eam docent Laymann: Th. m. Lib. I. Tract. 4. cap. 17. Sanchez: Consc. Lib. IV. c. 1. d. 14. Reiffenstuel: Th. m. Tom. III. Tract. 8. q. 2. n. 15—19. Reuter: Th. m. Tom. III. P. III. Tr. 2. n. 278. (de testamentis) et alii.

S. Alphonsus [1]) respicit actualem rei possessorem, et dicit, in his contractibus praeferendum esse possessorem, donec per sententiam judicis condemnetur ad restitutionem, cum possessio enim, ut addit, jus certum tribuit, nequit possessor re exspoliari, nisi constet de jure alterius. Coincidit ergo haec sancti doctoris assertio cum tertia sententia.

B.

De contractibus in specie.

1. De contractibus gratuitis, 2. de contractibus onerosis.

I. De contractibus gratuitis.

Agemus 1. de promissione, 2. de donatione, 3. de testamento, 4. de commodato et deposito, et 5. de mutuo.

§. 110.

De promissione.

1. — *Promissio est contractus, quo quis alteri se obligat ad aliquid gratuito praestandum aut omittendum in ejus favorem.*

Promissio tunc tantum obligationem inducit, quando est *acceptata*, quia in quolibet contractu mutuus consensus intervenire debet coll. §. 108. n. 2.; et idcirco promissio ante acceptationem semper retractari potest.

Promissio obligat *per se* ex fidelitate sub veniali. Sic d. Thomas [2]) et alii plures. [3]) Obligat *quandoque* ex justitia sub gravi vel levi pro quantitate materiae, quando nempe promittens intendit alteri conferre *jus strictum ad rem.* Id autem intendere censetur, saltem in foro externo, si promissionem juramento vel chirographo firmaverit, vel coram testibus ad hoc vocatis promissionem enuntiaverit. In foro interno standum est intentione promittentis. — In dubio, an

[1]) Th. m. Lib. IV. n. 711.

[2]) 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1.

[3]) Lugo: Disp. 23. n. 93. et sq. Carden. in 1 Crisi d. 69. c. 4. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 772., qui dicit, hoc *certum* videri. Reuter: Tom. III. n. 159. Voit n. 898. et 899. et alii cum s. Alphonso H. A. Tract. X. n. 127. — Alii dicunt, quamvis promissionem obligare sub gravi et ex justitia.

Per accidens autem promissio potest obligare sub mortali, v. g. ratione gravis damni, quod alias promissarius pateretur; ut si promisisses ei dare mutuum, et ille tibi confisus aliunde sibi non prospexisset. S. Alph.: Th. m. Lib. IV. n. 720.

quis sub gravi vel sub levi se obligare voluerit, minimum tenendum est. Ita Theologi *communius.* [1])

Ceterum in praxi promissio raro obligat ex justitia et sub gravi, quia promittentibus ut plurimum deest animus, se ita rigorose obligandi. [2]) Imo promissiones, prouti communiter fieri solent, non sunt nisi mera proposita, quae obligationem erga alios non inducunt.

2. — Vis promissionis acceptatae cessat 1. si causa motiva evanescat, 2. si res promissa fiat impossibilis, illicita vel inutilis, 3. si superveniat notabilis rerum mutatio, quae si fuisset praevisa, promissio non esset facta, 4. si promissio impleri nequeat sine gravi damno, 5. si promissarius jure suo cedat, 6. si promissarius non stet suis promissis. Ita omnes.

Casus.

4. — *Gertrudis continuo aegrota promisit ancillae suae Caeciliae, se illi in testamento 100 florenos legati instar assignaturam. Sed nihil prorsus de legato avide exspectato post Gertrudis mortem in testamento reperit Caecilia, quae idcirco absque mora pecuniam sibi promissam surripere festinat. Quaeritur: An Gertrudis licite egerit?*

Resp. *Neg.* per se, quia promissio, etsi fiat ex justitia, promissario dat solum *jus ad rem* coll. n. 1., non vero jus in re, quapropter Caecilia nequibat propria auctoritate rem promissam occupare, idque eo minus, si Gertrudis noluerit ex justitia se obligare. — Sic res se habet intuitu promissionis. Ast disquirendum est, an non Caecilia forte jus habuerit ad debitam remunerationem laborum extraordinariorum? Servivit enimvero foeminae continuo aegrotae, — forsitan satis morosae et plus justo praetendenti etc. Audiatur et provide examinetur ancilla miseranda. Quodsi enim ex dominae suae mandato assumpserit labores non debitos, jus habuit ad convenientem eorum compensationem, et idcirco spe percipiendi legati penitus frustrata clam potuit se compensare, saltem sine laesione justitiae, modo non plus acceperit, quam quod ipsi debitum erat. Cf. infra: *de occulta compensatione.*

§. 111.

De donatione, commodato et deposito.

1. — *Donatio* est contractus gratuitus, quo res vel jus in alium gratis transfertur.

Duplex est, videlicet 1. donatio *inter vivos,* cum nempe donator vult rem dono traditam statim propriam donatarii; et 2. donatio *causa mortis,* quando donator vult rem dono assignatam non fieri propriam donatarii, nisi post suam mortem.

[1]) Lugo: Disp. 23. n. 89. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 773. et sq. Cardenas, Reuter n. 160. Voit n. 898. et alii cum s. Alph.: Lib. IV. n. 720.

[2]) S. Alph. n. 720. Reuter n. 161.

Donatio verbalis, dummodo sit acceptata, donatario parit jus in rem, donatio realis seu rei traditione facta, parit jus in re. [1])

Invalidae sunt donationes, si fiant ab eis, qui aere alieno sunt gravati; et advertendum, illos qui dona accipiunt mala fide, teneri ad restitutionem damni, quod obvenit creditoribus. Ita communiter. [2])

2. — *Commodatum* est contractus, quo res ad solum usum alicui gratis conceditur pro certo tempore. *Depositum* est contractus, quo res alicui custodienda committitur; unde depositarius re illa uti nequit sine domini voluntate saltem praesumpta; secus tenetur restituere usus valorem. [3])

Depositarius non tenetur depositum reddere: 1. si certo sciat, rem esse furtivam, 2. si ipse justam et certam causam compensationis habeat, 3. si prudenter timeat, ne dominus re deposita sit abusurus v. c. gladio ad inimicum occidendum. [4])

Casus.

3. — *Daniel verbaliter donat Daciano horologium aureum, realiter Damiano. An Damianus retinere potest horologium?*

Bertha acceptis rebus pretiosis a Francisco, qui eas dederat animo, ab ista puella consequendi, quod turpiter concupierat, numquam consentit. Ideo Franciscus spe frustratus munera repetit dicens, se illa non dedisse, nisi sub tali obligatione. Itaque Bertha a Confessario scire cupit, num res acceptas restituere teneatur?

Resp. ad 1. *Aff.*, quia Damianus per horologii traditionem acquisivit jus in re, Dacianus autem per verbalem donationem nonnisi jus ad rem, coll. n. 1. Donatio pure verbalis vix differt a promissione, dicit s. Alphonsus. [5])

R. ad 2. Bertha non tenetur restituere res a Francisco acceptas, quia illas non accepit sub pacto faciendi copiam sui corporis; quocirca non obtinet nisi mera donatio. Nec obstat assertio Francisci, se munera puellae non dedisse nisi sub praedicta conditione turpi, quia eo ipso, quod donator conditionem non expressit, praesumendum est, eum sine illa res dedisse, nec puella ipsi credere tenetur. Verum puella ista difficulter excusari poterit a peccato scandali. Cf. §. 107. n. 5.

§. 112.

De mutuo.

Agemus 1. de natura contractus mutui, et 2. de lucro ex mutuo percepto seu de usura.

---

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 732. Reiffenstuel: Tom. III. Tract. VIII. Dist. 2. q. 2. n. 18—20.

[2]) S. Alph. n. 722.

[3]) Idem n. 746. 748.

[4]) Idem n. 753.

[5]) Lib. IV. n. 732.

A. De natura contractus mutui.

1. — *Mutuum est contractus, quo rei primo usu consumptibilis dominium in alterum transfertur cum obligatione, rem similem in eadem specie et bonitate reddendi tempore statuto.*

Hinc mutuum differt a commodato, deposito et locato, nam 1) in mutuo traditur *res primo usu consumptibilis* seu quae ipso usu destruitur seu consumitur, ut frumentum, vinum, pecunia; [1]) secus in illis contractibus; 2) in mutuo res non eadem in individuo, ut in praedictis contractibus, sed *res similis in eadem tantum specie*, e. g. pecunia pro pecunia, reddi debet; et 3) in mutuo *perfectum rei dominium* transfertur, quod idem non obtinet in illis contractibus.

2. — Datur verum praeceptum, mutuum iis concedendi, qui in necessitate versantur, et habituri sunt, unde restituant. Ratio 1[mi] est, quia charitas obligat ad subveniendum proximo in necessitate constituto. Unde mutuandum est tum pauperibus, ut patet, tum illis divitibus, qui ob peculiarem circumstantiam mutuo indigent; non vero aliis divitibus, qui nempe ad augendas opes idem postulant, quia in nulla necessitate versantur.

Ratio 2[di] est, quia ad naturam mutui pertinet, ut res similis reddatur; quare contractus mutui cum illis, qui nec in spe habent, unde restituant, locum habere nequit. Sed tunc saepe urgebit praeceptum, aliquam eleemosynam hujusmodi indigentibus erogandi.

3. — Mutuatarius, ut dictum est, rem similem in eadem specie et bonitate reddere debet tempore statuto. Ubi notandum: 1) Non potest mutuator rem ante tempus repetere, nisi ipse sit in pari necessitate; debet tamen rem recipere, si ante tempus reddatur, quia tempus in gratiam mutuatarii concessum est. Casu, quo tempus non fuerit determinatum, mutuatarius tenetur reddere rem mutuatam, quando a mutuatore interpellatur, sed post tempus judicio benevolo definiendum, ne videlicet mutuum potius obesset, quam prodesset mutuatario. [2]) 2) Si inter contrahentes de pecunia in certa quadam specie reddenda conventum sit, tunc ex C. A. §§. 987. 988. in eadem specie reddi debet, sive valor istius speciei pecuniae auctus fuerit, sive imminutus. Si vero species determinata non amplius

---

[1]) Pecunia non quidem absumitur et perit in se; attamen cum expenditur, amittitur fitque alterius, et hoc sensu dicitur usu consumptibilis.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. n. 755.

existat, tunc §. 989. mutuatarius tenetur ad aliam, quae intrinsecum valorem prioris adaequat.

B. De usura.

4. — Usura *sensu latiori* accepta est omne lucrum perceptum ex mutuo vel ejus occasione sive cum legitimo sive absque legitimo titulo. Hoc lucrum appellatur etiam *auctarium*, [1]) vulgari vocabulo nuncupatur *interesse*. Res autem, quae mutuo datur, *sors* vocatur in scholis, vulgariter *capitale* dicitur.

Usura in *sensu strictiori* est lucrum immediate proveniens ex mutuo seu vi praecise mutui.

PROPOSITIO.

Omne lucrum praecise ratione mutui usurarium, atque omni jure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico illicitum est. [2])

5. — Probatio: 1. *Illicitum est jure naturali.* Etenim a) nihil exigi potest pro eo, quod quis alteri rem mutuavit, quia mutuum de se est contractus gratuitus seu beneficentiae. b) Nihil exigi potest pro usu rei mutuatae, quia in mutuo res transit in plenum alterius dominium; quare pro usu rei mutuatae aliquid exigere, perinde esset ac aliquid exigere de re non sua, quia jam translata erat in dominium alterius. [3])

2. *Illicitum est jure divino.* Nam in V. T. legitur: „*Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? — — qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.*" Psalm. 14. 1, 5. In N. T. habemus effatum Domini: „*Mutuum date, nihil inde sperantes.*" Luc. 6. 35.; quibus verbis, ut ait Benedictus XIV., expresse usuram prohiberi concors fuit Conciliorum, Patrum, summorumque Pontificum sententia.

3. *Illicitum est jure ecclesiastico.* Quod constat ex integro titulo *de usuris* in Corpore juris canonici, ubi Pontifices usuras gravissime damnant, ac usurarios severis poenis mulctant; nempe usurarius, si publicus sit ac notorius, a fidelium communione arcetur, absolutione pro foro poenitentiae privatur, infamis habetur, ac si impoenitens moriatur, quin satisfecerit, sepultura ecclesiastica privatur. Accedunt

[1]) Vocabulum hoc a Plauto adhibitum est ad significandam utilitatem alicui rei quasi superadditam.

[2]) Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. Lib. X. cap. 4. — Haeretici Albanenses, ut refert S. Antoninus 4. par. tit. 11. c. 7. §. 3., dixerunt, usuram esse licitam.

[3]) Vide d. Thom.: 2. 2. q. 78. a. 1. Lugo: De just. et jure Disp. XXV. Sect. 2. n. 10. et 11.

multa Concilia, inter quae *Viennense* generale (1311.) rel. in Clementina unic. §. ult. de *usura* aperte declarat, *velut haereticum esse puniendum,* qui praesumit contrarium docere [1])

Quamvis lucrum praecise ratione mutui omnino illicitum sit, ut ex antecedentibus liquidissime apparet: quandoque tamen ratione alicujus *tituli extrinseci* aliquid supra sortem exigere permissum est.

Porro tituli ab usura excusantes sunt: 1. damnum emergens, 2. lucrum cessans, 3. poena conventionalis, 4. periculum sortis. An etiam lex civilis sit legitimus titulus, sub judice lis est.

6. — I. *Damnum emergens* ex mutuo dato legitimus est titulus, aliquid supra sortem seu rem mutuatam accipiendi. Id omnes docent cum s. Thoma, [2]) et expresse concedit P. M. Benedictus XIV. [3]) Ratio est, quia aequum non est, ut quis damnum sentiat ex beneficii collatione.

Requiritur autem 1. ut mutuum sit causa damni, 2. ut nihil praeter damni compensationem exigatur, et 3. ut auctarium (interesse) ab initio in pactum deducatur. Ita omnes. [4])

II. *Lucrum cessans* ob mutuum alteri datum non minus est titulus legitimus, aliquid supra sortem exigendi. Hoc communissime docent Theologi, [5]) et expresse approbat Benedictus XIV. *Vix pervenit* die 26. Junii 1749. Ratio est, quia aequitas non patitur, ut quis in beneficio praestando lucrum amittat; hoc enim perinde esset ac damnum subire, ut Angelicus [6]) dicit. Conditiones requisitae plane eaedem sunt, ac in titulo praecedenti, mutatis tantum nominibus.

III. *Periculum sortis* tunc est legitimus titulus quidpiam supra sortem recipiendi, quando est periculum *verum* et *speciale*, non commune. [7])

Est autem periculum commune, quod reperitur in omni mutuo,

[1]) Scavini: Theol. mor. univ. Tom. II. Tract. VI. Disp. III. Diss. 2. cap. 2. a. 5. q. 5—8. Fusius eandem veritatem demonstrat eruditiss. Card. de Lugo: De just. et jure Disp. XXV. Sect. 2. tota.

[2]) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1.

[3]) De Syn. Dioec. Lib. X. c. 4. n. 2.

[4]) Vide s. Alph.: Lib. IV. n. 769.

[5]) Paucissimis tantum exceptis. Vide s. Alph. n. 768.

[6]) 2. 2. q. 62. a. 4.

[7]) Addunt nonnulli: quando mutuatarius sortem non *assecurat* per pignus vel fidejussionem. Sed appositio haec abundat, siquidem tunc periculum, amittendi sortem, non est *verum*. Bene tamen et convenienter s. Alphonsus n. 765. cum aliis observat, mutuatorem debere assecurationem sortis a mutuatario sibi oblatam acceptare, cum non possit mutuatarium obligare ad tale periculum transigendum.

ut e. g. est periculum amittendi sortem per incendium. Speciale vero est, quod obtinet ob speciales circumstantias mutuatarii, ut e. g. si hic parum notus sit, vel dubiae fidei, vel tenuis fortunae; si sit rerum suarum incurius vel prodigus, vel periculosam exerceat negotiationem v. c. transmarinam.

Pro periculo *communi* nil exigi potest, quia tale periculum mutuo est intrinsecum, quod etiam ipse mutuans sortem retinendo subiret.

Pro periculo *speciali* autem moderatum lucrum percipere licet. Ita fert *communior* sententia; [1]) et probatur ex Concilio Lateran. V. Sess. 10, ubi damnatur quodcunque lucrum ex mutuo perceptum, dummodo non esset periculum sortis etc., et ultro confirmatur ex Declaratione S. Congregationis de propaganda fide pro Missionariis Sinensibus approbata ab Innocentio X., in qua conceditur, lucrum ex mutuo petere *ratione periculi probabiliter imminentis*. Ratio vero est, quia, ut Angelicus [2]) inquit, res quae extra periculum possidentur, pluris aestimantur, quam eaedem periculo expositae, atque ideo mutuans compensationem aliquam exigere potest, quando res cum periculo eas amittendi alteri mutuo tradit. [3])

IV. *Poena conventionalis* seu pactum de poena a mutuatario solvenda, si sortem non reddat tempore definito, *communissime* censetur titulus justus, aliquid supra sortem poscendi. Et merito, quia sic contractus firmitati consulitur, et simul negligentia mutuatarii praecavetur. Requiritur autem: 1) ut mora debitoris sit notabilis et culpabilis, 2) ut absit animus lucrandi per poenam appositam, et 3) ut poena sit moderata et proportionata. [4])

7. — An autem *lex civilis* permittens interesse ex mutuo sit justus titulus etiam in conscientia ab usura excusans, acriter disputant Theologi, cum supremum Ecclesiae judicium decisivum desuper adhuc desideretur.

Recentiores communius affirmant, [5]) quamvis non sint concordes in rationibus assignandis: 1. Alii dicunt, plerumque spectata praesenti rerum conditione titulos externos hactenus expositos ad auctarium adesse, praesertim lucrum cessans, cum vix ullus pecuniam

---

[1]) Admittitur etiam a probabilioristis teste s. Alph.: H. A. Tr. X. n. 153.

[2]) Opusc. 75. c. 6.

[3]) Fuse hac de re disserit s. Alph.: Lib. IV. n. 765.

[4]) S. Alph. n. 766.

[5]) Inter eos, qui negant, legem civilem per se creare titulum sufficientem, auctarium exigendi, sunt Card. Gousset: Vol. I. n. 822. Episc. Bouvier: Inst. theol., Ed. 12. pag. 468—470.

apud se servat otiosam, et periculum sortis. [1]) 2. Alii arbitrantur, principem vi alti dominii, sicut vectigalia et alia onera ob bonum publicum subditis imponere, ita et per legem sancire posse, ut qui pecuniam accipit mutuam, aliquid danti tribuat, si quidem exinde mutuatio pecuniae foveatur, et per facilem pecuniae praestationem commercium et bonum publicum provehatur; praeterea hujusmodi lege pupillis, famulis et aliis, qui negotiari nequeunt, ad res suas augendas subsidium praestari, ac insuper usuras detestabiles efficaciter resecari. [2])

Ceterum quidquid sit de quaestione hac speculativa, praxi jam dudum provide consuluit Apostolica Sedes pluribus Decretis, quae per S. Poenitentiariam et Congregationem S. Officii emisit. Congr. s. Off. die 18. Aug. 1830., 31. Aug. 1831., 17. Jan. 1838. S. Poenit. die 14. Aug. 1831., 7. Mart. 1835. Summa Decretorum haec est: 1. Non sunt inquietandi fideles, neque cogendi ad restitutionem, neque in foro Poenitentiae absolutione sacramentali privandi, qui interesse percipiunt juxta taxam legalem absque ullo alio titulo, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere. 2. Non sunt inquietandi, neque absolutione privandi presbyteri, qui contendunt, legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid supra sortem absque alio titulo, nec inquietandi sunt confessarii, qui poenitentes lucrum eodem modo percipientes absolvunt, donec S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint obtemperare. [3])

* S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 78. In Lib. III. Sent. Dist. 37. a. 6. (de usura). S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. IV. n. 754—757. (de mutuo), n. 758—793 (de usura). — De Lugo: De justitia et jure Disp. XXV. per 11 Sectiones. Scavini: Theol. mor. univ. Tom. II. Tr. VI. Disp. III. Diss. 2. cap. 2. a. 5. Gury: Compend. Theol. mor., Tr. de contr. n. 849—880. Rudigier: Kirchenlexicon von Wetzer und Welte v. *Darlehen*. Kenrick: Theol. mor. Vol. I. Tr. XI. cap. 6. n. 68. — 116. Pruner: Constitutive Gerechtigkeit S. 395—420. Regensb. 1857. Funk: Zins und Wucher. Tübing. 1868.

§. 113.

De Montibus Pietatis.

1. — *Montes Pietatis dicuntur instituta ad id erecta, ut pauperes pecuniam mutuam accipere possint.* (Kirchliche Leihanstalten.)

---

[1]) Engel: Tit. de usuris n. 20. Kenrick: Vol. I. Tract. XI. cap. 6. n. 93.

[2]) Tanner, Pichler, Taparelli: Naturrecht, I. B. n. 966. Gury: Tom. I. n. 863. Liberatore: Ethica. etc. n. 120.

[3]) Resolutiones S. Sedis igitur de-

His similes sunt montes frumentarii, ex quibus pauperes frumentum mutuum accipiunt.

Montes pietatis et frumentarii inventi sunt ex christiana pietate ad subtrahendos pauperes a foeneratoribus. Montes pietatis Perusiae primum erectos approbavit Concilium Lateranense V. (1517.), et Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 8. de Ref. illos episcoporum curae et visitationi commisit. [1])

Licite in his aliquid percipitur supra sortem titulo expensarum, quantum satis sit ad montes conservandos et onera sustinenda. [2]) Accedente auctoritate S. Sedis identidem ad tempus permittitur, ut aliquid amplius montes percipiant ad alios pios usus, ita tamen, ut haec perceptio ex alio titulo facta patefiat mutuatariis atque ab usura ex mutuo distinguatur. Constat ex Resolut. s. Congr. episc. et reg. die 20. Dec. 1838., 9. Aug. 1844., 30. Julii 1852., 15. Maji 1868. [3])

2. — *Quid dicendum de institutis, quae arcae parcimoniae vulgo appellantur?*

R. Haec plane nihil prae se ferunt, quod juri divino vel Sedis Apostolicae Decretis adversetur; siquidem summulas pecuniae mutuo acceptant, et fructuose impendunt, interesse moderatum solvunt et capitalia dominis ea repetentibus restituunt. Imo haec maxime laudanda sunt, quia egentibus multa commoda praestant. De similibus arcis monetalibus, quae in Gallia reperiuntur, s. Poenitentiaria interrogata, eas approbavit. [4])

§. 114.

De testamento.

1. — *Testamentum est declaratio ultimae voluntatis, qua quis cum directa haeredis institutione decernit, quid de rebus suis post*

finitivam decisionem non continent, ut ex earum forma et terminis patet; et ideo episcopo Vivariensi, qui exposuit quosdam suae dioecesis sacerdotes absolute praedicare, licitum esse auctarium legale, Card. de Gregorio die 7. Martii 1835. respondit, *hos sacerdotes probari non posse, quia privata auctoritate definiunt quaestionem, quam Sancta Sedes nondum voluit definire.*

[1]) Vid. Ferraris: Prompta Bibliotheca canonica, Tom. V. v. *Montes pietatis.* Hefele: Beiträge zur Kirchengeschichte u. s. w. I. B. S. 209—210. Tübing. 1864.

[2]) Benedict. XIV.: De Syn. Dioec. Lib. X. c. 5. S. Alph.: Lib. IV. n. 765.

[3]) Acta ex iis decerpta, quae apud Sanctam Sedem geruntur. Vol. IV. pag. 27—32. Romae 1868.

[4]) Kenrick: Tr. XI. n. 116. Gury: n. 874.

mortem fieri vult. Differt a *Codicillo,* qui est dispositio, qua quis absque directa haeredis institutione aliquid circa testamentum explicat vel mutat vel addit, aut legata determinat.

Haeres ille dicitur, ad quem jus spectat, totam haereditatem vel ejus partem adeundi. Legatarius vocatur ille, cui res tantum peculiares e. g. certa pecuniae summa, certum jus, in testamento vel codicillo assignantur; et res tales appellantur legata.

2. — Testamento condendo certa forma praescribitur ab omni jure civili.

De forma interna et externa in declaratione ultimae voluntatis observanda Cod. Aust. §§. 553—601.

Testamenta formis legalibus destituta, quoad *causas profanas* probabilius valent, usquedum a judice rescindantur, ut colligitur ex dictis §. 109. n. 2. [1]) Testamenta ad *causas pias* illis formis destituta absque dubio valida sunt, dummodo constet de mente testatoris; Ecclesia etenim hujusmodi testamenta valida et firma esse declarat, ut constat ex jure can. Decr. l. 3. tit. 26. c. 2. *Relatum,* nec non ex pluribus Responsis s. Poenitentiariae. [2])

3. — Haeredes triplicis generis sunt: 1. *legitimi,* qui de jure succedunt ab intestato, 2. *necessarii,* qui a testatore excludi nequeunt, 3. *voluntarii,* qui a libera testatoris voluntate pendent. De his C. A. §§. 727—764.

Haeredes succedunt in omnia jura et onera defuncti, cujus personam repraesentant. Excipiuntur ea tantum, quae natura sua vel pacto affixa erant personae defuncti.

Imo haeres pro foro conscientiae exequi tenetur dispositiones defuncti etiam non testamentarias, dummodo sint perfectae (non mera proposita) et certo cognitae; quod constat ex Decr. l. 3. tit. 26. c. 4., et ex sequenti declaratione s. Poenitentiariae:

Eudor coelibatarius, haeredibus necessariis destitutus, graviter decumbens, ut animae suae consulat, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem Bonifacium legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum Bonifacio tradit, in quo piam manifestat voluntatem postulatque ab ipso, ut eandem fideliter exequatur. Bonifacius vero, mortuo Eudore, haereditatem integram servat ex eo, quod testamento valido illam teneat. Postulat, utrum in conscientia tutus esse possit?

[1]) Secundum C. A. §. 797. nemini conceditur propria auctoritate haereditatem adire: sed debet haec causa semper ad judicem deferri et juxta legem expediri.

[2]) S. Alph. n. 922. 923. Late Reiffenstuel: Tract. VIII. q. 3. n. 21—28.

S. Poenitentiaria die 23. Junii 1844. respondit in casu explicato Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem Eudoris certo cognitam. Pro foro conscientiae.

4. — Testamenta ad amussim executioni dari debent; haeredes et executores nec licite nec valide illa immutare possunt, nisi haec facultas ipsis a testatore claris verbis sit commissa.

Attamen Summus Pontifex legata et alias ultimas voluntates quoad pias causas ex ratione justa commutare potest. Constat ex jure canonico et ex praxi Apostolicae Sedis. Papa enim a Christo Domino piarum causarum administrator institutus est, ut disponere possit de iis, prout exigit necessitas et utilitas spiritualis fidelium. [1]) — Episcopi proprio jure dispositiones ultimas immutare nequeunt. Excipiuntur autem casus, quibus praevisis testator aliter disposuisset, ut e. g. si pecunia ad quemdam usum legata non sufficiat. [2])

Casus.

5. — *Bertrandus haeres defuncto patre cum scripta a patre relicta colligeret, chartam invenit, in qua pater manu propria notaverat eleemosynas sodalitati s. Vincentii de Paula ad sublevandos pauperes tribuendas. Quaeritur: An haeres ad eas teneatur?*

Resp. *Disting.* Charta manu defuncti scripta vel speciem testamenti prae se fert, vel non. 1. Si prae se ferat speciem testamenti, tunc haeres obstringitur ad eleemosynas praedictae sodalitati erogandas, etsi omni careat juris civilis solemnitate, ex ratione supra n. 2. adducta. — 2. Si non prae se ferat speciem testamenti, rursus est distinguendum, scilicet vel simplex propositum, vel determinatam certamque voluntatem, obligandi haeredem, continet. In priori casu haeres ad nihil, in posteriori autem casu ad praedictas eleemosynas solvendas obligatur coll. n. 3. — Quid autem, si ex verbis in schedula scriptis appareat, testatorem proposuisse illas eleemosynas facere ex voto prius emisso, veluti si legeris: *Nota eleemosynarum, quas facere debeo ex voto?* Resp. Tunc haeres tenetur eas facere, nisi palam sit, easdem a patre jam fuisse factas, quia haeres quicunque universalis succedit ut in jura ita et in onera defuncti, [3]) coll. n. 3. et §. 53. n. 1.

Ferdinandus moriturus coepit condere testamentum, in quo 100 florenos xenodochio ad s. Camillum assignavit, sed morte praeventus testamentum non absolvit. Quaeritur: An haeredes ab intestato legatum illud solvere teneantur?

Resp. *Aff.*, dummodo certum sit, fragmentum testamenti a Ferdinando esse scriptum, et sufficienter constet de ejusdem voluntate, quia dispositio juris civilis tales ultimas voluntates irritans non afficit causas pias coll. n. 3. Neque obstat, quod testator diutius vivens potuerit suam dispositionem immutare. Etenim quamvis id fieri potuisset, tamen re ipsa factum non est: unde cum testator actu nullam mutationem significaverit, ex jure canonico talia pia legata debent firma permanere, eo praesertim, quod sint pro salute animae testatoris defuncti. [1])

[1]) S. Alph. n. 931. quaer. 1.

[2]) Idem l. c. quaer. 2., ubi dicit, episcopum cum haerede in tali casu ex epikeja posse voluntatem testatoris interpretari, et legatum in alium usum convertere.

[3]) Vide Casus Consc. de mandato Prosperi Lambertini (Bened. XIV.) propos. et resol. Tom. V. pag. 138—140. Monasterii 1856.

II. De contractibus onerosis.

Dicemus 1. de venditione, 2. de retrovenditione et mohatra, 3. de monopolio, 4. de venditione per proxenetas, 5. de venditione sub hasta, 6. de sponsione, ludo et loteria. [2])

§. 115.

De contractu venditionis.

1. — *Contractus venditionis est contractus onerosus, quo determinatum pretium datur pro merce, et vice versa.*

Venditio partium consensu perficitur quoad substantiam, nisi ante emptionem partes convenerint conficere scripturam, vel lex civilis quoad peculiares casus aliud statuerit; unde statim *jus ad rem* emptori datur. *Dominium* vero *rei* per traditionem emptori transfertur. Sic ex jure communi, [3]) et ex jure Austr. C. A. §. 1053.

Hinc, si res uni vendita, et alteri tradita sit, res pertinet ad secundum emptorem, quippe qui habet jus in re, dummodo bona fide seu inscius fuerit prioris venditionis; sed tunc venditor damnum forte illatum primo emptori resarcire debet. Si vero res nondum sit tradita secundo emptori, tradi debet primo emptori, quia cum nullus sit in possessione rei, ille, *qui prior est tempore, potior est jure.* Sic ex jure communi, [4]) et ex jure Austr. §§. 423. et sq.

Nunc notatu dignissima de merce et de pretio edisseremus.

1. De merce.

2. — Vendi possunt ea omnia, quae posita sunt in humano commercio, nisi leges speciales obstent, ut e. g. apud nos vetatur venditio veneni sine legitima licentia.

Vendi quoque possunt *jura incorporea,* ut chirographa (Schuldbriefe), credita (Creditbriefe) et similia, si *certa* sint; nec non jura *litigiosa* pro rata probabilitatis fortunae secundae.

3. — Venditoris est, emptorem praemonere de notabili vitio

[1]) Laymann: Lib. III. Tr. V. cap. 2. n. 6. Reiffenstuel: Tom. III Tract. VIII. Dist. 3. q. 3. n. 25. et 26.

[2]) Praetermittimus cambium, censum, aliosque contractus, de quibus Codices civiles satis amplas continent dispositiones, ad animarum curatorem parum pertinentes.

[3]) Vide s. Alph.: Lib. IV. n. 795.

[4]) Idem. n. 827.

rei, quod ei obesse posset; ut e. g. si equus sit furiosus. Quibus omissis, si vitium sit circa *substantiam rei* (ut si vendatur stannum pro argento), venditio nulla est. Si autem vitium sit circa *quantitatem* (ut si dentur 5 pro 8) vel circa *qualitatem* (ut si vendatur vinum aqua mixtum pro puro), venditio valida est, dummodo *de pretio subtrahatur, quantum oportet*, ut Angelicus dicit. [1]) Excipitur tamen, si qualitas transierit in substantiam, ut, si emptor expresse dixerit: Nolo vinum, si non sit vetus. Est doctrina communis. [2]) Vide §. 108. n. 3. q. 1.

2. De pretio.

4. — Pretium duplex est: 1. *legale,* quod a lege definitur, et 2. *naturale* seu *vulgare,* quod valori rei respondet juxta communem hominum aestimationem. Porro pretium naturale latitudinem quamdam admittit, cum hominum judicia varientur de ejusdem rei valore; quocirca distinguitur: a) *summum,* supra quod res aestimari non solet, b) *infimum,* infra quod res generatim non aestimatur, et c) *medium,* quod inter utrumque habetur.

PRINCIPIA.

5. — **Principium I.** *Pretium legale habendum est ut justum et servari debet ab omnibus, ecclesiasticis non exceptis.* Ita s. Thomas [3]) cum communi. Ratio est, quia ad auctoritatem civilem pertinet jus statuendi, quidquid ad commercium publicum attinet. Excipe tamen, si taxa a majore populi parte, sciente principe, non observetur, vel res notabiliter mutentur. Unde *probabiliter* res optima potest carius vendi, quia princeps taxando pretium respicit tantum valorem mercis ordinariae, vel misceri cum alia potest, ut fiat sicut res communes. [4])

6. — **Principium II.** *Deficiente pretio legali ut justum est habendum et servandum pretium vulgare.* Ratio est, quia adaequatum rerum pretium determinatur ex earum utilitate; porro homines, in quorum commercium res veniunt, optime sciunt earum utilitatem appretiari. Ita omnes. Justum autem est omne pretium vulgare, *summum, infimum* et *medium;* ut pariter omnes tradunt. [5])

[1]) 2. 2. q. 77. a. 2.
[2]) Vide s. Alph. n. 819—823.
[3]) 1. 2. q. 96. a. 1. ad 3.
[4]) S. Alph. n. 803. *Notandum I.*
[5]) „Justum pretium rerum, inquit s. Thomas, non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam aestimatione consistit: ita quod modica additio vel minutio non videtur tollere aequalitatem justitiae.“ 2. 2. q. 77. a. 1. ad 1.

Pretium tamen hoc variari potest ratione temporis et loci; etenim ex aestimatione hominum regionis, in qua res existit, et temporis, quo venditur, pretium istud determinatur. Ita s. Alphonsus [1]) cum *communi.* Hinc e. g. mercatores Europaei magno pretio vendere possunt apud Nigros specula, cultellos et similia, quae apud illos magni aestimantur.

Quod attinet res valde pretiosas et extraordinarias, earum pretium taxandum est judicio peritorum, et ubi pretium adaequatum prorsus ignoratur, ceu justum est illud reputandum, in quo utraque pars convenit. Ita s. Alphonsus [2]) cum aliis contra alios.

7. — **Principium III.** *Pretium vulgare quandoque sine injustitia augeri vel minui potest.* Ratio est, quia evenire possunt circumstantiae, per quas vel crescit vel decrescit mercium valor.

1. Pretium vulgare augeri potest seu venditor plus exigere potest pretio communi:

a) Ob singularem bonitatem aut raritatem mercium, cum utraque augeat communem aestimationem. [3])

b) Ob magnum emptorum concursum et mercium penuriam, quia res eo majoris aestimantur, quo plures concurrunt emptores, et quo pauciores venduntur merces. Ita communiter. [4])

c) Ob singularem affectionem, quam venditor in rem suam habet, vel ob singularem commoditatem, quam ex ea percipit; quia talis affectio et commoditas vere pretio aestimabilis est. Est communis. [5])

Nequaquam autem venditor rem carius vendere potest ob affectum vel utilitatem emptoris; nullus enim, apte ait s. Thomas, [6]) debet vendere alteri, quod non est suum.

d) Ob labores et expensas in rebus comparandis et conservandis, quia haec sunt pretio digna. Hinc illi, qui res in parva quantitate vendunt, eas carius vendere possunt ob curas et expensas in eis conservandis. [7])

e) Ob dilatam pretii solutionem ratione periculi in pretio acci-

[1]) Lib. IV. n. 808. *Notand. 1.*
[2]) *ibid.* q. 2. et n. 805.
[3]) S. Alph.: H. A. Tr. 10. n. 174.
[4]) Vid. s. Alph.: Lib. IV. n. 801. Notand. 2.
[5]) S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 1. S. Alph. n. 807.
[6]) l. c.
[7]) S. Alph. n. 809.

piendo, vel lucri cessantis etc., ut dictum est de mutuo §. 112. n. 6. Ita communiter. [1])

8. — 2. Pretium vulgare potest minui seu emptor pro re minus solvere potest pretio communi:

a) Ob copiam mercium et paucitatem emptorum, quia res vendibiles eo minoris aestimantur, quo copiosius offeruntur, et minus appetuntur. Hinc, ut communiter dicunt, licitum est, rem, quam quis ultro offert, emptorem quaeritans, viliori pretio emere. Et probabilius quidem pretium talis rei decrescit usque ad tertiam partem. [2]) Cavendum tamen, ne quis pauperis angustias in sui commodum ita vertat, ut violet charitatem. [3])

b) Ob emptionem mercium in gratiam venditoris, ut si quis multa simul emat, quia tunc venditorem liberat a multis curis et expeditum facit ad alia comparanda. Est communis. [4])

c) Ob anticipatam solutionem, quia talis solutio pluris valet, quam dilata. S. Alph. ut probabile, [5]) cum aliis pluribus.

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 77. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 793—811., n. 818—830. — De Lugo: De justitia et jure Disp. XXV. Sect. 1—11. Reuter: Theologia moralis Par. III. cap. 5. n. 202—232. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VI. Disp. III. Diss. 2. cap. 2. a. 1. Gury: Compendium Theologiae moralis, De contract. onerosis n. 881—902. Kenrick: Theol. mor. Tr. XI. c. 5. n. 45—60. — Schwane: Die theologische Lehre über die Verträge, II. Th. 3. cap. §. 19. u. 20. Münster 1871.

§. 116.

De retrovenditione, mohatra, monopolio et locatione.

1. — *Retrovenditio* est venditio, qua venditor jus sibi reservat, rem suam ab emptore redimendi.

Talis contractus est licitus, dummodo absit usura. Constat ex s. scriptura, qua quippe testante anno Jubilaei omnes redierunt ad possessiones suas Lev. 25. Patet etiam ex ratione, si quidem liberum est venditori, de re sua, prouti vult, disponere. [6])

Ex jure Austriaco §. 1070. hic contractus permittitur tantum pro immobilibus rebus et ad venditoris vitam. Porro venditor tenetur emptori compensare

[1]) S. Alph. n. 810.

[2]) Vide s. Alph. n. 802. Not. 3. et Dub. 1.

[3]) V. s. Alph. l. c. Dub. 2.

[4]) V. s. Alph. n. 802. in fine.

[5]) H. A. Tr. 10. n. 178. Th. m. n. 811., aliam tamen profert rationem.

[6]) S. Alph.: n. 812. et 813. Collet: De contract. Par. II. art. 8. sect. 1.

augmentum valoris, quod res nacta est, et omnes praeterea expensas, in re conservanda factas. Emptor vicissim tenetur venditori compensare damna rei culpabiliter illata. §. 1069.

2. — *Mohatra* est species retrovenditionis, qua nimirum quis rem a te emit majori pretio ad creditum cum pacto explicito vel implicito, ut eandem tibi retrovendat minori pretio pecunia numerata. E. g. Cajus indigens 100 florenos, a te illos mutuo petit; tu autem lucrari cupiens, Cajo offers dolium vini pretio 120 florenorum emendum credito, simulque adjicis pactum, ut Cajus illico vinum tibi retrovendat pretio 100 florenorum, quos ei statim solvere proponis. Sic Cajus accipit 100 florenos cum onere tibi solvendi 120 florenos absque ullo legitimo titulo. Talis contractus *per se* illicitus est, quia in eo latet usura palliata. [1]) Hinc merito proscriptus est ab Innocentio XI. in damnatione propositionis 40. sic sonantis: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.*

3. — *Monopolium* idem est ac venditio unius, et definiri potest: potestas vendendi res penes unum aut paucos tantum existens.

Duplex est: 1. *publicum,* quod conceditur publica auctoritate, et 2. *privatum,* quod inducitur privata auctoritate.

I. Monopolium publicum licitum est, quia princeps illud ut privilegium alicui concedere potest ex rationabili causa, ut e. g. ad industriae praemium, ad commercii prosperitatem. Providere tamen superior reipublicae debet, ne nimio pretio subditi graventur. [2])

II. Monopolium privatum est illicitum per se, quia fraude et machinatione induci solet; ut e. g. si mercatores impediunt fraude, ne aliae merces advehantur, ut suas majori pretio vendant; si opifices conveniant, ne doceant artem nisi pretio injusto. In primis nefarium fit monopolium, quando unus aut pauci merces fere omnes emunt, ut penuria inducta, eas pretio injusto cum enormi lucro vendant. [3])

4. — *Locatio* est contractus, quo usus vel fructus rei aut personae opera pro certo pretio ad tempus ab uno accipitur et ab altero conceditur.

[1]) S. Alph. n. 813.

[2]) S. Alph. n. 815. Reuter: P. III. n. 233.

[3]) Vid. s. Alph. n. 816. et 817.

§. 117.

De venditione per proxenetas.

1. — *Venditio per proxenetas ea est, quae fit per alios ex commissione, famulos vel amicos.*

De hoc contractu breviter sequentia notamus: I. Proxeneta, qui rem vendit supra, aut emit infra pretium sibi designatum, *per se* non potest sibi retinere excessum, quia nullus suppetit titulus, eum retinendi. Dixi *per se;* excipitur enim: 1) si res industria ipsius sit melior facta; 2) si dominus expresse vel tacite declarasset, se nihil exigere ultra pretium designatum; et 3) si lucrum sit parvi momenti, tunc enim facile praesumitur domini consensus. Ita s. Alph. [1]) cum aliis communiter.

II. Si dominus commiserit alicui rem vendendam in uno loco, et hic in alio valde distanti adhibita speciali diligentia majori pretio vendat: tunc commissarius inique non aget, si mercedem labori suo proportionatam servet. Idem dicendum, si dominus alicui commiserit, ut rem tanti emat, et hic adhibita diligentia extraordinaria domino indebita pretio minori emat; in quo nempe casu commissarius compensationem laboris a domino exigere potest. [2]) Sed cavendum, ne mentiatur iniquitas sibi.

III. Potest etiam commissarius ipse rem domini sui vendendam emere pretio ab illo determinato, et postea eandem vendere pretio majori, dummodo adhibita diligentia morali non invenerit emptorem, qui majus pretium offerret; non enim praesumi potest, dominum voluisse majori pretio renuntiare. [3])

IV. Commissarius licite potest retinere ea, quae venditor solo ejus intuitu ipsi cedit, ut e. g. ad officinam suam eum pertrahat, vel ob peculiarem amicitiam; quia tunc obtinet donatio commissario facta. Hinc sartor, qui pannum a mercatore pro domino ad vestes conficiendas pretio minori, quam ordinario emit, non peccat, si pretium majus, quod quippe alii communitur solvere debent, a domino postulat, quando pretium minus solo sartoris intuitu a mercatore factum est. [4])

---

[1]) Lib. IV. n. 825.

[2]) **Lugo**: De just. et jure Disp. XXVI. Sect. 9. n. 150. Contin. Tourn. (**Collet**): De venditione art. 7. sect. 4. n. 3. et alii cum s. Alph. n. 825. Posset consequenter totum lucrum retinere, si pretium extraordinariae diligentiae responderet. H. A. Tr. X. n. 189.

[3]) **Collet** l. c. q. 2. **Lugo**: Disp. 26. Sect. 9. n. 151. **Lessius** et alii cum s. **Alph**. l. c.

[4]) Vide s. **Alph**. n. 826., qui tamen cum Cont. Tourn. addit, caute permittendum esse sartoribus ementibus pannos pro aliis, retinere aliquid de pretio; nam aliquando mercatores revera potius simulant ipsis donare, quam donent, ita ut, si dominus ipse adiret, pro eodem pretio rem obtineret.

Casus.

2. — *Mathias dat in commissis Matthaeo, ut certam in auctione vestem emat, sed non pluris, quam 30 florenis ad summum; Matthaeus autem eam pro 20 florenis accipit.*

Gerardus pallium, quo amplius uti non vult, Gerundio tradit vendendum, sic dicens: Si pro hoc pallio afferas mihi 20 florenos, valde contentus sum. Gerundius autem illud vendit 30 florenis.

Quaeritur: 1. An Matthaeus sine justitiae laesione 10 florenos sibi attribuere queat? et 2. An Gerundius 10 florenos salva justitia sacco suo imponere possit?

Resp. ad 1. *Neg.*, quia Mathias committens vestis emptionem non renuntiavit minori pretio. Cf. n. 2. I.

R. ad 2. *Aff.*, quia Gerardus verbis praedictis sufficienter declaravit, se nihil ultra pretium designatum exigere. Potuit in hoc casu Gerundius ipse pallium 20 florenis emere, et postea majore pretio vendere, quin teneretur ad restitutionem. Cf. n. 2. III.

§. 118.

De venditione sub hasta seu per licitationem.

1. — *Venditio sub hasta ea est, quae fit per praeconem, et in qua ultimo pretium offerenti res adscribitur.*

Licita est talis venditio, sive fiat consentiente, sive invito domino per publicam auctoritatem. Ratio est, quia tam venditores quam emptores in pari conditione lucri et damni constituuntur. Sic quoque judicat sensus communis.

Pretium autem rei ex communi aestimatione ab auctoritate publica adprobata illud reputatur ut justum, quod ab ultimo licitante offertur, sive infra infimum, sive supra summum sit, dummodo fraus absit.

2. — Fraus in contractu licitationis committi potest tam a venditore quam ab emptore.

1. *Fraudulenter agit venditor,* si subornet fictos licitantes, ut pretium rei crescat, vel si vitium rei celet. [1])

2. *Fraudulenter agit emptor,* si dolo aut minis alios impediat, ne licitent aut plus offerant. [2]) Non autem peccat emptor, qui alios *rogat,* ne licitent aut majus pretium offerant, modo preces non sint importunae, ut communissime tradunt. [3]) Pactum inire cum aliis,

---

[1]) S. **Alph**.: Lib. IV. n. 808.

[2]) Idem l. c.

[3]) Vide s. **Alph**.: Lib. IV. n. 808. et Dub. 1. **Lugo**: De just. et jure Disp. XXVI. Sect. 4. n. 45.

ne licitando pretium augeant, emptori non licet; quia venditor impeditur a consequendo pretio majori, ad quod jus habet. Ita s. Alphonsus [1]) cum aliis. Excipiunt tamen plures, si emptores societate vel amicitia conjuncti inter se conveniant, ut unus eorum tantum licitet; quia unam veluti personam moralem constituunt. Imo recentissime nonnulli addunt, non peccare emptorem, si cum aliis, licet societate sibi non conjunctis, pactum ineat, ne licitent aut plus offerant, eo casu, quo alicubi vigeat consuetudo, ut venditor rem suam retrahat, quando pretium inferius ipsi offeratur; quia, ut dicunt, si ipse potest impedire, ne pretium nimis decrescat, aequitas postulat, ne conqueratur, si emptores conveniant, ne pretium nimis augeatur.

§. 119.

De sponsione, ludo et loteria.

1. — *Sponsio est contractus, quo duo vel plures de re aliqua certantes sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit, qui vicerit.*

Sponsio licitus est contractus, si serventur debitae conditiones, quae sunt: 1. ut res ab utraque parte eodem sensu accipiatur, 2. ut eventus utrique sit incertus, [2]) et 3. ut fiat sponsio de re honesta et licita. [3]) — In praxi tamen sponsio raro excusari poterit a labe veniali, ob levitatem, imprudentiam, expensas superfluas, et diversa mala, quae inde subsequi solent.

2. — *Ludus*, quatenus justitiam spectat, *est contractus, quo ludentes inter se conveniunt, de certo pretio victori cessuro.* Triplex est: 1. *industrialis*, qui potissimum dexteritate ludentium regitur, ut ludus discorum; 2. *aleatorius*, qui praesertim a casu dependet; 3. *mixtus*, in quo industria cum casu concurrit, ut ludus chartarum, saltem plerumque.

3. — Ludus per se licitus est, dummodo 1. fiat honesto fine, e. g. ad animi levamen; 2. ex circumstantiis non vitietur, seu congruat personae, tempori et loco, porro absit propinquum peccandi

[1]) l. c. n. 808. Dub. 2.

[2]) Invalida igitur sponsio est, si qui certus est, certitudinem dissimulat, quia fraude utitur. Quodsi manifestet, se rem certo scire, et alter nihilominus contendat et spondere velit, sponsio valida est, quia ille pertinaciae et temeritati suae damnum imputare debet. Ita passim Theologi et C. A. §. 1270.

[3]) Prohibuit s. Pius V. in Bulla: *In eligendis* sponsiones circa electionem Pontificis, et super ejusdem vitam et mortem; Gregorius XIV. in Bulla: *Cogit nos* eandem prohibitionem extendit ad electionem Cardinalium.

periculum vel scandalum; et 3. non obstet prohibitio legis positivae. An clericis ludere permissum sit, inferius considerabimus.

Propter lucrum ludere, peccatum veniale est, nisi lucrum intendatur in finem honestum. [1]) Ludere sacris precibus pro victore applicandis, peccatum non est; quia malum quidem est, adhibere spiritualia propter profana, bonum autem est, profana propter spiritualia adhibere. Si vero unus luderet pecunia, alter precibus, Simonia obtineret. [2])

4. — Ut ludus sit contractus justus, requiritur: 1. ut ludens liberam habeat facultatem de rebus, quas exponit, disponendi; 2. ut coactio et fraus absint in inducendo ad ludum; 3. ut a ludo exulent artes non permissae; 4. ut utrinque sit aequalitas moralis quoad spem lucrandi et periculum perdendi, ideoque in utroque aequalitas peritiae.

Non illicitum est astutiis uti, quas regulae lusus et consuetudo recepta patiuntur e. g. inspicere chartas alterius ex sola ejus negligentia, simulare metum, ut alter fiat audacior etc. Qui autem fraudibus utitur, ut e. g. si chartas signis notet, eas sic componat, ut meliores accipiat, de industria se ita inflectat, ut alterius chartas cognoscat etc., tenetur non solum restituere, quod ipse lucratus est, sed etiam, quod alter fraudibus exclusis juste lucraturus esset. In dubio, an alter esset lucraturus, tantum restituat, quantum valebat spes, quam alter cessante fraude habuit. [3])

Qui multo peritior est in ludo, quam alter, ita ut praesciat, se victorem fore, a ludo abstinere debet aut aliquid commodi adversario concedere; secus ad restitutionem tenetur, quae tamen urgenda non esset, si ageretur de re parva vel si adversarius sufficienter praemonitus ludere pertinaciter voluisset. [4])

Victor in ludo a lege prohibito potest lucrum retinere, nisi ludus irritus a lege declaretur. [5])

5. — Ludus, quamvis sit in se indifferens, et honestae quandoque recreationi servire queat, facile tamen moderatione non adhibita in plurima et gravissima mala degenerabit. Quapropter parochi

[1]) Lugo: Disp. 31. Sect. 1. n. 3. et 4. Reiffenstuel: De contr. n. 108—110. et alii. Idem sentire videtur s. Alph. n. 885. et 886.

[2]) S. Alph. n. 882.

[3]) Idem n. 882. Reuter: Tom. III. P. 3. n. 263.

[4]) Antoine, Gury et alii communius.

[5]) Vide s. Alph. n. 887.

et confessarii, quoad possunt, subditos et poenitentes a ludendi consuetudine avertere studeant.

6. — *Loteria* est emptio juris sortiendi et acquirendi id, quod per sortem advenerit. Ideo omni exclusa fraude licita est, accedente praesertim publica auctoritate. Peccant tamen graviter, qui huic ludo sortium adeo sese addicunt, ut bonis suis expositis impotentes reddantur ad familiam statui convenienter sustentandam.

DISPUTATIO II.

De violatione justitiae.

§. 120.

Peccata justitiae opposita.

Justitiae generatim opposita est injustitia. In specie violatio justitiae legalis dicitur injustitia illegalis, violatio justitiae distributivae vocatur personarum acceptio, laesio justitiae commutativae appellatur injuria. De injustitia illegali, deque personarum acceptione §. 95. scitu necessaria exposita sunt; restat igitur de injuria modo tractare.

§. 121.

Injuriae notio et partitio.

1. — *Injuria est violatio juris alieni:* Dicitur 1. *violatio* juris, quia injuria non tollit jus alienum: si enim tolleret, hoc ipso injuria non esset. Dicitur: 2. violatio *juris* alieni, nempe stricte talis, ut injuria distinguatur a violatione debiti aliarum virtutum, quae quippe violatio quidem peccaminosa est, injuriam tamen non constituit. [1])

Injuria aut gravis aut levis est. *Gravis* est injuria, si ex ea proximus grave damnum patitur, *levis*, si leve damnum proximo infertur. Ita brevissime et optime s. Thomas, [2]) qui praeterea hanc statuit regulam generalem: *Peccata, quae committuntur in proximum, sunt pensanda per se secundum nocumenta, quae proximo inferuntur: quia ex hoc habent rationem culpae.* [3]) Alii injuriam gravem definiunt eam, quae ex natura sua apta est, causare alteri magnam contristationem mutuamque dissolvere charitatem. [1]) Ratio eorum est, quia, cum finis justitiae sit, pacem communem et mutuum amorem per aestimationem jurium in societate promovere, gravis merito censetur illa juris violatio, quae de se vinculum amoris et pacis dissolvere valet.

2. — *Scienti et volenti non fit injuria*, dummodo cedere possit juri suo. Habetur in reg. 27. de reg. juris in 6., item reg. 145. de diversis reg. juris. Ratio est, quia is, qui juri suo cedere potest et vult, jus non servat, ac proinde id non violari, ergo nulla ipsi injuria fieri potest.

E contrario illi injuria fit, qui *non libere consentit*, sed ex vi, dolo vel metu injuste incusso ad se redimendum ab injusta vexatione; item, qui *juri suo renuntiare non valet*, quandoquidem obstat lex vel jus alterius. Recole dicta §. 93. n. 2.

Hinc 1. injuria afficitur, qui metu intentatae mortis adactus porigat pecuniam latroni.

2. Conjugatus nequit consensu suo impedire, quominus violatio uxoris suae sit adulterium, quia obstat jus sacramenti, quod prorsus inviolabile est. Hinc ab Innocentio XI. damnata est sequens propositio n. 50: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

3. Injuriam a tortoribus perpessi sunt Martyres, licet mortem lubenter pertulerint; quia non renuntiarunt juri ad vitam, quod abdicare non potuerunt, sed solum complacuerunt in morte pro Deo tolerata et per injuriam sibi illata. [2])

4. Qui percutit clericum, ipsi licet consentienti injuriam infert, quia hic non potest renuntiare privilegio canonis, quod ad statum clericalem spectat. [3])

3. — Modo tractabimus 1. de injuriis in bonis corporis, 2. de injuriis in bonis famae et honoris, et 3. de injuriis in bonis fortunae.

---

[1]) Reuter: Th. mor. Tom. III. P. III. n. 293.

[2]) 2. 2. q. 59. a. 4.; q. 66. a. 6.

[3]) 2. 2. q. 73. a. 3. c.; et q. 74. a. 2. c. ait: *„Peccatum in proximum tanto est gravius, quanto per ipsum majus nocumentum proximo infertur.*

---

[1]) Sic Esparza: De just. q. 27. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 2. Reuter supra n. 294. Gury et alii.

[2]) Pari ratione occisores Christi ab injustitia non excusantur. Etenim, ut Angelicus ait, *Christus voluit quidem suam passionem, sicut et Deus eam voluit, iniquam tamen actionem Judaeorum non voluit.* 3. q. 47. a. 6. ad 3.

[3]) De his et similibus videri potest La Croix: Th. mor. Lib. III. P. 2. n. 4—15.

Articulus I.

De injuriis in bonis corporis.

Agendum 1. de occisione sui; 2. de occisione proximi; 3. de duello, et 4. de bello.

§. 122.

De suicidio.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Nemini umquam licet propria auctoritate semetipsum directe occidere.* Hoc tenendum contra auctorem „systematis naturae" aliosque hujus furfuris scriptores recentiores, qui Stoicis praeeuntibus, suicidium licitum esse deblaterant. Veritas autem asserta sic probatur: Non licet homini id facere, quod Deo et societati injuriam infert, et charitati erga se ipsum repugnat. Atqui 1. suicidium Deo injuriam infert, quia Deus solus habet dominium directum vitae humanae coll. §. 121. n. 1., quare suicida rem non suam, sed Deo subjectam destruit.[1]) Porro 2. suicidium injuriam societati infert, quia quilibet homo est pars societatis, et ad ejus bonum conferre aliquid debet.[2]) 3. Suicidium charitati, quam homo sibi ipsi debet, graviter repugnat coll. §. 54. n. 3. Ita d. Thomas[3]) atque alii omnes.

Dixi: *propria auctoritate* semetipsum interimere nefas est. Etenim divina auctoritate seu inspiratione id certissime licet. Hinc excusantur illae sanctae foeminae, quae tempore persecutionum seipsas morti tradiderunt, quarumque memoria ab Ecclesia celebratur; *hoc* enim *fecerunt*, ait s. Augustinus,[4]) *non humanitus deceptae*

[1]) Ratio, cur homo dominium habeat directum bonorum fortunae, non item vitae suae, principalis haec est: Cum Deus creavit hominem in suam gloriam et obsequium: non conveniebat, ut sine Dei consensu liceret se subducere ejus servituti vel se ineptum ad illam reddere mutilando vel occidendo se; sicuti non convenit, ut liceat militi sine consensu ducis stationem suam deserere. Secus est de bonis fortunae, quae cum condita sint in utilitatem hominis, utile autem aliquando sit illa penitus abdicare, hinc conveniens erat, ut talis potestas esset homini. Ceterum non desunt aliae rationes, de quibus legi possunt: Lessius: De justitia et jure Lib. II. cap. 9. Dub. 6. n. 21. Molina: De just. et jure Tom. IV. Disp. 1. n. 1. Lugo: De just. et jure Disp. 10. n. 9. et 17.

[2]) Praeterea, qui mortem sibi consciscunt, etiam perniciosum aliis exemplum praebent. Denique qui propriam vitam flocci habent, nec aliorum vitam magni facient.

[3]) 2. 2. q. 64. a. 5.

[4]) De Civitate Dei Lib. I. cap. 26. Concordat c. *Si non licet*, 23. q. 5.

sed divinitus jussae; nec errantes, sed obedientes: sicut de Samsone nobis fas non est aliud credere, cum eum Apostolus Hebr. 11. Sanctis adnumeret.

Rationes, quas impii suicidii defensores pro re sua adferre audent, tam ineptae et futiles sunt, ut eas redarguere supervacaneum reputemus.[1])

2. — Porro non licet se mutilare, nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium, quia homo non est membrorum suorum dominus; quidquid enim homo est, totum Dei est.[2])

Nec licet positive se exponere gravi vitae periculo sine justa causa. Quare peccant funambuli ludentes per funem in locis altis cum probabili vitae periculo.[3])

3. — **Principium II.** Licitum est, *ex justa causa* aliquid facere vel omittere, ex quo praeter intentionem mors sequatur. Ratio est, quia praeceptum conservandi vitam, utpote affirmativum, non obligat semper et pro semper; et aliunde licitum est, ob rationem gravem ponere causam honestam vel saltem indifferentem, ex qua praeter bonum effectum sequitur effectus malus, dummodo finis sit honestus, et malus effectus per bonum compensetur. Ita omnes Doctores.[4]) Cf. Lib. I. §. 100. n. 2.

Hinc 1. miles potest, imo et debet in statione persistere, etsi moraliter certus sit, se occisum iri. Potest pariter ad evertendam turrim hostilem aut ad perdendos hostes pulverem incendere, navem mergere vel incendere, ne hostis ea potiatur cum gravi reipublicae damno, quamvis praevideat sui occisionem.[5]) Haec tamen militi non licent ad privatum evitandum incommodum, e. g. ad evadendam captivitatem.[6])

2. Reus licite potest se sistere judici plectendum; semetipsum vero occidere non potest, etsi judex praeciperet.

3. Quamvis virgini non liceat ad castitatem servandam directe

[1]) De causis autochiriae et de remediis contra eam consuli potest Stapf: Theol. moral. Tom. II. §§. 279—281. Edit. 7. 1856.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. n. 373.

[3]) Idem n. 369.

[4]) S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 4. Scotus in 4. Lib. Sent. Dist. 14. q. 3. §. *De secundo.* S. Alph. n. 366. Lugo, Collet, Elbel etc.

[5]) S. Alph. n. 366. 367. Lessius: De just. et jure Lib. II. cap. 9. Dub. 6. n. 27. et sq.

[6]) S. Thomas scribit: „*Non licet homini seipsum interficere, ut quaslibet miserias praesentis vitae evadat, quia ultimum malorum hujus vitae maxime terribile est mors. Et ideo inferre sibi mortem ad alias hujus vitae miserias evadendas, est majus malum assumere ad minoris mali vitationem.*" 2. 2. q. 64. a. 5 ad 3.

se occidere: licite tamen potest permittere, ut occidatur potius, quam violetur, ob amorem, qui castitati debetur, et ob periculum peccati. [1])

4. Licet servire peste infectis, cibum cedere amico in penuria, tabulam in naufragio, etiamsi eam jam apprehendisset; imo *tradere se ipsum morti propter amicum, est perfectus actus virtutis,* Angelicus dicit. [2])

4. — Vetant Ecclesiae canones, ne suicidae in loco sacro sepeliantur. Quod tamen non intelligendum est de eis, qui mentis non compotes mortem sibi consciverunt, vel qui ante obitum vere de facinore doluerunt.

Addit Concilium nostrum Provinciale Viennense Tit. IV. cap. 14.: „*Ubi medici censuerint, hominem morbo laboravisse rationis usum praepediente, eorum judicio standum erit, ni circumstantiae, ex quibus eum mentis compotem fuisse merito colligeretur, plene probatae essent. Prudente obversante dubio funus ecclesiastico quidem ritu, sed omni majori apparatu secluso terrae mandetur.*"

* S. Augustinus: De Civitate Dei Lib. I. cap. 17—28. (Op. Tom. VII.) S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 64. a. 5. q. 65. a. 1. S. Alphonsus: Theol. moral. Lib. IV. n. 363—375. De Lugo: De justitia et jure Disp. X. Sect. 1. Carrière: De justitia et jure. Tom. II. P. II. n. 833—856.

§. 123.

De occisione proximi.

1. — *Homicidium est violenta hominis occisio ab homine facta.* Quae enim fit a fera, proprie homicidium non dicitur.

Homicidium aliud est casuale, aliud voluntarium. 1. *Casuale* contingit praeter hominis intentionem. 2. *Voluntarium* contingit ex ipsa hominis intentione, atque duplex esse potest a) *directe* voluntarium, cum quis data opera alium interficit; b) *indirecte* voluntarium, cum quis directe quidem alterius mortem non vult, ea tamen ponit, ex quibus potest praevidere mortem alterius secuturam.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Nefas est, privata auctoritate hominem directe occidere. Prohibetur quinto Decalogi praecepto: *Non occides.* Homicidium enim 1. gravem injuriam Deo infert, qui solus nimirum vitae et mortis habet potestatem, 2. gravem injuriam infert communitati, quae parte sua inique privatur, et 3. gravem injuriam illi,

[1]) S. Thom. l. c. S. Alph. Lib. IV. n. 367. H. A. Tr. VIII. n. 1.

[2]) In Lib. III. Sent. Dist. 29. q. 1. a. 4. ad 5. S. Alph. n. 366.

qui occiditur, infert, quia bonum ei adimitur, ad quod jus habet, temporalium maximum, aliorumque bonorum fundamentum. [1]) Hinc omni jure punitur. Jure divino homicidis unacum incredulis et idololatris *stagnum ardentis ignis et sulphuris intentatur, quod est mors secunda.* Apoc. 21. 8. Jure canonico *irregularitas* lata est in homicidas. [2])

3. — **Principium II.** Licitum est, operam dare rei honestae, ex qua praeter intentionem mors alterius sequitur, dummodo res sit necessaria et tanti momenti, ut vitae ipsi aequivaleat. Ita communiter Doctores. Ratio patet ex principio d. Thomae saepius jam commemorato. Hinc e. g. licite potes fugere per viam angustam, quamvis equi cursus forte proterat claudum ibi jacentem, si non valeas alio modo evadere necem ab hoste tibi imminentem. Quodsi tamen claudus in statu peccati mortalis esset moriturus, lege charitatis deberes permittere te occidi, quia salutem proximi spiritualem tuae corporali teneris anteponere. [3])

4. — **Principium III.** Non est homicidii criminis reus, qui adhibita diligentia ponit actionem sive licitam sive illicitam, minime de se vel raro periculosam, ex qua occisio per accidens sequitur. Ratio est, quia homicidium illud est omnino casuale et involuntarium. E contra homicidii reus est, qui ponit actionem de se et communiter periculosam, ex qua frequenter homicidium sequitur. Ratio est, quia homicidium istud est voluntarium in causa. Ita communiter. [4])

Hinc excusatur ab homicidio foemina, quae fornicatione commissa parit prolem mortuam, nisi gravida mortis causam dederit. Excusatur pariter venator, qui operam dans venationi prohibitae necat hominem, etsi diligentiam debitam adhibuerit. Ast homicidii rei sunt, qui in via publica lapides funda projiciunt causa ludendi; qui calce percutiunt mulierem praegnantem vel eam terrefaciunt, ita ut abortus sequatur etc.

§. 124.

De occisione malefactoris.

1. — Erat doctrina Waldensium, non licere principibus malefactores morti addicere. Ejusdem sententiae sunt Anabaptistae, porro non pauci pseudopolitici,

[1]) S. Thomas: „*Qui hominem occidit, injuriam facit non solum homini occiso, sed etiam Deo et reipublicae.*" 3. q. 47. a. 6. ad 3.

[2]) Ex mente S. Thomae per se est gravius peccatum, occidere justum, quam peccatorem 2. 2. q. 64. a. 6. ad 2.

[3]) S. Alphons.: Lib. IV. n. 393. Less.: Lib. II. cap. 9. Dub. 9. n. 58. et 59.

[4]) Vid. s. Alph. n. 398.

qui sub philanthropiae praetextu clamitant, mortis poenam bono societatis nequaquam esse necessariam imo maximo iniquam adeoque abrogandam. [1])

PROPOSITIO.

Fas est, malefactores a publica auctoritate occidi.

2. — Probatur 1. ex jure divino. Praeterquam quod in lege antiqua pro flagitiis valde gravibus supplicium mortis statuebatur, ex evangelica etiam lege ejusdem poenae vindicias petere possumus: „*Si malum feceris,* ait Apostolus, *time* principem, *non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum operatur.*" Rom. 13. 4.; ergo princeps, ut Dei minister, gladio seu morte eos puniendi potestatem habet, qui mala, praesertim reipublicae periculosa, operantur. Porro „*Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.*" Apoc. 13. Idque semper Ecclesia tenuit. [2]) Signanter in Professione fidei Waldensibus ad Ecclesiam reducibus praescripta ab Innocentio III. a 1210. haec quoque habentur: *De potestate saeculari asserimus, quod sine peccato mortali potest judicium sanguinis exercere, dummodo ad inferendam vindictam non odio, sed judicio, non incaute, sed consulte procedat.* [3]) Probatur 2. ex jure naturae. Etenim pars noxia toti communitati licite abscindi potest, cum pars sit propter totum. Atqui quilibet homo est pars communitatis; ergo si noxius, si periculosus sit communitati, laudabiliter et salubriter poterit occidi, ut bonum commune conservetur. Sic d. Thomas. [4]) Addi potest, quod nihil magis facinorosos avertit a criminibus, quam metus mortis; ergo si efficaciter vult societas suo bono providere, hoc remedio necessario uti debet. [5])

---

[1]) Scotus in 4. Lib. Sent. Dist. 15. q. 3. a. 2. docuit, non alios peccatores posse a potestate publica occidi, nisi eos, quos Deus in V. T. expressit. Ratio ejus est, quia Deus Exod. 20. et Matth. 5. absolute et generatim prohibet hominis occisionem: *Non occides.* Ergo non licet quemquam occidere, quantumvis ille malus sit, nisi Deo dispensante in suo praecepto. Atqui Deus non dispensavit nisi quoad illos peccatores, quos excepit Exod. 22. et alibi. „*Neque adhuc,* inquit, *visa est Bulla de coelo, quae hujusmodi concedit occidi.*"

[2]) Testimonia ss. Patrum videri possunt apud Bellarminum: De membr. Ecclae. militantis Lib. III. cap. 13.

[3]) Apud Denzinger: Enchiridion etc. pag. 161. Ed. 4. 1865.

[4]) 2. 2. q. 64. a. 2.

[5]) Objectioni Scoti superius commemoratae reponendum: 1) Si potestas puniendi reos restricta esset ad eos, quos Deus in veteri Testamento a praecepto non occidendi expresse excepit: tunc in novo Testamento nullum plane malefactorem occidere liceret, quia illa praecepta poenalia erant judicialia, accommodata statui populi Israëlitici, ac jam cessarunt, in scriptura autem N. T. nil de his vel aliis occidendis habemus. 2) Praeceptum: *Non occides* intelligendum est de occisione innocentis vel nocentis auctoritate privata, ut communiter tradunt. Lessius: Lib. II. cap. 9. Dub. 2. n. 3. et 4.

3. — Sed 1. non licet occidere malefactores *privata auctoritate,* quia privati nullam potestatem hac de re a Deo acceperunt. Porro Angelicus ait: „*occidere malefactorem licitum est, in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis; et ideo ad ipsum solum pertinet, cui committitur cura communitatis servandae.*" [1])

Porro 2. non licet unquam *innocentem* directe occidere, sive publica, sive privata auctoritate, est enim actio intrinsece mala, et a divina lege expresse prohibita: „*Insontem et justum non occides.*" Exod. 23. 7. [2])

4. — Judex sub gravi tenetur malefactori ad mortem damnato concedere tempus sufficiens ad Confessionem et Communionem sacramentalem peragendam; et tunc reus etiam non jejunus potest ss. Sacramento refici, quia vere est in articulo mortis. [3])

* S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 64. a. 2. 3. 4. et 6. S. Alphonsus: Theologia moral. Lib. IV. n. 376—379. et 393. — Bellarminus: De membris Ecclesiae militantis Lib. III. cap. 13. De Lugo: De justitia et jure Disp. X. Sect. 2. Carrière: De justitia et jure, Tom. II. P. II. Sect. II. a. 2. (Lovanii 1847.). Taparelli: Versuch eines auf Erfahrung gegründeten Naturrechtes. Aus dem Ital. übers., I. B. n. 799—842. (Regensb. 1845.). Pruner: Restitutive Gerechtigkeit §. 45. (Regensb. 1858.).

§. 125.

De occisione injusti aggressoris.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Unicuique licitum est, defendere propriam vitam cum occisione injusti aggressoris servato moderamine inculpatae tutelae* i. e. non inferendo majus damnum, quam necessarium est ad arcendam injuriam. Id s. Thomas [4]) et alii DD. omnes tradunt. Idem habet Catechismus Romanus. [5]) Constat etiam ex jure canonico, praesertim c. *Si vero,* 3. *de sentent. excommun.,* ubi dicitur: *Vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt.* Denique ipsa natura docet, homini insitum esse jus conservandi vitam suam, adeoque eam defendendi, si injuste oppugnetur, per media ad id necessaria, ergo etiam vulneratione et occisione aggressoris, si alio modo sese morti eripere nequeat. Hinc etiam clericus aut religiosus

---

[1]) 2. 2. q. 64. a. 3.

[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 64. a. 6.

[3]) S. Alph.: Lib. IV. n. 379.

[4]) 2. 2. q. 64. a. 7.

[5]) Par. III. de 5. praec. n. 8.

potest occidere invasorem suae vitae, neque tunc incurrit excommunicationem aut irregularitatem; jus enim defensionis unicuique a natura est inditum. [1])

Si dicas: Salus spiritualis proximi praeferenda est vitae nostrae corporali; — *resp.* Id verum est, quando proximus est in extrema necessitate, et ope nostra ad salutem indiget: ast invasor non est in necessitate, sed malitia, atque cessando facile potest se liberare a periculo. [2]) Ceterum *directa* invasi intentio solum in propriam fertur defensionem, et mors aggressoris fit praeter intentionem et per accidens. [3])

Potest igitur quilibet aggressorem vitae injustum occidere (servatis servandis), sed *non tenetur*, quia id est medium extraordinarium vitam conservandi. Imo actus perfectionis est atque Evangelii consilio conformis, sui occisionem permittere, ne aggressor temporali simul ac aeterna vita privetur, [4]) modo 1. vita invasi non sit necessaria vel valde utilis bono communi, et 2. invasus non sit in statu peccati mortalis; quia secus omnino tenetur se defendere. Ita communiter. [5]) *An autem tibi licet occidere ebrium vel amentem aggressorem?* Affirmant probabilius Gury et Scavini cum aliis, nisi tibi constet, eum in statu peccati mortalis versari. Ratio est, quia etsi ebrius vel amens non sit aggressor *formaliter* injustus, est tamen *materialiter* injustus, et tu jus tuum servas vim vi repellendo. Verum si fuga possis ab invasore te subtrahere, fugere teneris.

2. — In omni casu, quo licet propriam vitam defendere, permissum quoque est, *vitam proximi* defendere cum occisione injusti aggressoris. Hoc modo s. Thomas excusat Mosen, qui occidit Aegyptium (Exod. 2.); etenim *defendit eum, qui injuriam patiebatur,*

---

[1]) S. Alph.: Th. m. Lib. IV. n. 380.

[2]) S. Alph. l. c. Reuter: P. III. n. 371. La Croix: L. 1. P. 1. n. 812. Collet, Lessius et alii communiter.

[3]) Sic s. Thomas: 2. 2. q. 64. a. 7. ad 1. cum s. Augustino ibidem citato et explicato, et *alii* communiter *contra alios*, qui putant, in actu defensionis licere etiam privato *directe* intendere mortem injusti agressoris, quando ejusdem occisio necessaria videtur ad propriam vitam tuendam. Vide Lugo: De just. D. 11. n. 149. Less.: De just. etc. Lib. II. c. 9. Dub. 8. n. 53. La Croix: Libr. III. P. 1. n. 821.

[4]) S Alph.: H. A. Tr. VIII. n. 11. *Nulli dubium*, et alii. Bene Lessius l. c. n. 55. observat: „*Saepe est salutare consilium, permittere se potius occidi, quam occidere, quia periculum est, ne odium se immisceat, — quia hoc modo magis conformamur Sanctis, — quia ad hoc charitas magis inclinat. — Sentio, hoc consilium magni faciendum, et omnibus Clericis, maxime viris Religiosis amplectendum.*"

[5]) S. Alph.: Th. m. n. 380.

cum moderamine inculpatae tutelae. [1]) — Raro autem privatus ad hoc *tenetur*, quia charitas non obligat cum gravi incommodo, quod in alterius occisione vix unquam vitari potest. Excipe a) si invasus esset necessarius ad bonum commune, b) si ipse sit pater, filius, uxor, frater, ad quos tuendos pietas obligat, et c) si sit ebrius et in statu peccati mortalis, quia tunc versatur in extrema animae necessitate. Ita s. Alphonsus [2]) cum aliis communiter. [3])

3. — **Principium II.** *Licitum est, non tantum vitam, sed bona etiam ad eam honeste agendam necessaria contra injustum aggressorem defendere servato moderamine inculpatae tutelae.* Et quidem

1. Licet defendere *bona fortunae* cum occisione furis, a) si haec sint magni momenti, quibus nempe ablatis alicui sustentatio pro se et suis deficeret; [4]) et b) si aliter retineri aut recuperari non possint nisi aggressoris occisione. Est sententia communissima, [5]) quae certo traditur a s. Thoma, [6]) et colligitur ex *c. Dilecto de sent. excomm. in 6.* Accedit ratio: quisque ex una parte jus habet naturale servandi sibi bona ad vitam necessaria, et ex altera parte praeceptum charitatis non obligat ad praeferenda bona proximi, licet sint altioris ordinis, nisi quando proximus est in extrema necessitate, in qua tamen non est injustus bonorum fortunae aggressor, quippe qui ex malitia sese mortis periculo exponit. [7]) — Quod permittitur laicis ad bonorum suorum defensionem, licet quoque clericis et religiosis, ut communissime dicunt, et probant ex cit. *c. Dilecto;* nec illi tunc incurrunt irregularitatem. [8]) Id tamen clericis et religiosis non consulendum.

---

[1]) 2. 2. q. 60. a. 6.

[2]) Lib. IV. n. 390.

[3]) Praeterea principes, magistratus, milites, qui specialiter conducti sunt ad civium defensionem, tenentur defendere vitam innocentis contra invasorem; et quidem, ubi agitur de bono reipublicae, tenentur etiam cum vitae periculo, sed quando res est de bono privato, non obstringuntur cum tanto periculo vitam innocentis tueri. S. Alph. l. c.

[4]) Non enim expedit, *pro conservandis vilibus et transitoriis rebus tam acriter in alios excandescere:* haec sunt verba juris canonici, quibus damnantur duo religiosi, quorum unus interfecerat duos latrones, vestes tantum ipsis eripere conantes. Praeterea Innocentius XI. condemnavit propos. sequentem sub n. 11.: *regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.* Vide s. Alph. n. 383. Quaer. 2.

[5]) La Croix: Lib. III. P. 1. n. 808. refert, hanc sententiam jam suo tempore plures quam centum Auctores docuisse. Quibus accedit s. Alph. n. 382. Quaer. 1. qui eam vocat *probabilissimam.*

[6]) Hic enim 2. 2. q. 64. a. 7. eam supponit ex illo Exodi: „*si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis;*" nempe subdit: „*sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum.*"

[7]) S. Alph. n. 282.

[8]) H. A. Tr. VIII. n. 15.

Potest etiam quisque ob tuenda *alterius* bona magni momenti occidere furem, si necesse sit; ad hoc autem non tenetur. Ita communiter. [1])

2. Fas est mulieri, *pro tuenda pudicitia* seipsam defendere cum aggressoris occisione (servato moderamine inculpatae tutelae.) Ita s. Antoninus [2]) et alii communiter contra paucos. Ratio est: a) quia ut plurimum adest periculum consentiendi actui peccati, et b) quia etiam sublato tali periculo ipsa materialis corporis integritas est bonum maximi aestimandum. Et sane, si liceat vim vi repellendo interficere invasorem bonorum fortunae, quanto magis licebit interimere foedum pudicitiae invasorem, cum agatur de bono superioris ordinis, quod nullis omnino pecuniis aestimari potest. [3]) Praeterea personae oppressae saepe ex stupro alia adhuc mala impendent; imo fieri potest, ut, nisi omni possibili modo restiterit, pro tota sua vita tristissimam sortem timere debeat.

Licitum pariter est, mulierem defendere contra hujusmodi invasorem etiam cum ejusdem occisione, si ipsa non consentiat peccato, imo etiam, si consentiat, casu, quo defensori matrimonio conjuncta, aut consanguinitate valde est propinqua, quia injuria tunc in ipsum redundat; sed requiritur, ut defendens non possit aliter suam infamiam vitare. Ita s. Alphonsus [4]) cum aliis. [5])

3. Non licet occidere *injustum aggressorem honoris*, si de solo honore agitur, practice loquendo. Constat ex propos. 30. ab Innocentio XI. damnata: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec calumnia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat et post impactam alapam vel fustis ictum fugiat.* Ratio est: a) quia quisque alio modo, e. g. fuga, potest proprio honori consulere, vel ordine justi judicii eum recuperare; quare occisio fieret absque moderamine inculpatae tutelae, et b) quia hoc admisso innumeris caedibus aditus pateret. [6])

---

[1]) S. Alph. Th. m. Lib IV. n. 392. et 385.

[2]) Sum. Theol. p. 2. t. 5. c. 6. in fine.

[3]) Vid. s. Alph. n. 386.

[4]) n. 391. subjungens: „Haec autem intelligenda *ante factum;* nam in ipso facto vel post certe non licet occidere, ut patet ex prop. 19. damn. ab Alexandro VII., quae dicebat: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*"

[5]) Lugo: De justitia et jure Disp. X. n. 203. Lessius, Sporer etc.

[6]) Vide s. Alph. n. 381. Gury n. 398. q. 6. n. 399. 5.

* S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 64. a. 7. In Lib. IV. Sent. Dist. 25. q. 2. a. 2. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 380—392. — Sporer: Theol. mor. P. IV. Tract. V. Sect. 3. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. II. cap. 2. art. 1. §. IV. Gury: Compendium Theol. moral. P. I. n. 395—399. Kenrick: Theologia moralis Vol. I. Tract. III. §. II. n. 112—124. Stapf: Theologia moralis Tom. III. §§. 389. 390. Pruner: Restitutive Gerechtigkeit §. 44. (Regensb. 1858).

Casus.

4\. — *Quidam viator Parisiis diversorium aliquod pernoctandi causa ingreditur, atque a caupone perhumaniter exceptus inter confabulandum satis prodit, se magnam pecuniae summam in marsupio portare. Caupo id filio suo refert et cum eo de hospite occidendo et pecunia spolianda deliberat. Conveniunt, quod pater noctis tempore hospitem in lecto cubantem interficiet ejusque corpus per fenestram in hortum demittet, ubi jam exspectans filius illud excipiet et inhumabit. Sed ecce, hospes hujus propositi crudelis ab ostio auscultando conscius redditur; hinc in lectum quidem se confert, sed vigilans, quae ventura sint, fortiter exspectat. Alta igitur nocte caupo ense armatus caute cubiculum hospitis intrat; hospes vero lecto exsiliens cauponem terrore attonitum gladii ictibus occidit, eumque in hortum demittit, ubi filius putans, illum esse hospitem a patre occisum, ex condicto cum sepelit. Sed, heu, quantus filii horror, quanta consternatio ejus, cum primum non hospitem a patre, sed patrem ab hospite enecatum et terrae a se mandatum esse cognoscit?*

Quaeritur, num in hoc casu, non ficto sed facto, viator sine homicidii reatu cauponem interimere potuerit?

Resp. Solutio hujus casus a circumstantiis pendet; considerandum nempe est, an viator, postquam necis sibi intentatae conscius erat, diversorium adhuc relinquere et aliud petere potuerit; porro, si id impossibile fuerit, an non cubiculum firmiter obserando ingressum cauponis impedire, vel clamando etc. aggressorem injustum fugare, vel eum duntaxat vulnerando vitam suam salvare valuerit? — Primum (quidquid sit de ceteris) indubium esse videtur; Parisiis namque pernoctari voluit, ubi certe plurima hospitia patent, quare necem sibi intentam evadere potuisset aliud diversorium petendo; quod cum non fecerat, ab homicidii crimine vix ac ne vix quidem excusari poterit. Tunc enim tantum injustum aggressorem occidere fas est, ubi ejusdem mors adaequatum et *prorsus necessarium* se salvandi medium censetur coll. n. 1.

Sed quaeres: *an liceat praevenire aggressorem?* Affirmant multi, si quis ex aliqua actione noverit, inimicum jam esse determinatum ad aggressionem; puta, si certo moraliter sciat, illum jam ad hoc parasse arma, vel mandatum dedisse servo; tunc ergo *si aliter effugere nequit,* licite potest eum praevenire. S. Alphonsus [1]) autem merito censet, hanc sententiam vix in praxi aliquem posse sequi propter hallucinationis periculum, quod in hujusmodi re facile adesse potest.

5\. — *Antonius domum veniens Eduardum reperit uxorem suam ad turpia sollicitantem. Illico conatur occidere istum adulterum, qui vero vim vi repellendo maritum occidit. Quaritur 1. Num Antonius licite tentaverit adulterum occidere? 2. An adulter Antonium maritum occidendo homicidii reus sit?*

Resp. ad 1. Generatim marito licitum est, ad jus thalami tuendum remediis violentis adulterum repellere, coll. n. 3. Ast in casu proposito Antonius praetermisit moderamen tutelae, ideoque injuste aggressus est Eduardum interficere.

---

[1]) Lib. IV. n. 387.

Resp. ad 2. *Disting.* Vel Eduardus adulter fugere potuit, vel non potuit. Si primum, homicidii reus est, quamvis Antonius fuerit injustus vitae ipsius invasor, quia non licet occidere aggressorem iniquum, si alia suppetant media, vitam propriam servandi. Peccavit ille non tantum contra charitatem, sed etiam contra justitiam: quia quisque jus habet, ut non occidatur, nisi in necessaria sui defensione; atqui defensio necessaria non est, ubi facile medium, per fugam declinandi mortis periculum, adhiberi potest. [1]) Si alterum i. e. si fugere non potuerit, subdisting.; etenim vel iste adulter praevidit proximum aggressionis periculum, et nihilominus voluit pravam suam intentionem exequi: et tunc ab homicidio excusari nequit, quia in hoc casu adulterium est proximum periculum homicidii; vel adulter tale periculum non praevidit, quo casu immunis est ab homicidii culpa, quia hoc per accidens ex adulterio provenit. Ita sapienter s. Alphonsus [2]) cum aliis.

§. 126.

De procuratione abortus.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Directe procurare abortum, numquam licet.* Ita omnes. Ratio est, quia, si foetus sit animatus, verum homicidium committitur; si vero non sit animatus, tenditur ad hominis occisionem et est contra naturam generationis. [3]) Item ex doctrina communi numquam licitum est matri ob quodcunque periculum sumere potionem ad conceptionem impediendam, quia hoc juri naturae graviter repugnat. [4])

Ex antiquorum sententia foetus animari censetur post 40 dies inde a conceptione, si fuerit masculus, post 80 dies, si fuerit foemina. Hanc sententiam sequitur s. Poenitentiaria quoad poenas in procurantes abortum statutas. Medici vero nostri aevi asserunt, foetum paullo post conceptionem animari, quod quidem fere statim a coitu evenire censent.

Hinc 1. non licet puellae gravidae pharmacum sumere ad foetum expellendum, ne famam amittat, aut ne a patre furioso occidatur, quia directe procuraretur abortus. Confirmatur ex propos. 34. ab Innocentio XI. damnata: *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

2. Non licet medicis, cum mulier gravida est, foetum quocunque modo interimere, ad matrem liberandam a periculo mortis, quod alias parturiendo experiretur. [5])

---

[1]) Ita Lugo: Dist. 10. n. 170. Dist. 11. n. 55. La Croix: Lib. III. P. II. n. 305. P. 1. n. 803. in fine, et alii contra paucos.

[2]) H. A. Tr. VIII. n. 20. Th. m. Lib. IV. n. 398.

[3]) S. Alph. Lib. IV. n. 394.

[4]) Idem n. 394. Quaer. 1.

[5]) Idem l. c. Kenrick: Th. m. Vol. I. Tract. III. n. 128., qui e. g. adducit, *non licere comprimere caput in utero ad egressum faciliorem, nec licere instrumentis foetum vivum exscindere, ut per partes extrahatur: haec enim est hominis occisio, quae per se mala est, ideoque ne quidem ad vitam matris servandam potest licere.*

2. — **Principium II.** *Indirecte procurare seu melius, permittere abortum, nempe subministrando matri pharmacum per se et directe tendens ad morbum expellendum, cum periculo tamen abortus, licitum est* in duobus casibus: 1. quando certo judicatur, quod non dato remedio mater cum prole sit moritura; et 2. quando aequale est periculum abortus, sive remedium sumatur, sive non. Ratio utriusque est, quia tunc providendo vitae matris non majus fit periculum foetus. Ita communissime. [1])

Ad quaestionem, *an licita sit sic dicta caesarea operatio?* Resp., eam licitam esse, si periculum mortis matris ob ejus robur et chirurgi peritiam sit remotum, prolis vero non modo temporali, sed etiam aeternae vitae consuli possit et tunc mater tenetur incisionem perferre; secus vero, si periculum mortis matris sit proximum seu probabile; quia sicut juxta d. Thomam [2]) non licet matrem occidere, ut puer salvetur: ita etiam non licet matrem tanto mortis periculo exponere ob talem causam: „*non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*" Ita s. Alphonsus [3]) cum aliis communiter.

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 394—397. — Elbel: Theologia moralis Decalogalis et Sacramentalis, Tom. III. P. III. Conferent. 19. n. 462. et sq. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. II. cap. 2. art. 1. §. III. Gury: Compendium Theol. moralis Tom. I. n. 402. n. 403. cum Antonii Ballerini Adnotationibus. Romae 1866. Kenrick: Theologia moralis, Vol. I. Tract. III. cap. 9. §. III. Pruner: Restitutive Gerechtigkeit §. 38.

§. 127.

De duello.

1. — Duellum in genere est pugna duorum vel plurium inter se. In sensu strictiori *duellum est pugna periculosa duorum ex condicto inita cum determinatione temporis, loci et armorum.* [4])

---

[1]) S. Alph.: n. 394. Quaer. 2. Si autem mors matris esset certa, remedio non sumpto, et rationabilis spes, quod mortua matre proles superviveret et baptizari posset, tunc *non liceret* matri pharmacum sumere, quia virtute charitatis et pietatis obligatur mater, vitam spiritualem infantis praeferre saluti proprii corporis. Ita s. Alph. l. c. Elbel Confer. 19. n. 466. et alii. Observat tamen s. Alphonsus, *rarissimum esse casum, et moraliter impossibilem, ut pene miraculum sit, quod pereunte matre proles supervivat, ut baptismum recipere possit, — et ideo medicos quoad pharmaca praestanda matribus non esse scrupulose angendos.*

[2]) 3. q. 68. a. 11. ad 3.

[3]) Lib. IV. n. 106.

[4]) Ita enim Gregorius XIII. Constit. *Ad tollendum* a. 1582. eos duelli reos

Distinguitur duellum *solemne* et *simplex*, prouti vel coram testibus (seu ut vocant, patriuis) vel iis omissis patratur.

2. — Duellum proprie dictum ex barbarie et superstitione, „fabricante diabolo", originem duxit. Prima ejus vestigia saeculo sexto repeziuntur. Gunebaldus nempe, Burgundionum rex, circa annum 530. legem tulit, qua ad lites finiendas duella praescribebantur, et Longobardis quoque hic pugnandi mos usurpatus est tamquam probatio judicialis. Continenter medio aevo hujusmodi certamina adhiberi, imo etiam publica auctoritate demandari consueverant tamquam judicia divina ad innocentiam et veritatem comprobandam vel vindicandam contra improborum vim et calumniam. Ab hac Dei tentatione aetas subsequens equidem resipuit, duellum tamen veluti medium privatae vindictae sumendae et adminiculum honoris resarciendi retinuit. Novissime aliud adhuc vesaniae et crudelitatis genus diabolo auctore invaluit, in eo consistens, quod ad ulciscendam injuriam uni ab altero illatam absque pugna sorte designatur, uter tempore fixo propria manu sibi mortem adsciscere debeat.

PROPOSITIO.

Duella omnia proprie dicta et naturali et positivo divino et ecclesiastico jure absolute illicita sunt.

3. — His verbis P. M. Benedictus XIV. in Bulla *Detestabilem* die 10. Nov. 1752. enuntiat doctrinam catholicam ab omnibus tenendam, quae sequentibus evincitur argumentis:

1. Duellum illicitum est *jure naturali,* etenim a) charitatem hominis erga seipsum graviter laedit, quia duellans cum summo officiorum neglectu semetipsum in praesens vitae non solum corporalis, sed etiam aeternae discrimen conjectat; b) injuriam gravissimam proximo infert, cum unus alterum directe enecare studet; c) injuriam infert toti reipublicae, quia ei cives inique eripiuntur, jus vindicandi injurias usurpatur, mores subinde subvertuntur, ferocitas fovetur, religio conculcatur, leges pessumdantur, ipsa quoque „regnorum tranquillitas, populorum securitas atque incolumitas certe periclitatur"; — et d) injuriam gravissimam Deo irrogat, quia jus Dei duplici malitia usurpatur, jus videlicet in propriam et proximi vitam.

statuit, qui *ex condicto, statuto tempore et in loco convento* monomachiam commiserint. Hinc duellum non est, sed rixa, quando duo ira excandescentes ad pugnam se provocant, statimque congrediuntur. Congr. Conc. die 15. Oct. 1644.

2. Duellum illicitum est jure *positivo divino,* scilicet quinto Decalogi praecepto: *Non occides,* repugnat, quo quippe omnis caedes injusta, sive directe sive indirecte volita interdicitur. [1])

3. Duellum illicitum est *jure ecclesiastico,* siquidem Ecclesia duellorum abusum numquam non execrata sit, cumque Romani Pontifices a fidelium coetu longissime arcere studuerint gravissimis etiam poenis in contumaces statutis, ut jam Nicolaus I., Coelestinus III., Innocentius II., Eugenius III., Alexander III., Innocentius IV., rursus Julius II., Leo X., Clemens VII., Pius IV. Porro Tridentina Synodus (Sess. 25. cap. 19. de Ref.) fortiter monuit: *„detestabilis duellorum abusus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur."* Praeterea Clemens VIII. in Constit. *Illius vices* anno 1592. vetuit *duella etiam non fatalia.* Alexander VII. damnavit hanc n. 2. propositionem: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Cumque nihilominus nonnulli extiterint auctores, qui in quibusdam saltem circumstantiis „defensionis titulo" duella licere pronuntiarent, videlicet, si non acceptans *officio et sustentatione privaretur,* vel si duellum acceptans vel ad illud provocans *certo sciat, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam,* vel si quis acceptet duellum *tuendi honoris vel humanae vilipensionis vitandae gratia,* vel *ad servandas cum honore fortunas,* vel casu, quo *a magistratu justitia aperte denegatur:* has omnes assertiones Benedictus XIV. in Bulla praelaudata *Detestabilem* tamquam falsas, scandalosas ac perniciosas rejecit, damnavit ac prohibuit. Idemque Pontifex simul principes ac magistratus quoslibet enixe obtestatur, ut „exitiosae duellorum licentiae omni nisu et constantia vehementer obsistant", et tum eos monet, ne „sibi, suaeque in Deum fidei, mu-

[1]) Egregie Comes Friedr. Leop. Stolberg: Ein Büchlein der Liebe S. 86. u. f. 1821. scribit: „Gott spricht: Du sollst nicht tödten. Das Gesetz der Liebe verbietet dem Christen jede Rache. — Die Welt aber gebietet Rache, beim Verluste der zeitlichen, falschen Ehre, die sie weit über das Bewusstsein eines guten Gewissens, über das Wohlgefallen Gottes erhebt. Beim Verluste jener Ehre gebietet sie, dass der Beleidigte und der Beleidiger sich an den Rand des furchtbaren Abgrundes der Ewigkeit stellen, um einer den anderen hinabzustürzen. Welche Empörung gegen Gott kann schnöder, welcher Trotz gegen sein heiliges Gesetz wahnsinniger und ruchloser sein?"

nerisque rationi fecisse satis putent, quod legibus et gravissimis poenis horrendum crimen proscriptum sit, nisi earum executionem naviter urgeant, seque inexorabiles criminis vindices exhibeant; nam si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno se crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos se constituent.“ [1])

Propositiones a Benedicto XIV. in sua Constit. *Detestabilem* die 10. Novemb. 1752. damnatae sunt sequentes:

I. *Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidulosus, timidus, abjectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentet, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet: culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.*

II. *Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

III. *Non incurrit ecclesiasticas poenas, ab Ecclesia contra duellantes latas, dux vel officialis militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel officii.*

IV. *Licitum est in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.*

V. *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus justitia aperte denegatur.*

Poenae contra duellantes statutae sunt sequentes: 1. Excommunicatio latae sententiae jam a Conc. Trid. Sess. 25. cap. 19. de Ref. imposita et a Clemente VIII. *Illius vices* Pontifici Romano reservata, quam S. P. Pius IX. in Const. *Apostolicae Sedis* Art. III. incurrere declarat *duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes,* quamquam duellum non sequatur, *aut ipsum acceptantes,* etiamsi nec pugna neque accessus ad locum fiat, *et quoslibet complices, vel qualemcunque operam aut favorem praebentes,* nempe patrinos, consulentes, nuntios, dictantes libellos provocatorios, aut eos scribentes, *nec non de industria spectantes,* qui nempe data opera ad duelli locum accedunt et duello assistunt, suaque praesentia videntur duellantes incitare; non autem qui casu et obiter per locum duelli transeunt et pugnam aspiciunt, nullo modo illam approbantes et acuentes, *illudque* (duellum) *permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscunque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.* [1]) — 2. Proscriptio omnium bonorum cum perpetua infamia ex Conc. Trid. Sess. 25. cap. 19.; haec tamen poena non videtur recepta. — 3. Privatio sepulturae Ecclesiasticae pariter ex Conc. Trid. l. c. et quidem, si duellantes in conflictu ipso decedant, licet ante obitum dederint poenitentiae signa, imo *etiamsi extra locum conflictus Sacramentis muniti decesserint,* uti praecipit Benedictus XIV. in Bulla *Detestabilem.* (Attamen ex Concilio Prov. Viennensi a 1858. Tit. IV. cap. 14. illis tunc tantum deneganda est sepultura ecclesiastica, si in ipso duelli conflictu decesserint *nec aliquod resipiscentiae signum dederint.*)

[1]) Apposite clariss. Ballerini in Adnot. ad Compend. Theol. moral. a Gury exaratum pag. 439. Ed. Rom. 1866. observat: „Ita sapientia plane divina Romanus Pontifex per eam aetatem, qua in universa christiana republica nefarium hoc scelus justissimis legibus coërcebatur. Quod vero decursu temporis apud quasdam gentes contra hoc crimen e codicibus abrasae leges fuerint, quin et alicubi puniatur, qui duellum recusando hoc se crimine polluere noluerit, hoc palam facit, gentes illas, dum superba insipientia putant, se perfectionis civilis apicem attigisse, in efferam eam barbariem, e qua ipsas christiana religio eduxerat, corruisse jam, ac porro profundius immergi.“

Praedictae tamen poenae incurruntur tantum ob duellum stricte sumptum, i. e. *de condicto,* assignato loco et tempore, non igitur ob conflictum improvisum, quamvis pugnantes ex eodem rixae impetu perrexerint ad aliquem locum idoneum; [2]) prout declaravit S. Concilii Congregatio die 5. Oct. 1744.

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 399—401. — Reiffenstuel: Theologia moralis pluribus additionibus aucta a Kresslinger et Kickh. Tom. IV. pag. 62—91. Pedeponti 1756. Gerdil in Tom. IX. operum. Stapf: Theol. moral. in Compendium redacta Tom. III. §. 391. (Ed. 7. 1856.). Carrière: De justitia et jure Tom. II. n. 806—832. Lovanii 1847. Windischmann: Ueber die Ehre und das verletzte Ehrgefühl. Bonn 1821. Samhaber: Das Duell in seiner heutigen Erscheinung betrachtet nach philosophisch-rechtlichen Ansichten. Würzburg 1822. Stahlowsky: Das Duell. Leipzig 1864. Das Duell in seinem Ursprunge und Wesen. Paderborn 1864. Pruner: Restitutive Gerechtigkeit §. 43. Regensburg 1858.

§. 128.

De bello.

1. — Bellum esse rem de se malam censuere Manichaei, teste Augustino, [3]) unde reprehenderunt Moysen, qui plura bella gessit. Eundem errorem diu sepultum renovavit Joannes Oecolampadius, in hoc tamen discrepans a Manichaeis, quod sola christianorum bella increparet, non autem Mosaica, ut quae speciali Dei mandato indicta essent. Lutherus bellum contra Papam et Papistas adprobavit,

[1]) Haec terminorum explicatio ex s. Alphonso Lib. VII. n. 220.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. n. 401.

[3]) S. Augustinus sapienter scribit: „*Si christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma. Dictum est autem eis: „sufficiat vobis stipendium vestrum.“* Luc. 3. 14. *Quibus proprium stipendium sufficere debere praecipit, militare utique non prohibuit.*“ Epist. 138. c. 2. n. 15.

sed non licere contra Turcas bellare docuit, quia id esset repugnare Deo per eos iniquitates nostras visitanti. Quakeri omne bellum esse illicitum autumnant, ideoque ab militia abhorrent.

PROPOSITIO.

Bellum sive ad injuriam repellendam sive ad jus vindicandum geratur, licitum est, si justae adsint conditiones.

2. — Probatur 1. ex s. scriptura. Abraham tempore legis naturae bellum gessit, et ei a bello revertenti benedixit Melchisedeck Gen. 14. Deinceps Deus ipse in lege scripta Exod. 17. bellum adprobavit. Tempore legis novae Joannes Baptista a militibus interrogatus, quid sibi ad salutem aeternam consequendam faciendum esset: *neminem,* inquit, *concutiatis, neque calumniam faciatis* etc.; non autem eis dixit, ut se militiae subtraherent. Christus laudavit fidem centurionis, militiae desertionem ei non imperavit. Matth. 8. Centurio alius Act. Ap. 10. praedicatur ut vir justus ac timens Deum, et tamen miles erat, et miles esse non destitit. — Probatur 2. ex ratione. Societas quaelibet, tamquam persona moralis non minus quam individuum, medium habere debet, injuriam repellendi et jus suum vindicandi. Interdum vero non suppetit aliud medium ad hunc finem obtinendum, nisi bellum. [1])

3. — Ut autem bellum justum ac licitum sit, sequentes conditiones requiruntur:

I. *Auctoritas legitima,* eaque suprema; ubi enim major auctoritas habetur, haec litem dirimere, vel injuriam vindicare debet. [2])

II. *Causa justa et gravis,* praeponderans malis ex bello secuturis, e. g. provincia ab adversario usurpata recuperanda, gravis injuria reipublicae propulsanda, subditorum rebellio reprimenda etc. Justa quoque belli causa est, religionem tueri ab iniquis aggressoribus, qui eam vi opprimere, aut ejus incolumitati detrahere impio conatu nituntur; siquidem religio est maximum bonum societatis humanae atque Dei spectat gloriam et honorem. Merito igitur damnata est a Leone X. *Exurge Domine* die 16. Maji 1520. haec n. 34. propositio Lutheri: *Praeliari adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.* [3]) Gravissime autem errant, qui

---

[1]) Bellum in N. T. licitum esse, copiose edisserit Christianus Lupus in Dissertatione de antiqua disciplina Christianae militiae cap. 3. et 4.

[2]) S. Augustinus: *„Ordo naturalis mortalium paci accomodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit."* Lib. 22. contra Faustum c. 75.

[3]) Plura de hac thesi invenies apud Bellarmin. De membris Eccl. milit. Lib. III. cap. 16.

praetendunt, ampliationem regni, gloriam nominis, imminuendam potentiam principis vicini, esse justam bellandi causam; hujusmodi bellum s. Augustinus recte *grande latrocinium* [1]) vocat.

Princeps, antequam bellum incipiat, rem coram Deo humiliter perpendere, et cum peritis probisque consiliariis mature discutere tenetur. In *dubio* de justitia belli, vel cum sola *probabilitate* juris, bellum inchoare non licet. [2])

Miles autem de justitia belli dubitans, si est subditus vel, quod idem est, conductus ante bellum declaratum, obedire tenetur; quia possidet lex, etenim subditi tenentur obedire semper, nisi peccatum sit certum. Miles autem nondum conductus, in dubio de justitia belli se locare non potest; quia non licet cooperari ad spoliandum alterum re, quam possidet, nisi constet de injustitia possessionis. [3])

De quaestione, num liceat militiae intrusi Gubernii nomen dare, vid. Lib. I. pag. 200. 201.

III. *Debitus bellandi modus;* scilicet: 1. Antequam bellum incipiatur, a parte adversa condigna petatur satisfactio, quae si offeratur, offensus ex justitia tenetur eam acceptare, ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit esse justum; ideoque et ab inchoato bello desistere debet, si offeratur condigna satisfactio simul pro expensis jam factis. [4])

2. Decursu belli ea omnia licent, quae jure gentium adprobantur. Hinc licet insidias parare, stratagemata adhibere, e. g. fingere fugam, uti vexillis hostium etc., quia hisce culpa sua decipiuntur adversarii, cum talia media in bello adhiberi consueverunt. [5]) Licet

---

[1]) *„Inferre bella, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, et subdere, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum est?"* Lib. IV. de Civ. Dei cap. 6. *„Nocendi cupiditas, ulciscendi cupiditas, libido dominandi, et si qua similia, haec sunt, quae in bellis jure culpantur."* Lib. 22. contra Faust. cap. 74. De causis, quae sufficiant ad indicendum bellum consuli potest Christ. Lupus in Dissert. de antiqua disciplina Christianae militiae cap. 9.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. n. 404. ut *longe probabilius,* cum aliis.

[3]) S. Alph. n. 408. Bellarmin. l. c. cap. 15. Christian. Lupus op. c. cap. 8.

[4]) S. Augustinus: epist. 189. ad Bonifacium scribit: *„Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas. Non enim pax quaeritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur."* Et epist. 229. ad Darium n. 2. *„Majoris est gloriae, ipsa bella verbo occidere, quam homines ferro, vel obtinere pacem pace non bello."* De intentione requisita ad juste bellandum, deque recta militis intentione consuli potest Christ. Lupus op. cit. cap. 6. et 7.

[5]) S. Thom.: 2. 2. q. 40. n. 3. S. Alph. n. 410.

in bello justo urbes obsidere, etsi cum nocentibus simul innocentes, uti mulieres, senes, peregrini, clerici, casu occidantur, quia tunc innocentes *non directe* vita privantur. [1])

Nefas est laedere legatos partis adversae, quia jure gentium ubique sunt inviolabiles. Nec licet subornare spiculatores, qui ducem exercitus occulte trucident; quia hoc consensu omnium est perfidia.

3. Bello finito fides publice cum hoste pacta, etsi injustum bellum gesserit, servanda est, nisi hostis ipse prior fidem fregerit, aut foedus sit objective malum. Ita s. Thomas, [2]) ceterique Theologi [3]) communissime cum s. Augustino [4]) et s. Ambrosio. [5]) Ratio est, quia si pacta publica non essent omnimode servanda, nulla pax stabilis foret, quod in maximam generis humani perniciem vergeret.

4. — *Quid censendum de principio, quod vocant de non interventu?*

Hoc omnino reprobandum et expresse reprobatum est a S. D. N. Pio IX. in *Syllabo* errorum sub n. 62. his verbis assertum: *Proclamandum et observandum principium, quod vocant de non interventu.* Ratio in promptu est. Istud enim principium 1. graviter repugnat charitati, vi cujus unum Gubernium alterum pro viribus adjuvare et tueri debet contra injustam aggressionem, non minus, quam persona privata una alteri succurrere tenetur. *Qui non repellit injuriam a socio, cum potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit.* Ita s. Ambrosius. [6]) Idem principium 2. maxime perniciosum est societati humanae, quia „quandam impunitatem ac licentiam impetendi ac diripiendi aliena jura, proprietates ac ditiones sancire videtur", Sanctissimus Pater in Allocut. die 28. Septembr. 1860. habita edixit. [7]) Qua in re specialiter advertendum, quod cum ditiones

---

[1]) S. Alph. n. 409.

[2]) 2. 2. q. 40. a. 3.

[3]) Vide Suarez: de charitate Disp. XIII. Sect. 7. n. 23. La Croix: Th. m. Lib. III. P. 1. n. 881. Laymann: Th. m. Lib. III. Tr. 3. c. 12. n. 15. Voit: P. I. n. 661. Reuter: P. III. n. 510. Christianus Lupus op. c. cap. 20.

[4]) In epist. 189. ad Bonif., quae refertur in *Cap. Noli* 23. q. 1. ita scribit: „*Fides, quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur.*"

[5]) Lib. I. de offic. cap. 29. „*Quanta sit justitia, ex hoc intelligi potest, quod nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quae etiam hosti reservatur.*" Et paulo post addit: „*Liquet igitur, etiam in bello fidem et justitiam servari oportere, nec ullum decorem esse posse, si violetur fides.*"

[6]) De officiis Lib. I. cap. 36.

[7]) Egregie famosum hoc principium refutat cl. Pachtler S. J.: Das Princip der Nicht-Intervention (Stimmen aus Maria Laach. Monatschrift 1871. 2. Heft).

Apostolicae Sedis ad omnes catholicos pertineant, catholici principes ac populi communi officio tenentur, Romanum Pontificem armis iniquis oppugnatum modis omnibus adjuvare, tueri et defendere. S. P. Pius IX. Encycl. die 19. Jan. 1860. Alloc. die 28. Sept. 1860. Hic porro verba ejusdem SS. Patris observanda: „Omnes noscunt nulli legitimo Gubernio denegari umquam posse jus cooptandi in suas copias exteros homines. Quod quidem jus potiori quadam ratione ad Nostrum et hujus Sanctae Sedis Gubernium pertinet, cum Romanus Pontifex, veluti communis omnium catholicorum pater, non posset non libentissime eos omnes catholicos excipere, qui religionis studio impulsi velint in Pontificiis copiis militare et ad Ecclesiae defensionem concurrere." Allocut. die 28. Sept. 1860.

* S. Augustinus: Lib. XXII. Contra Faustum cap. 74—78. (Op. Tom. VIII.). Epist. 189. (al. 95.) ad Bonifacium, quae praescribit vitae rationem merenti in militia, et n. 4—6. ostendit, licere Christiano pro publica pace arma tractare. (Op. Tom. II.). S. Thomas: Summa Theolog. 2. 2. q. 40. tota. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 402—411. — Suarez: Comm. de charitate Disp. XIII. Sect. 1—7. Bellarminus: De membris Ecclesiae militantis Lib. III. cap. 14—16. Laymann: Theologia moralis Lib. II. Tract. III. cap. 12. Christianus Lupus (Ord. Erem. s. Augustini): Dissertatio de antiqua disciplina Christianae militiae, — copiosissime et eruditissime per 20 capita (Ejus op. Tom. XI. pag. 94—162. Venetiis 1729.). Taparelli S. J.: Naturrecht, II. B. Abh. IV. cap. 4.

Articulus II.

De injuria in bonis famae, honoris et fortunae.

Praenotanda.

Fama est opinio seu existimatio publica de alicujus excellentia. *Honor* est testificatio existimationis de alterius excellentia.

Fama laeditur interius per dubitationem temerariam, suspicionem temerariam et judicium temerarium, exterius per detractionem. Honor maxime per contumeliam violatur. De his peccatis nunc singillatim agendum est.

§. 129.

De dubitatione et suspicione temeraria, deque judicio temerario.

1. — *Dubitatio temeraria* est suspensio judicii de alterius probitate absque causa rationabili. *Suspicio temeraria* est opinio (assensus infirmus) de labe alterius absque causa sufficienti. *Judicium temerarium* est judicium (assensus firmus) de vitio alterius absque fundamento sufficienti.

2. — Dubitatio temeraria, suspicio temeraria et judicium temerarium tum charitati, tum justitiae repugnant. a) *Charitati*, quia unusquisque est tamdiu bonus habendus, donec probetur malus. „*Charitas non cogitat mala.*“ 1. Cor. 13. 5. b) *Justitiae* repugnant, quia quisque jus habet ad bonam sui existimationem apud singulos, quae autem minuitur vel tollitur per praedicta peccata. [1])

Dubitatio et suspicio temeraria *per se* sunt peccata venialia, quia famam proximi non tollunt, sed tantum minuunt et dubiam reddunt. [2]) Excipe, si quis deliberate et nulli rationi subnixus proximum de peccato extraordinario vel valde gravi (ratione ipsius conditionis) suspectum habet. [3]) Praeterea ejusmodi suspiciones gravem reatum induunt, ubi ex contemptu vel odio graviter peccaminoso proveniunt, vel aliis cum gravi damno proximi manifestantur.

Temerarium judicium est peccatum grave ex genere suo, quia proximo fit gravis injuria, dum sine causa improbus habetur, praeterquam quod exinde plerumque gravia mala sequantur. Ita communiter. [4]) Judicii temeritatem saepe sacrae scripturae prohibent. „*Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*“ Matth. 7. 1. et sq. „*Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.*“ Rom. 14. 4.

Temerarium judicium autem veniale est: a) si quis habeat magnam probabilitatem ad sinistre judicandum de proximo; b) si malum, quod proximo impingitur, non est grave; c) si judicium fiat de aliquo indeterminato inter plures, e. g. alicujus coetus; d) si quis judicet sine perfecta advertentia.

3. — Ex indiciis sufficientibus de alterius labe judicare, suspicari, dubitare, peccatum non est.

Neque suspicionis temerariae arguenda est cautio, qua providemus, ne quis, cujus probitatem satis perspectam non habemus,

---

[1]) S. Thomas ait: „— eo ipso, quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebite contemnit ipsum, et ideo injuriatur ei.“ 2. 2. q. 60. a. 3. ad 2.; a. 4. c. et ad 3.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. n. 963. cum d. Thoma: 2. 2. q. 60. a. 3. c. et alii communius.

[3]) S. Alph. n. 964. et alii communiter.

[4]) Vide s. Alph. n. 962. Apposite d. Thomas ex s. Augustino observat: „*— ex levibus indiciis de bonitate alicujus* ***dubitare***, *— pertinet ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur. — Si ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus,* ***judicia*** *tamen i. e. definitivas firmasque sententias continere debemus.*“ 2. 2. q. 60. a. 3. c.

nobis aliisve nocere possit. Talis enim circumspectio in tanta hominum corruptione regulis prudentiae justae consentanea est, ut nemo obinde tamquam de injuria sibi illata conqueri possit; non enim alios magis, quam nosmetipsos diligere jubemur. [1])

4. — Ceterum charitas vehementer instat, ut propriae infirmitatis semper memores aliorum defectus veros excusare, benigne de omnibus judicare, dubiaque in meliorem partem interpretari enitamur, etsi forte fallamur. *Melius* enim *est*, Angelicus inquit, *quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono: quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo.* [2]) Egregie s. Bernardus: „*Etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dicito apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio: quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?*“ [3])

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 60. a. 3. et 4. S. Franciscus Salesius: Philothea P. III. cap. 28. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 962.—965. — De Lugo: De justitia et jure Disp. XIV. Sect. 2. Vener. N. Lancicius: Opusc. XIX. de vitandis judiciis temerariis. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. II. cap. 3. art. 1. §. 1. (ed. 6. 1855.) Stapf: Theologia moralis in Compendium redacta Tom. III. §. 399. (Ed. 7. 1856.)

§. 130.

De detractione.

1. — *Detractio est alienae famae occulta et injusta laesio seu denigratio.* Potissimi modi detractionis his versibus enuntiari solent:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut imminuit, reticet, laudatque remisse. [4])

Qui omnes modi ad duas species referri possunt, quae sunt: 1. *Detractio simpliciter talis,* qua verum vitium proximi manifestatur, et 2. *Calumnia,* qua falsum crimen proximo impingitur.

---

[1]) Stapf: Th. m. Tom. III. §. 398. Gury et alii.

[2]) 2. 2. q. 60. a. 4. ad 1.

[3]) In Cant. Serm. 40. n. 5.

[4]) Versus istos composuit Jac. Illsung S. J.: Theol. practica universa Tr. 4. D. 3. n. 101. De his videri potest Lugo: De just. et jure D. 14. n. 35.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Omnis detractio sive viventi, sive jam mortuo facta ex genere suo est peccatum mortale contra charitatem et contra justitiam, et gravius quidem quam furtum.* Ita doctores communiter. Dico 1. Est peccatum mortale a) contra charitatem, quia detractio per se apta est, gravem in proximo contristationem causare, quod certe graviter repugnat charitati, cujus est, bonum proximo velle et operari. Unde s. Jacobus monet: „*Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi.*" Jac. 4. 11., contemnit enim praeceptum de dilectione proximi, ut explicat s. Thomas. [1]) Est b) contra justitiam, quia detractio violat jus strictum, quod proximus habet ad famam suam coll. §. 97. n. 2., ideoque gravem injuriam proximo infert. Jus ad famam fundatur vel in ignorantia criminis veri, vel in vera criminis carentia. Illud detractione simpliciter tali, hoc calumnia violatur. [2]) — Dico 2. Detractio est gravius peccatum, quam furtum, quia majori bono proximum injuste privat, etenim „*melius est nomen bonum, quam divitiae multae.* Prov. 22. 1., siquidem propinquius est spiritualibus bonis, ut Doctor Angelicus [3]) observat.

Specialem malitiam involvit *susurratio* seu manifestatio delicti alieni ad dissolvendam amicitiam et seminandam inter amicos discordiam comparata. Prov. 6. 16. Eccli. 21. 31., 28. 15. Majus peccatum est, quam detractio, imo gravius etiam, quam contumelia. [4])

Detractio, quamvis mortalis ex genere suo, saepe tamen venialis tantum est ob levitatem materiae vel imperfectionem actus.

3. — *Gravitas vel levitas detractionis* non praecise ex qualitate peccati, quod de proximo narratur, sed *ex gravitate vel levitate damni, quod proximus exinde praevidetur passurus, determinanda est,* secundum principium d. Thomae supra §. 121. n. 1. relatum: „*Peccata, quae committuntur in proximum, sunt pensanda per se secundum nocumenta, quae proximo inferuntur: quia ex hoc habent rationem culpae.*" Hinc ad cognoscendum, utrum detractio sit grave

[1]) 2. 2. q. 74. a. 2. ad 3.

[2]) La Croix: Lib. III. P. 2. n. 1220. Reuter: P. III. n. 411. Nec juvat dicere, bono publico expedire, ut delicta detegantur: id aliquando verum est, ut infra dicetur; sed generatim majus malum esset ea patefacere; inde enim pax et tranquillitas turbaretur, fraenum tolleretur ad alia crimina vitanda, ac caedes saepe inveherentur.

[3]) 2. 2. q. 73. a. 3. c.

[4]) Vide d. Thom.: 2. 2. q. 74. a. 2.

aut leve peccatum, attendi debet 1. ad qualitatem personae detrahentis, scilicet an sit gravis et discreta, aut garrula et levis; et 2. ad qualitatem personae laesae, an sit bonae vel malae famae. Ratio est, quia eo majus ex detractione famae detrimentum sequetur, quo majori fide dignus est detrahens, et quo majori aestimatione gaudet ille, cui detrahitur.

Unde deducitur: 1. Non semper est mortale peccatum, revelare unicum delictum grave alterius, etiamsi pluribus manifestetur; sed vel grave vel veniale, prouti vel gravem vel levem famae jacturam (spectatis circumstantiis) proximus inde patitur. Hinc fieri potest, ut crimen de uno dictum sit mortale, dictum de altero sit veniale, et contra.

2. Non est mortale, de aliquo ignoto vel indeterminato certi cujusdam loci male loqui, e. g. in hoc loco esse multos improbos, quia in omnibus locis mali homines solent reperiri: unde proprie dicta infamia nulli inuritur. Grave autem est, dicere de religioso indeterminato alicujus monasterii, eum commisisse grave peccatum, e. g. Simoniam, luxuriam, si inde gravis infamia redundet in totum monasterium, quod ex circumstantiis colligendum est. [1]) Cum vero nostris diebus plurimi homines odio religionis praeoccupati ob crimen unius religiosi vel sacerdotis totum statum solent traducere ut criminosum et infamem, hinc in praedicto casu raro deerit peccatum mortale.

3. Grave non est, tacito loco crimen referre de aliquo, quem audientes non noverunt, nec unquam agnituri sunt; imo hoc culpa omni vacare potest. [2])

4. Grave est, defectus leves de aliquo apud eosdem tot referre, ut notabiliter laedatur ejus fama, idque, licet fiat intra longum tempus. De diversis tamen levia dicere, mortale non est, nisi in communitatem redundet infamia gravis. [3])

5. Non peccat graviter, qui revelat defectus naturales animi vel corporis alterius, dicendo v. c. quod sit stupidus etc., quia tales defectus non sunt morales, nec famam notabiliter minuunt. Per accidens grave esse potest, si exinde sequatur magnum damnum temporale. [4])

6. Nullum est detractionis peccatum, alterius, qui deditus est

[1]) Reuter: Th. m. Tom. III. n. 407. 7.

[2]) Idem n. 407. 11.

[3]) Reuter l. c. 5.

[4]) S. Alph. n. 967.

vitio jam publico, narrare factum occultum ejusdem generis, e. g. ebriosum notorium iterum inebriatum fuisse; quia talis ob illud vitium jam infamia notatus est, ideoque nulla injuria afficitur. Grave non est aliquem in uno crimine infamem de alio illi crimini connexo vel affini infamare, ut si dicatur de ebrioso, eum cum uxore esse rixatum, quia talis revelatio non est nova infamia vel saltem non notabilis. Grave autem est, aliud crimen revelare non connexum, sed disparatum e. g. furem notorium esse libidini deditum, quia infamis quoad unam virtutem fama quoque privatur quoad aliam virtutem.[1])

7. Graviter peccat contra charitatem et justitiam, qui refert alicujus peccatum ut ab aliis auditum, si ita referat, ut alii verosimiliter sint credituri, ut e. g. si asserat, se audivisse illud a persona fide digna; quia dat causam sufficientem credendi malum. Graviter peccat contra charitatem, qui crimen refert coram iis, qui ex sola sua levitate vel malitia sint credituri; quia quisque tenetur impedire grave damnum proximi, si commode possit. Sed non peccat contra justitiam, quia non est causa efficax damni.[2])

4. — **Principium II.** *Qui detractionem audiens ei efficaciter cooperatur* (e. g. interrogando, approbando), *peccat contra charitatem et justitiam.* Talis enim infamanti praebet occasionem peccati, et vera causa damni est, quod infamato irrogatur.[3]) *Qui minime quidem detractioni cooperatur, de illa tamen gaudet, peccat contra charitatem,* quia gaudet de damno proximi. *Qui demum nec detractioni cooperatur, neque ea delectatur, attamen eandem non impedit, quando commode potest, peccat contra charitatem,* hoc ipso, quod damnum proximi non impedit, cum facile possit.[4])

Plerumque venialiter tantum peccat, qui detractionem non impedit, etsi facile possit, dummodo a) non sit superior sive detrahentis, sive infamati, quia illi specialis obligatio charitatis (non tamen justitiae) incumbit, corrigendi subditum detrahentem, aut obviandi damno subditi infamati, et modo b) non aliud damnum praeter infamiam proximo exinde immineat. Sic s. Alph.[5]) cum sententia

[1]) S. Alph. n. 976.

[2]) S. Alph. n. 977. *Quaer.* — An sit mortale, unico viro prudenti et discreto crimen alterius revelare, controvertitur. Duplex datur sententia probabilis. Videatur s. Alph. n. 973.

[3]) De tali homine dicit s. Bernardus: Lib. 2. de Consider. c. 13. „*Detrahere, vel detrahentem audire, utrum horum detestabilius sit, non facile dixerim.*"

[4]) S. Thom.: 2. 2. q. 73. a. 4. S. Alph.: Lib. IV. n. 979. Lugo, Lessius etc.

[5]) Lib. IV. n. 981.

communissima. Ratio est, quia in hac materia saepe constare nequit, correctionem esse profuturam, imo saepe timendum, ne detractio augeatur potius, quam diminuatur.

Excusantur etiam a veniali, qui advertentes detractionem fieri discedunt, vel sermonem alio divertunt, vel oculos demittunt, vultum serium ostendunt juxta Prov. 25. 23.: „*Dissipat facies tristis linguam detrahentem.*" Ratio, quia illae actiones sunt verae correctiones. S. Alph.[1]) cum aliis communiter.

5. — **Principium III.** *Numquam licet falsum crimen alteri imponere. Permissum autem, imo quandoque praeceptum est, propter aliquod bonum necessarium crimen alterius manifestare.*

Dico 1. Numquam licet falsum crimen alteri imponere. Ratio est 1. quia jus ad famam in vera innocentia et probitate fundatum est absolutum, ac proinde id violare nullius mali vitandi causa licet; exigit enimvero naturalis ordo, ut talis homo judicetur et pronuncietur ab aliis, qualis revera est. Porro criminis falsi impositio est mendacium damnosum, quod utpote intrinsece malum numquam licitum evadit. — 2. In s. scriptura absolute prohibetur: „*Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*" Exod. 20. 16. „*Non falsum testimonium dices.*" Matth. 18. 19. — 3. Innocentius XI. condemnavit propositionem 44. sic sonantem: *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat.*

Dico 2. Permissum, imo praeceptum quandoque est, propter aliquod bonum necessarium crimen alterius manifestare. Probatur 1) ratione justitiae. Jus enim famae in ignorantia veri criminis fundatum dumtaxat hypotheticum est, in quantum justa causa, nempe bonum aliquod necessarium, non exigit criminis manifestationem; quapropter si ex tali causa vitium proximi revelatur, injuria ipsi non irrogatur, nullaque proinde detractio committitur.[2]) Probatur 2) ratione charitatis, quae quippe postulat, ut bonum majus bono minori praeferatur; quocirca ob tale bonum tuendum defectus alienos revelare permissum, imo quandoque et praeceptum est; nec infamatus tunc rationabiliter invitus esse potest. — Hinc, ut communiter docent, a detractionis labe eximit:

[1]) Lib. IV. n. 979. et 981.

[2]) S. Thomas: „Si verba, per quae fama alterius diminuitur, proferat aliquis *propter aliquod bonum necessarium* debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio." 2. 2. q. 73 a. 2. c. Lugo: De just. et jure Disp. XIV. Sect. 7. n. 97.

a) Bonum notabile ipsius revelantis v. c. ad auxilium vel consilium vel solatium in re gravi capiendum; quia bonum innocentis praeferendum est bono nocentis. b) Bonum spirituale delinquentis, nempe ad ipsius instructionem vel correctionem; quia bonum animae praeponderat bono famae. c) Bonum publicum, uti ad impedienda mala Ecclesiae vel reipublicae imminentia; quia bonum publicum praeferendum est bono privato. d) Bonum grave aliorum, ut e. g. a damnis sibi certe vel probabiliter eventuris liberentur; quia bonum innocentis praeponi debet bono nocentis.

6. — **Principium IV.** *Non est peccatum detractionis, crimen alterius cuipiam revelare in loco, ubi jam multis notum est sive juris, sive facti, sive famae publicitate. Non est peccatum saltem grave, crimen publicum in uno loco revelare in alio, ad quem brevi tempore notitia ejus perventura est.* Sic communiter. Ratio 1mi est, quia infamatus tunc nullam patitur injuriam. Ratio 2di, quia fama, quae brevi et necessario amittetur, nullius vel certe non magnae aestimationis est, et moraliter loquendo jam amissa est. [1])

Dicitur crimen notorium 1. *publicitate juris*, cum de eo constet vel per publicam judicis sententiam, vel ipsam rei confessionem; — 2. *publicitate facti*, si id in publico loco coram multis patratum est, ita ut non amplius possit celari; — 3. *publicitate famae*, quando fama criminis pervenit ad tot homines communitatis, ut spectatis circumstantiis fieri nequeat, quin ad notitiam ceterorum perveniat.

An vero est gravis culpa, crimen in aliquo loco publicum manifestare in alio loco, ad quem notitia ejus numquam, aut nonnisi post diuturnum tempus perventura est? Dist. 1. Neg., si publicum sit *sententia judicis*, quia reus publica auctoritate, et quidem in poenam sceleris patrati legitime fama exutus est. Ita communius. 2. Aff. probabiliter, si publicum sit *notorietate facti*, quia infamatus in uno loco non amisit jus ad famam in alio loco, in quem divulgatio criminis non est brevi perventura. Excipe, si agatur de criminibus, quae reddunt hominem perniciosum, ut sunt latrocinium, proditio, haeresis etc. Ratio est, quia conducit bono publico, facinorosos homines dignosci, ut ab eis caveant omnes. [2])

Attamen communiter dicunt, historiographos posse referre delicta publica ex solo facto. [3])

---

[1]) Vide s. Alph. n. 974.

[2]) Vide s. Alph. n. 974.

[3]) Idem: H. A. Tract. XI. n. 13. Bene Ambr. Stapf: Tom. III. §. 405. n. 2. observat: „In ipsa conscribenda historia ita nos versari oportet, ut, quamvis veritati numquam refragari liceat, majorum tamen pudenda absque sufficienti ratione non detegamus. Plurimum quidem diversa sunt: vera inficiari, et omnia, quaecunque gesta sunt, in lucem proferre. — — Crimina et flagitia praeteritorum temporum equidem narrare licet, in quantum vel pragmatica rerum gestarum series, vel gloriosior virtutis triumphus absque tali relatione intelligi non potest, vel quatenus per hanc ipsam expositionem posteri a similibus ausibus absterrentur."

7. — Ceterum advertendum, quod licet de aliorum vitiis jam notis loqui detractio non sit, nilominus peccari potest sinistro et improbo affectu, quo de alienis erratis sermones miscentur.

8. — Corrupta hominis natura valde propendet ad aliorum naevos sagaciter detegendos, indiscrete propalandos, acriter carpendos. Imo, ut jam s. Hieronymus conqueritur, *„tanta hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum diaboli laqueum incidant."* Nostrum est, prudentem impendere curam, ut tum verbo tum exemplo fideles a vitio tam communi, tamque funesto removeamus. Adeo abhorruit ab hoc vitio s. Augustinus, ut mensae apposuerit versiculos:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

* S. Joannes Chrysostomus: Homilia III. ad populum. S. Bernardus: Serm. XXIV. in Cantica (Op. Tom. IV.) Serm. 17. de diversis (de triplici custodia, manus, linguae et cordis). (Op. Tom. III.) S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 73. et 74. S. Franciscus Salesius: Philothea, P. III. cap. 29. et 30. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 966—969., n. 972—982. — Lugo: De justitia et jure, Dist. 14. Sect. 3—8. Stapf: Theologia moralis in Compendium redacta Tom. III. §§. 400—403. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. II. cap. 3. art. 1. §. II. Gury: Compendium Theologiae moralis Tom. I. n. 445—456.

Casus.

9. — *Crispus inter pocula amicis suis de Petro ipsis bene cognito propalat 1. eum quondam furem fuisse, in praesentiarum autem perfecte esse emendatum; 2. eundem nuper in via publica coram multis uxorem suam verberibus affecisse; 3. illum esse virum singularem et difficilem. An et quomodo in singulis peccavit?*

Resp. ad 1. Cum innocentia majus bonum sit, quam poenitentia: Crispus certe detrimentum aliquod famae intulit Petro, ideoque venialiter peccavit. — Ad 2. Detractionem non commisit, quia injuria a Petro uxori suae illata publica erat publicitate facti. Cf. n. 6. — Ad 3 Generales istae expressiones vix indicant nisi malam quandam naturae propensionem, nec grave damnum famae inde Petro exoritur; quapropter qui illis usus est, graviter non peccavit. Cf. n. 3.

10. — *Honoratus comitis cujusdam consiliarius singulis septimanis eidem absenti transscribit, quaecunque nova percepit. Inter alia nuper retulit 1. Aristidem, officialem bellicum, duello pugnasse graviterque ab adversario suo fuisse vulneratum; 2. Jacobum, Judaeum perdivitem, usurae et fraudis reum esse; 3. Georgium, qui*

munus medici apud comitem ambiit, ebrietati esse deditum artisque tenuiter peritum. Quaeritur, quid de singulis sit judicandum?

Resp. ad 1. Non videtur graviter peccasse, quia duellum, licet peccatum mortale sit, non tamen reputatur graviter probrosum militi. [1]) Cf. n. 3. Imo ab omni culpa excusatur, si crimen illud quocunque modo jam publicum fuerit. — Ad 2. Potuit sine injuria vera Judaei crimina comiti referre, si publicitate juris vel famae publica evaserint, vel licet notoria non essent, necesse videretur comitem monere, ut a fraudibus Jacobi caveat. — Ad 3. Disting., vel ficti vel veri sunt defectus medici a consiliario relati. In priori casu graviter peccavit calumnia, quae absolute mala adeoque numquam licita est; porro tenetur consiliarius ad reparandam famam nec non ad resarcienda alia damna, quae forte exinde medico obvenerunt. In posteriori casu consiliarius non tantum potuit, sed etiam debuit vitia medici domino suo detegere ad magna ipsius damna praecavenda, coll. n. 5.

§. 131.

De contumelia.

1. — *Contumelia est injusta laesio honoris praesenti et scienti irrogata.* Hinc contumelia a *detractione* in eo differt, quod per detractionem fama, per contumeliam honor proximi violatur; et quod contumelia fit aperte instar rapinae contra praesentem, detractio instar furti occulte adversus absentem. [2]) Contumelia committi potest vel verbo vel facto.

1. *Verbo,* scilicet *convicio,* quo alicui crimen objicitur, *improperio,* quo alicui inopia vel quicunque defectus cum dedecore objicitur, *maledictione,* qua alteri optatur malum.

2. *Facto,* quo spectat *irrisio,* qua quis risu contemnitur, *illusio,* qua quis ludificatione vel deceptione traducitur, *subsannatio,* qua quis gestibus ridiculis irridetur, *libellus famosus.*

2. — Contumelia est peccatum mortale ex genere suo. Constat ex verbis Christi: *„Qui dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennae ignis."* Matth. 5. 22. Sub verbo: *Raca* intelligitur homo levis, vituperabilis, sputo dignus; illudque proferens dicitur *reus consilio,* ad quod gravia tantum crimina deferebantur. Verbo: *Fatue* significantur cuncta convicia, gravem injuriam irrogantia; quod verbum proferens dicitur *reus gehennae ignis.* Ex quibus deducitur, verba contumeliosa per se esse mortalia. [3]) Ratio autem est, quia contumelia affert grave nocumentum in bonis magni ponderis, et quae pluris aestimantur,

[1]) S. Alph. n. 967.

[2]) Idem n. 966. — Praesens aliquis esse potest vel personaliter seu physice, vel moraliter per imaginem aliudque signum, in quo aliqnatenus repraesentatur.

[3]) S. Alph. n. 966. *Hic quaeritur.*

quam opes, quas tamen certum est posse materiam peccati gravis constituere. [1])

Verum saepe contumelia est tantum *veniale* peccatum, si dicatur leve convicium non multum hominem dehonestans, vel proferatur ex aliqua animi levitate, absque proposito aliquem dehonestandi. [2]) Imo *nullum* erit peccatum, si convicium leve proferatur causa delectationis ac joci debitis circumstantiis servatis, item, si fiat ad correctionem, quo modo Dominus discipulos vocavit *stultos,* et Apostolus Galatas *insensatos.* Attamen, ut s. Augustinus [3]) ait, raro et ex magna tantum necessitate objurgationes sunt adhibendae, in quibus non nobis, sed ut Domino serviatur instemus. [4])

3. — Tenemur contumelias patienter tolerare, animum vindictae abjiciendo. Quandoque autem contumelias repellere necesse est, servato charitatis affectu, videlicet a) propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ne ipsius petulantia et audacia augeatur, unde Prov. 26. 5. dicitur: *„Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur;"* — b) propter bonum commune, si ejus profectus tacendo impediretur, prouti si superior redderetur contemptibilis; unde s. Gregorius M. dicit: *„Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum praedicationem non audiant, qui audire poterant, et ita in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant."* [5])

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 72. et 75. S. Franciscus Salesius: Philothea P. III. cap. 27. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 966. — De Lugo: De justitia et jure Disp. XIV. Sect. 11.

§. 132.

De furto.

1. — *Furtum est occulta ablatio rei alienae domino rationabiliter invito.* Dicitur 1. *ablatio,* ut distinguatur a damnificatione e. g. incensione domus; sub ablatione quoque venit injusta retentio rei alienae; [6]) — 2. *occulta,* quia si res aliena aperte auferatur cum vi domino facta, rapina committitur; [7]) — 3. *domino rationabiliter*

[1]) Lugo: De justitia etc. Disp. 14. Sect. 11. n. 192.

[2]) S. Thom. 2. 2. q. 72. a. 2. ad 3.

[3]) De Sermone Domini in monte Lib. II. c. 30.

[4]) S. Thom. 2. 2. q. 72. a. 2. ad 2.

[5]) Vide S. Thom. 2. 2. q. 72. a. 3. c.

[6]) S. Thomas: „— *detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta.*" 2. 2. q. 66. a. 3.

[7]) Per vim intelligitur non tantum

invito, quando enim adest domini consensus, saltem praesumptus, aut si dominus non possit esse rationabiliter invitus, furtum non erit.

Furtum aliud est *simplex,* cui convenit definitio, aliud *sacrilegium,* quo aufertur res sacra. Ad furtum referenda sunt omnia genera fraudationis, quae committuntur in bonis temporalibus proximi. De his legatur Catechismus ad parochos Par. III. cap. 8. q. 9.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Furtum est peccatum mortale ex genere suo.* Constat 1. ex s. scriptura, in qua furtum adnumeratur peccatis, quae a regno coelorum excludunt. Apostolus enim dicit: *„Neque fures, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.“* 1. Cor. 6. 10. Imo nedum furtum externum, sed vel ipsum furandi desiderium graviter prohibetur in decimo Decalogi praecepto. — Constat 2. ex ratione, quia per furtum violatur justitia, cujus praeceptum est, ut jus suum unicuique servetur; jamvero justitiae praecepta obligant per se sub gravi. Accedit, quod si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas, ut Doctor Angelicus [1]) observat.

Rapina et sacrilegium speciem malitiae diversam a furto prae se ferunt, quia illa injustae ablationi rei alienae adjungit personae laesionem, istud praeter justitiam violat religionem.

Dixi, furtum esse mortale *ex genere suo;* etenim peccatum erit tantum veniale ex levitate materiae vel ex imperfectione actus.

3. — Gravis materia furti similiter ac detractionis (§. 130. n. 3.) determinanda est *ex gravitate damni,* quod proximo per illud infertur, ex principio d. Thomae semel atque iterum relato: *„Peccata, quae committuntur in proximum, sunt pensanda per se secundum nocumenta, quae proximo inferuntur: quia ex hoc habent rationem culpae.“* [2]) Porro grave damnum alicui per furtum tunc inferri haud immerito censetur, quando tantum ei aufertur, quantum sufficit ad ipsius sustentationem pro uno die, secundum modum vivendi ordinarium, quem servant ejusdem conditionis homines. [3]) Hinc materia

---

violentia absolute et stricte dicta, quae fit cum impetu in personam omnino invitam et renitentem; sed etiam violentia secundum quid, quae fit, quando aliquid per metum injustum extorquetur, unde e. g. rapinam committit, qui tibi minatur mortem, nisi pecuniam tradas. E contra rapina non est, si quis nocte effringat ostium, et nemine praesente, aut renitente, rem subducat.

[1]) 2. 2. q. 66. a. 6. c.

[2]) 2. 2. q. 73. a. 3. c.

[3]) Laymann: Lib. III. Tr. 3. part. 1. n. 3. La Croix: Lib. III. P. 1. n. 984. et 985. Reuter: P. III. n. 436. Sporer: Tr. V. cap. 5. n. 29. Voit: P. I. n. 766. Reiffenstuel: Tom. IV. Tract. IX. Dist. 5. q. 1. n. 9.

Si quaeras, cur gravitas furti desumatur potius per respectum ad sustentationem diurnam cuilibet statui proportionatam, quam respiciendo ad aliquid aliud; reponitur, hoc ideo fieri, quia bona externa praecipue ordinantur ad hunc finem, scil. vitae sustentationem, atque ideo universaliter censetur notabile detrimentum, si quis bonis ad diurnam sustentationem necessariis privetur.

dimetienda est *relative,* nempe spectando ad varias hominum conditiones et necessitates.

Equidem ad gravem furti materiam de nostra moneta requiri videntur: 1. relate ad mendicos pauci cruciferi, quibus uno die utcunque victum sibi comparassent; 2. relate ad operarios, ex diurno labore victitantes circiter 50 cruciferi; 3. relate ad cives mediocriter opulentos, qui vivunt propriis reditibus, unus vel duo floreni; 4. relate ad cives ordinarie divites, tres vel quatuor floreni; 5. relate ad ditissimos quinque vel sex floreni; [1]) idemque dicendum videtur respectu communitatis valde opulentae.

Si res furto ablata sit sacra, sed quoad speciem physicam pretio temporali aestimabilis, e. g. calix, gravitas furti determinanda est sicut in re profana. Quodsi res sacra sit nullo pretio temporali aestimabilis e. g. Sanctorum reliquiae, consideranda erit ejus dignitas et raritas; unde secundum Sanchez et alios mortale foret, furari minimam particulam s. Crucis. [2])

Porro observandum, ex parte uxoris et filiorum plus requiri ad gravem materiam furti constituendam, quam ex parte extraneorum, quia paterfamilias quoad illos minus invitus, aut saltem minus rationabiliter invitus est, quam quaod extraneos; et saepe invitus est magis quoad modum (quod nempe clam quidpiam accipiant), quam quoad substantiam (seu rem subductam). [3]) Sunt, qui requirunt summam duplo majorem; sed hoc a variis personarum vel conditionum circumstantiis pendet. [4])

Quod furta famulorum attinet, haec si fiant in esculentis, quae non solent caute servari, numquam deveniunt ad culpam gravem, modo ejusmodi res non vendantur, aut in magna quantitate accipiantur, quia domini magis inviti esse solent quoad modum accipiendi, quam quoad rem ipsam acceptam. [5]) Quoad pecuniam vero,

---

[1]) Plurimi Auctores (apud s. Alph. Lib. IV. n. 527.) quoad ditissimos pro materia gravi exigunt tres aureos, qui aequivalent circiter sex florenis.

[2]) Reuter: P. III. n. 438. La Croix: Lib. III. P. 1. n. 1003.

[3]) S. Alph.: H. A. Tr. X. n. 32.

[4]) Gury n. 608. Scavini etc.

[5]) S. Alph.: Th. m. Lib. IV. n. 545.

aut res sedulo custoditas, non requiritur major quantitas ad peccatum grave, quia domini tunc non sunt minus inviti erga ipsos, quam erga alios; imo hujusmodi furta serverius lege civili puniuntur, quia famuli abutuntur illorum confidentia. [1])

4. — **Principium II.** *Furtum in materia levi tribus modis fit grave peccatum: 1. per intentionem perveniendi ad materiam gravem, 2. per multiplicationem, et 3. per conspirationem.* Ita omnes. Singula explicanda sunt.

1. *Per intentionem perveniendi ad materiam gravem,* posito quocunque intervallo. [2]) Ratio est, quia actus externus desumit suam malitiam ab actu interno; hinc cum actus internus furantis sit graviter peccaminosus, et singula furtula, quae perpetrantur, sunt gravia peccata. Ideo graviter peccant in singulis defraudationibus etiam levibus, qui injustis ponderibus vel mensuris ditescere intendunt.

2. *Per multiplicationem,* si nempe furta minuta ad summam gravem pervenerint, modo inter ipsa non ponatur magnum intervallum. Et hoc certo valet, a) si agatur de furtis in *eandem personam* commissis, quia per furtula repetita et unita eidem personae grave damnum infertur. [3]) Idem valet b), si agatur de furtis in *diversas personas* commissis, quia tunc grave damnum non istis quidem, sed tamen reipublicae irrogatur, quae quippe laeditur per aliquid grave, quod in membris suis patitur ipsa, uti si singula membra corporis leviter vulnerarentur, fieret toti corpori gravis injuria; porro singuli homines communitatis sunt et debent esse graviter inviti, ne hoc fiat, quia vergeret in gravissimum damnum reipublicae, in qua fures otio dediti furtis levibus absque dispendio salutis ditescere vellent. [4]) — In ejusmodi autem furtis minutis amplius requiritur ad materiam gravem; equidem, ut videtur, in furtis adversus eandem personam commissis duplo plus, quam sufficeret ad materiam gravem, si *simul* res alicui auferrentur; quoad furta in diversas personas patrata duplo plus, quam satis esset ad materiam gravem relate ad furtum communitati illatum, quia, ut diximus, in hoc casu furta cedunt in damnum communitatis. [5])

[1]) Gury l. c. cum Scavini et aliis.

[2]) S. Thomas: 2. 2. q. 66. a. 6. ad 3. S. Alphons.: Lib. IV. n. 533.

[3]) S. Alph.: n. 534.

[4]) Idem n. 534. Lugo: Disp. 16. n. 37. LaCroix: Lib. III. P. 1. n. 1012. et 1013. Reuter: P. III. n. 440. Voit P. I. n. 767.

[5]) Ita quoad ultimum Ant. Ballerini in Adnotationibus ad Compendium a Gury exaratum Ed. 17. Romae 1866. ad n. 611. pag. 602.

Furtula non coalescunt, si inter illa *magnum temporis spatium* intercedit e. g. supra duos menses; tunc enim non amplius unum objectum morale constituere videntur. [1])

3. *Per conspirationem,* vi cujus plures mutuo consilio et consensu simul vel successive furta parva committunt, quae collecta gravem materiam constituunt; quia singuli cooperantur moraliter ad totum damnum. Secus dicendum, si singuli independenter ab invicem agant, quia tunc nullus eorum est causa damni gravis. [2])

Quodsi plures seorsim res parvas furentur cum domini gravi damno, ita, ut alter alterius exemplo moveatur: tunc quilibet graviter peccat contra charitatem ratione scandali, quod sibi vicissim praebent, sed non contra justitiam, quia exemplum non est causa positive influens in damnum alienum. [3])

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 66. a. 3—6. a. 8. et 9. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 518. et 819. n. 526—545. — Lugo: De justitia et jure Disp. XVI. Sect. 1—3. Reiffenstuel: Theologia moralis Tom. IV. Tract. IX. Dist. 5. q. 1. et 2. Reuter: Theologia moralis Tom. III. Tract. III. n. 433—442. Voit: Theolog. moralis P. I. n. 761—767. n. 786. et sq. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. 2. c. 4. Gury: Compendium Theologiae moralis Tom. I. n. 605—615. Gousset: Moraltheol. I. B. n. 978—994.

§. 133.

De causis a furto excusantibus.

Duae communiter assignantur: 1. necessitas extrema, et 2. occulta compensatio.

I. De necessitate a furto excusante.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** *Homo in extrema necessitate constitutus tantum usurpare potest de bonis alienis, quantum satis est ad se liberandum a tali necessitate.* Ita omnes DD. cum d. Thoma. [4]) Ratio est, quia in tali necessitate subtrahere alienum, quantum sufficit ad eam tollendam, non est furari, quia tunc dominus non potest esse rationabiliter invitus; res enim temporales datae sunt a Deo tamquam media conservandi vitam; ergo hac periclitans proximus licite

[1]) S. Alph. n. 530.

[2]) S. Alph. Lib. IV. n. 535. et 536. *in fine* cum aliis contra alios, qui dicunt, malo exemplo tunc etiam contra justitiam peccari.

[3]) S. Alph.: H. A. Tr. X. n. 30. Th. m. Lib. IV. n. 537. et Lib. II. n. 45.

[4]) 2. 2. q. 66. a. 7.

potest hoc vel illo bono temporali sibi summe necessario uti. Hoc sensu in extrema necessitate fiunt omnia communia. [1])

Dixi 1. in *extrema necessitate* seu in qua vita ipsa periclitatur. Idemque, ut communiter docent, etiam valet, quando necessitas est gravissima seu *quasi* extrema, quae adesse censetur, quando quis est in probabili periculo incurrendi mortem, aut amittendi membrum aliquod principale aut aliquem sensum; item, quando quis est in proximo periculo incidendi in perpetuam captivitatem vel gravissimum aut perpetuum morbum; in his enim casibus necessitas extrema est moraliter praesens. [2])

Nequaquam autem ad aliena auferenda sufficit necessitas *gravis*, et eo minus *communis*, quia tunc domini merito essent rationabiliter inviti, et direptionibus facilis aditus pateret. Confirmatur ex propos. n. 36. ab Innocentio XI. damnata: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* [3])

Dixi 2. *Licet tantum de bonis alienis usurpare, quantum sufficit ad sublevandam necessitatem extremam.* Unde a) si sufficiat alicui solus usus rei, e. g. equi, cessante necessitate rem restituere tenetur. [4]) b) Si extreme indigens alibi habeat bona in re vel saltem in spe probabili, non potest rem alienam accipere, nisi cum onere restitutionis, quia necessitas tunc non exigit rem accipi gratis. Secus autem, si tempore necessitatis nec in re neque in spe bona habuit, et rem ablatam consumpsit; in hoc enim casu ad nihil obligatur, etsi postea ad meliorem perveniat conditionem. [5])

2. — **Principium II.** *Sicuti ad propriam, ita et ad alienam sublevandam necessitatem extremam quisque potest aliena usurpare.* Ita communiter cum s. Thoma. [6]) Ratio est, quia tunc vices gerit indigentis, et ostendit, se diligere proximum sicut seipsum. Imo ad id obligatus esse potest ex charitate, nisi gravia idcirco incommoda subire debeat.

[1]) Stapf: Tom. III. §. 449. recte observat: „— si dominus rei ablatae vel scintillam humanitatis retinuit, in tantis rerum angustiis ejusdem consensus certissime praesumi potest. Quodsi vero pertinaciter reluctetur, saltem *rationabiliter invitus* dici nequit; imo talis quodammodo parum ab impio aggressore differt, utpote dum ea denegat, quae ad servandam alterius vitam absolute necessaria videntur. Huc certe quadrant verba s. Ambrosii: *„Si non pavisti, occidisti.“* Legatur d. Thomas: 2. 2. q. 66. a. 7. Ceterum illud principium supra propositum etiam jura civilia agnoscunt. Pruner: Restitutive Gerechtigkeit §. 68.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. a. 520. *Certum est.*

[3]) De sensu hujus propositionis: La Croix; Lib. III. P. I. n. 949.

[4]) S. Alph. n. 520. q. 5.

[5]) Idem n. 520. q. 4. et 5. Idem probabiliter dicitur, si rem furto haberet; quia si res apud dominum extitisset, potuisset sine obligatione restituendi auferre. l. c. q. 4.

[6]) 2. 2. q. 66. a. 7. ad 3.

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 66. a. 7. S. Alphonsus: Theol. moralis Lib. IV. n. 520. — De Lugo: De justitia et jure Disp. XVI. Sect. 7. Reuter: Theolog. moralis Par. III. Tract. 3. n. 444. Gury: Compendium Theol. moralis Ed. 17. Romae. n. 616—619.

II. De compensatione occulta.

3. — Occulta compensatio est actus, quo quis rem sibi debitam acceptat inscio debitore.

Principium: *Occulta compensatio certis sub circumstantiis licita est, dum nec justitiae neque honestati adversatur.* Ita omnes. Requiritur autem 1. ex parte *justitiae:* a) ut debitum sit strictum et certum; b) ut res ipsa debita, aut aequivalens, nec plus accipiatur; c) ut debitor extra periculum bis solvendi ponatur, nec tertius inde damnum patiatur. Requiritur 2. ex parte *honestatis* praesertim, ut debitum via judicii obtineri non possit. Creditor enim prius ad judicem recurrere debet; sed hoc omittens tantum venialiter peccat, imo nullo modo peccat, si recursus est moraliter impossibilis, e. g. alias timeantur sumptus extraordinarii, inimicitiae etc. [1])

Ceterum cum haec res periculi et hallucinationis sit plena, in confessionali vix unquam compensationem occultam permittere expediet, at vero compensationi jam factae, si omni ex parte justa appareat, eatenus connivere licebit, quatenus poenitens ad restitutionem non obstringatur. [2])

4. — Sed *quaeritur 1. An famulus licite possit compensare salarium, quod dominus non solvit.*

Resp. *Aff.*, si dominus non solverit salarium, de quo conventum est, servatis tamen servandis juxta dicta in Principio. [3])

Quaeritur 2. An famulus licite possit se compensare ultra salarium stipulatum, quia id reputat justo tenuius?

Resp. *Neg.*, generatim loquendo, ut patet ex propos. 37. ab Innocentio XI. damnata: *Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Ratio est, quia si istud

[1]) S. Alph.: Th. m. Lib. IV. n. 521. H. A. Tr. X. n. 21. Objectiones fieri solitae cum earum simul refutatione videri possunt apud La Croix: L. III. P. 1. n. 960.

[2]) Stapf: Tom. III. §. 449.

[3]) H. A. Tr. X. n. 21.

indiscriminatim permitteretur, innumeris furtis via panderetur, siquidem famuli sibi facile persuaderent, stipendia esse justo minora. Idem pari ratione dicendum de operariis, opificibus etc.

In specie: 1. Si stipulatum fuerit pretium *infimum*, contractui standum est, quia illud adhuc justum est, et famulus nullam patitur injuriam.

2. Si stipulatum fuerit salarium *infra infimum*, adhuc standum est contractui, si famulus libere convenerit cum domino, tunc enim dominus illi dicere potest: *nonne ex denario convenisti mecum?* [1]) Excipiunt autem communissime cum s. Alphonso, [2]) si famulus necessitate compulsus convenisset de salario notabiliter minore quam justo, quia ejus paupertas nequit excusare herum a solvendo saltem infimo stipendio, quare famulus usque ad stipendium infimum se compensare potest; dummodo dominus illum non ex sola misericordia seu pietate susceperit.

3. Si famulus augeat operas debitas, se compensare nequit, si ita agat electione propria, quia tunc censetur operam suam condonare ad conciliandam sibi domini gratiam; secus autem, si operas augeat ex voluntate domini sive expressa sive tacita, quia tunc operarius dignus mercede sua censetur. [3])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 521—525. Homo Apostolicus Tract. X. n. 21. Tract. VII. n. 11. — De Lugo: De justitia et jure Disp. XVI. Sect. 5. et 6. (latissime). Reuter: Theol. mor. Tom. III. P. III. Tr. 3. n. 445—446. Gury: Compendium Theol. moralis P. I. n. 620—625. Ed. 17. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze S. 399—411. Olmütz 1851.

Casus.

5. — *Genofeva per plures annos hero satis diviti famulabatur, quin salarium acceperit. Moritur dominus. Quid Genofeva? Tot de domo domini aufert mobilia bona, quot mercedi sibi debitae respondeant. Teneturne bona, quae abstulit, restituere?*

Resp. Absque dubio Genofevae salarium stipulatum a domino, et eo defuncto, ab ejusdem haeredibus solvi, justitia jubet. Cum igitur famula ea tantum bona clam abstulerit, quae mercedi sibi debitae responderent, non accepit, nisi quod suum est, adeoque non peccavit contra justitiam et minime compelli potest ad restitutionem. Cf. n. 4. Nec obstat, quod juris ordinem praetermisit; solus enim hujus conditionis defectus non obligat ad restitutionem, cum justitia commutativa non sit violata. Quinimo nec contra hanc conditionem agendo ullo modo peccavit, si non potuisset sine gravi incommodo ad judicem recurrere. [4]) Cf. n. 3.

6. — *Linus ex gravi Eustachii culpa theologica equi, quem illi commodaverat, jacturam fecit. Posset ipse actione forensi damni, quod passus est, compensationem obtinere; sed cum probe noscat, se id sine multis molestiis magnisque impensis consequi non posse, de pecunia, quam Eustachio inscio debet, tantum retinet, quantum ad servandum se indemnem sufficiat. Quaeritur: An Linus juste liciteque egerit?*

Resp. *Aff.*, quia inveniuntur omnes conditiones ratione justitiae et honestatis requisitae ad occultam compensationem sine offensione faciendam. „Occulta quippe compensatio remedium est, quo quis uti potest ad sua recuperanda, si cetera remedia desint, vel haberi nequeant sine maxima difficultate ac detrimento.“ [1])

[1]) Matth : 20. 13. S. Alph.: Lib. IV. n. 522.

[2]) Lib. IV. n. 522. H. A. Tr. VII. n. 11.

[3]) S. Alph. n. 523.

[4]) Vide Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze. S. 406.

DISPUTATIO III.

De reparatione juris violati seu de restitutione.

§. 134.

De obligatione restitutionis.

1. — Restituere nihil aliud est, quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suae, ut d. Thomas [2]) ait. Plene definita *restitutio est actus justitiae commutativae, quo res aliena redditur vel damnum injuste illatum reparatur.*

PROPOSITIO.

Restitutio in re vel saltem in voto necessaria est necessitate praecepti.

2. — Probatur 1. ex s. scriptura. Propheta dicit, tunc non moriturum impium, *si egerit poenitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit.* Ezech. 33. 14. Apostolus monet: *„Reddite ergo omnibus debita.“* Rom. 13. 7. — Probatur 2. ex ss. Patribus, inter quos s. Augustinus docet: *„Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest.“* [3]) — Probatur 3. ex ratione, quae quippe dictat, suum unicuique esse tribuendum, unde vero sequitur, rem alienam esse reddendam, damnumque injuste illatum resarciendum. Quid voluntaria restitutionis omissio, nisi injuriae continuatio?

Restitutio non est necessaria necessitate medii ad salutem, sed tantum *praecepti*, scilicet ad vitandum peccatum, quod continuatur, quamdiu homo potest restituere, et non restituit. Ita necessaria est restitutio ad salutem, sicut omissio furti. [4]) Qui restituere absolute

[1]) Idem op. cit. pag. 406. 407.

[2]) 2. 2. q. 62. a. 1. c.

[3]) Epist. 153. ad Macedonium. Verba citata s. Doctoris inserta sunt juri canonico *cap. Sic res aliena* 1., causa 14. q. 6.

[4]) Lugo: De justitia et jure Disp. VIII. Sect 2. n. 23.

nequit, excusatur a restitutione in *re*, quia ad impossibilia nemo tenetur; sed non excusatur a restitutione in *voto*, id est, semper firmum debet habere propositum restituendi, quando poterit; secus enim affectum ad rem malam retineret; ideoque tenetur etiam curare, ut quam primum possit obligationi suae satisfacere, quia obligatus ad finem, etiam ad media obligatur. Qui totum restituere non valet, ad partem tenetur, si de re divisibili agatur. Qui restitutionem promittere recusat, absolvi non potest, prouti nec ille, qui aere alieno gravatus impensas superfluas in mensa, ludo etc. ad satisfaciendum creditoribus resecare detrectat.

3. — Praeceptum restitutionis per se est *affirmativum*, implicat tamen *negativum*, quo prohibetur, rem alterius retinere ipso rationabiliter invito. [1]) Obligatio restituendi gravis est in materia gravi, levis in materia levi. [2])

4. — Pro praxi advertendum, quod s. Alphonsus [3]) ex sententia communissima sapienter monet: Si poenitens sit in bona fide, et Confessarius praevideat, monitionem de facienda restitutione minime esse profuturam, monitio omittatur. Si enim, ut s. Doctor prosequitur, Confessarius magna prudentia officio suo fungi debet, quomodo prudenter se geret, si poenitentem monebit praevidens, quod ille animae detrimentum (in peccatum formale incidendo) sit passurus et e converso damnum creditoris non sit amovendum? — Attamen non facile praesumendum, admonitionem nihil esse profuturam.

5. — Impotens restituere ex bonis ejusdem generis *probabilius* non tenetur restituere ex bonis diversi generis, e. g. famam pecunia compensare. Ratio est, quia inter bona diversi generis non datur mensura communis, ergo dari nequit compensatio damni juxta aequalitatem. [4]) Id tamen non impedit, quominus a judice per modum poenae pro injuria circa unum bonum aliquid praestandum ex bonis alterius generis imponatur. Denique congruum esse dicunt, ut Confessarius poenitenti pro poenitentia vel ex aequitate aliquid laeso elargiendum praescribat. [5])

---

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 62. a. 8. ad 1. Lugo op. c. Disp. VIII. Sect. 2. n. 19. et alii communiter.

[2]) Plures casus expendit s. Alph.: Lib. IV. n. 534. 553. 595.

[3]) Lib. IV. n. 682. q. 2.; Lib. VI. n. 614.

[4]) S. Alph. n. 627. aliique communius. Late La Croix: Lib. III. P. 2. n. 297. 304.

[5]) s. Alph. l. c.

DISTINCTIO I.

De restitutione in genere.

Agendum 1. de radicibus restitutionis, 2. de circumstantiis restitutionis, 3. de causis a restitutione excusantibus.

Articulus I.

De radicibus restitutionis.

Radix restitutionis remota et generalis est quaelibet violatio justitiae commutativae coll. §. 95. n. 1. Radix proxima et specialis triplex est: 1. acceptio rei alienae, 2. injusta damnificatio, 3. injusta cooperatio.

A.

De acceptione rei alienae.

§. 135.

Veritates praevie notandae.

1. — Praenotamus axiomata, ad quae in expositione doctrinae praejacentis saepissime provocabimus.

I. *Res clamat ad dominum*, id est, domino competit jus strictum, rem suam recuperandi. Ratio hujus axiomatis est, quia solus rei dominus jus habet, eam possidendi, nec rei dominium amittit, ad cujuscunque manus illa devenerit.

II. *Res fructificat domino.* Ratio est, quia usus seu fruitio rei necessario in idea dominii perfecti includitur. §. 96. n. 1.

III. *Res naturaliter perit domino.* Ratio patet; siquidem deficiente objecto dominii evanescit et ipsum dominium. Si illud tamen existat adhuc *in aequivalenti*, istud *aequivalens* domino competit.

IV. *Nemo ex re alterius locupletari potest seu mensura restitutionis est quantitas rei alienae sine causa detentae.* Ratio, quia soli domino rei competit utilitatem ex ea percipere.

2. — Porro observandum, quod fructus ex re aliqua percepti possunt esse diversae speciei, scilicet: 1. *Fructus naturales,* qui ex ipsa rei substantia, sine ulla aut modica nonnisi opera hominis proveniunt, ut sunt gramina, fructus arborum, ligna; item lac, lana etc. 2. *Fructus industriales,* qui sola hominis industria acquiruntur, ut est lucrum, quod percipitur a pecunia negotiationi exposita. 3. *Fructus mixti,* qui partim a natura, partim ab industria habentur, ut

sunt segetes, frumentum, vinum. 4. *Fructus civiles,* qui proveniunt ex aliqua re vi obligationis in jure civili fundatae, ut sunt pretium domus locatae, mercedes, salaria. Hi fructus vel *naturales,* vel *industriales,* vel *mixti* esse possunt, prouti vel ex re potius, vel potius ex industria, vel ex utraque provenire censentur.

3. — Homo potest fieri possessor rei alienae vel cum bona, vel mala, vel dubia fide. Hinc tractabimus 1. de possessore bonae fidei. 2. de possessore malae fidei, 3. de possessore dubiae fidei.

§. 136.

De possessore bonae fidei.

1. — *Possessor bonae fidei ille est, qui invincibiliter ignorat, rem a se possessam esse alienam seu prudenter judicat eam esse suam.*

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Possessor bonae fidei statim ac cognoscit, rem non esse suam, tenetur, eam adhuc extantem in toto vel in parte, domino restituere; quia res clamat ad dominum. Si vero rem non amplius habeat, ad nihil tenetur, quia res naturaliter perit domino; nisi ditior inde evaserit, tunc enim id, in quo ditior factus est, domino restituere debet, quia nemo ex re aliena injuste locupletari potest. In dubio, an ditior factus sit, ad nihil tenetur.

Non tenetur restituere fructus *industriales,* quia non sunt fructus rei, sed hominis occasione rei vel per rem eos lucrantis. Restituere autem debet fructus *naturales,* quia res fructificat domino, et fructus *mixtos,* in quantum naturae, non vero quantum industriae respondent, [1]) nec non *civiles,* quatenus sunt naturales. [2])

Deducere potest omnes *expensas necessarias et utiles,* seu quae rem conservant et meliorem efficiunt; secus enim dominus plus, quam suum est, reciperet. Porro subtrahere etiam potest expensas *voluptuarias,* quatenus rei valorem augent, vel potest meliorationem auferre, si fieri queat absque rei ipsius detrimento. [3])

3. — Ex dictis consequitur: 1. Qui bona fide vendidit rem dono sibi datam, tenetur restituere pretium, quia hoc factus est

[1]) S. Alph. Lib. IV. n. 610. 825.

[2]) Ex jure Austriaco (C. A. §. 330.) possessori bonae fidei omnes assignantur fructus jam separati aliaque emolumenta jam percepta, quae tempori possessionis correspondent.

[3]) C. A. §. 331. et 332.

locupletior; et qui rem possidet, tenetur eam domino cognito restituere. [1])

2. Si bona fide rem emisti et vendidisti sine lucro, ad nihil teneris. Quodsi lucrum perceperis, id domino restituere debes, nisi sit fructus industriae. [2])

3. Qui rem alienam bona fide alicui donavit, non donaturus aliam, si hanc non habuisset, ad nihil tenetur; quia non est factus ditior. Secus, si aliam donaturus fuisset, quo casu debet restituere id, quo ditior factus est, nempe tantum, quantum rebus suis pepercit. [3]) Tenetur donator monere donatarium, ut rem domino reddat, vel dominum, ut rem suam recuperare valeat, ratione charitatis, si facile id praestare possit; non autem ratione justitiae, quia nullam injuriam formalem intulit domino, rem illam ut suam bona fide donando. [4])

4. — **Principium II.** Qui rem alienam bona fide emit et alteri vendidit, 1. *in casu evictionis,* seu in casu, quo dominus rem suam ab emptore postulaverit, emptori pretium solutum reddere tenetur; quia contractum venditionis celebrando se implicite obligavit ad indemnem reddendum emptorem. [5]) Et idem valet in casu, quo emptor sponte sua rem domino restituit, ob eandem rationem. 2. *Extra casum evictionis vel spontaneae restitutionis* ex parte emptoris, venditor nil tenetur restituere, nisi ex venditione ditior factus fuerit, *non* quidem *domino rei,* cum rem non habeat, neque ex ea, ut supponitur, factus sit ditior, *neque emptori,* cum hic nullum damnum ex illa emptione perpessus sit. [6]) Nec tenetur indicare emptori, rem a se possessam esse alienam, neque domino rei, ubi res sit, si ipse, nempe possessor bonae fidei, pretium, quo rem a fure emit, non amplius recuperare possit; et quidem non tenetur ex justitia, quia rem non amplius habet nec causa est, quod dominus re sua privetur; non ex charitate, quia non obligatur cum magno suo damno curare, ut dominus rem suam recuperet. Ita s. Alphonsus, [7]) Lugo [8]) et alii valde communius.

5. — **Principium III.** Qui rem furtivam bona fide emit, *proba-*

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 609.

[2]) Idem l. c. Lugo: De just. Disp. XVII. n. 19.

[3]) S. Alph. l. c.

[4]) Gury: n. 637. Scavini: et alii.

[5]) Ita Lugo: Disp. XVII. Sect. 5. n. 107. Alii ex infirmitate contractus rationem deducunt.

[6]) Ita clare et perspicue Lugo: De just. et jure Disp. XVII. Sect. 5. a. 108.

[7]) Lib. IV. n. 601. et 800.

[8]) l. c. n. 110.

bilius potest eam furi reddere ad pretium suum recuperandum, nisi dominus compareat repetens rem suam. Ratio est 1., quia cum quisque jus habeat ad bona sua recuperanda, injustum non est, actionem ponere, quae per se et directe tendit ad reparandum proprium damnum, licet indirecte et per accidens damnum alteri eveniat. Et 2., quia nemo tenetur rem domino servare cum proprio damno aequali. Sic s. Alphonsus [1]) cum aliis satis communiter, attamen subjungit, hanc sententiam tunc tantum posse locum habere, quando emptori nulla alia suppetit via recuperandi suum pretium, quam restituendi rem furi.

Quodsi fur non inveniatur, aut pecuniam reddere nolit, emptor cognito domino rem nec aliis vendere neque in proprios usus convertere potest, quia non est rei dominus; sed eam domino reddere debet, non obstante pretii jactura. [2])

Qui autem omnino *gratis* a fure rem alienam obtinuit, tuta conscientia eam furi reddere nequit, nisi moraliter certus sit, rem a fure restitutum iri domino. [3])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 607—612. 569, 601. et 800. — De Lugo: De justitia et jure Disp. XVII. Sect. 1. 2. et 3. Elbel: Theologia moralis Tom. III. De restitut. Conferent. II. n. 30—60. Carrière: De justit. et jure Tom. III. P. III. cap. 2. n. 1035—1061. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze oder von der Restitution §. 41. S. 542—553. Olmütz 1851. Pruner: Restitutive Gerechtigkeit §. 7. Regensb. 1858.

Casus.

6. — *Florianus vestem a fure sibi donatam bona fide portavit et fere attrivit; postea vero comparet dominus postulans, quod sibi sit debitum. Quaeritur: Quid ratione restitutionis de hoc casu censendum?*

Resp. Tenetur Florianus vestem extantem restituere, et insuper solvere, quantum attrita est, si aliam vestem *aequalis valoris* attrivisset. Ratio est, quia cum suae vesti pepercerit, ex aliena veste emolumentum percepit; quare non solum vestem extantem, sed id etiam, quo ditior factus est, restituere debet. Si autem vestem alienam pretiosiorem v. g. 60 florenis constantem bona fide attrivit, ita, ut si eam non habuisset, atterere debuisset propriam minus pretiosam v. g. 10 florenis constantem, reputabitur factus fuisse ditior decem, ideoque satisfaciet restituendo vestem attritam cum decem superadditis. — *Quid autem, si vestis illa mox post donationem Floriano fuisset ablata?* Tunc ad nihil tenetur; prouti etiam in eo casu, quo talem vestem non dono accepit, sed *pretio emit*, praeter vestem attritam ad nil tenetur, quia in nullo factus est ditior. [1]) Recole dicta n. 2. et 3.

7. — *Valerianus a fure bona fide emit equum, quem post duos annos majori pretio vendit in loco remoto, ubi pluris valent equi, postquam eundem saepius commodando 50 florenos lucratus est. Mox equo vendito comparet dominus postulans equi pretium.*

Hinc quaeritur: An Valerianus ad pretium equi aut quidpiam aliud restituendum sit obligatus?

Resp. Non tenetur restituere pretium equi, quia bona fide equum possedit. Sed tenetur restituere id, quo ditior factus est, exceptis tamen fructibus industrialibus et deductis expensis. Quare domino equi dare debet 50 florenos tamquam fructus civiles, si sint mere naturales, et non simul industriales, quo casu partem fructuum industriae correspondentem sibi reservare potest; porro si equum adhibuerit ad agros colendos, ad merces transportandas etc., tantum adhuc domino refundere debet, quantum pepercit suis expensis, quas equum non possidendo facere debuisset. Excessum autem pretii, quo equum vendidit, sibi retinere potest, quia locupletior non est factus a re ipsa, sed a sua industria et labore. [2]) Cf. n. 2. *Pr. I.*

8. — *Fabianus scriniarius diversa lignorum genera 40 florenis a fure bona fide emit, et ex illis mensas et sellas confecit, quas rursus bona fide vendidit Sebastiano pro 70 florenis. Ast paulo post rescivit, ligna illa eidem Sebastiano fuisse surrepta; unde a Confessario scire cupit, an Sebastiano aliquid restituere debeat?*

Resp. Si Fabianus de lignis aliquid habeat, tenetur illud restituere, quia possessor bonae fidei debet restituere rem alienam sive in toto sive in parte extantem. Si vero omnia ligna supponatur impendisse rebus illis elaborandis, ad nihil tenetur; etenim pro lignis expendit propriam pecuniam, et lucrum, quod pro mensis et sellis venditis a Sebastiano accepit, est pretium artis, industriae et laboris, quocirca a re ipsa aliena non est ditior factus.

[1]) Lib. IV. n. 569.

[2]) Gury n. 644.

[3]) Lessius: Lib. II. c. 14. Dub. 3. n. 13. Elbel n. 58. et alii. Extant casus, in quibus possessor bonae fidei rem juste retinere potest, quia dominium acquisivit; videlicet 1. *ex omni jure*, si rem tam mobilem, quam immobilem legitime praescripsit: 2. *ex jure Austriaco* §. 367., si rem mobilem publica auctione emit; si rem emit a venditore ad illud commercium habilitato; si rem emit ab eo, cui tradita est a domino ad usum, vel ad depositum, vel ad quemlibet alium finem.

§. 137.

De possessore malae fidei.

1. — *Possessor malae fidei dicitur ille, qui scit, rem, quam accipit vel possidet, non esse suam.* Hic cum injuriae *formalis* reus sit, rigorosius quam possessor bonae fidei obligatur ad restitutionem; rigorisius nimirum applicatis ad ipsum axiomatibus satis jam notis: *Res clamat ad dominum. Res fructificat domino.*

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Possessor malae fidei restituere debet rem alienam, si existat, vel ejus pretium aequivalens, si non existat. Ratio est, quia rem alienam injuste accipiendo aut detinendo, hoc

[1]) Sporer: Tract. IV. cap. 2. n. 113. Elbel: De restitut. n. 49,

[2]) Lugo: De just. etc. Disp. XVII. Sect. 1. n. 19.

ipso rei vel pretii debitorem se constituit, ac proinde ex justitia commutativa debito huic stricte secundum aequalitatem satisfacere tenetur. [1])

Praeterea tenetur compensare damnum emergens et lucrum cessans, saltem in confuso praevisum, etiamsi ipse non fuerit ditior factus; quia illud injuste intulit, hoc injuste impedivit injusta sua actione, nec bona fide seu ignorantia excusatur.

Denique restituere debet id omne, quo ditior factus est, puta fructus naturales; fructus etenim industriales retinere, prouti etiam deducere potest expensas necessarias et utiles, imo et voluptuarias, ubi intacta rei substantia separari possunt, nisi in poenam delicti iisdem privetur.

3. — Sed incidit quaestio: *Ad quid teneatur possessor malae fidei, quando res varium subierit valorem tempore iniquae detentionis?*

Resp. Valor rei potest variari vel intrinsece, vel extrinsece. *Intrinsece* variatur, si res in se fit melior vel vilior, ut e. g. pullus equinus, quando adolevit, est in se melior; equus, cum senescit, est in se vilior. *Extrinsece* variatur, si res in se manens eadem jam pluris jam minoris aestimatur, ut e. g. triticum, vinum, ob raritatem vel copiam ejusmodi rerum. [2]) — Quibus praemissis

Dico 1. *Quoad intrinsecam variationem valoris:*

a) Si res apud furem deterior facta sit, restituenda haec est simulque compensanda ejusdem deterioratio, v. g. si bos pinguis tempore injustae detentionis factus sit macilentus.

b) Si res apud furem creverit, restitui debet cum incremento, v. g. si ex vitulo facta sit vacca, quia res crescit domino. [3])

Dico 2. *Quoad extrinsecam variationem valoris:*

a) Si res vel creverit vel decreverit, fur autem eodem tempore, quo dominus eam vendere vel consumere voluit, eandem vendidit aut consumpsit: tenetur restituere valorem, quem res habebat illo tempore.

b) Si res creverit et postea decreverit, atque constet, dominum

[1]) Haec valent, si dominus habet jus *in re*; nam si habet tantum jus *ad rem*, tunc ei satisfieri debet pro valore spei, quam habebat, rem efficiendi suam. S. Alph.: H. A. Tr. X. n. 77.

[2]) La Croix: Lib. III. P. 2. n. 231.

[3]) S. Alph.: Lib. IV. n. 619.

eo tempore, quo majoris pretii erat, illam venditurum aut consumpturum fuisse, fur ad majus pretium reddendum obstringitur.

c) Si res, quam dominus noluit asservare, decreverit et postea creverit, et fur eam tempore minoris pretii vendiderit aut consumpserit; tunc fur tenetur tantum ad minus pretium, quia non ditescit ex re aliena, nec injuriam infert domino. [1])

d) Si dominus rem consumpturus fuisset tempore minoris pretii, fur vero eam vendidisset aut consumpsisset tempore majoris pretii, tunc fur tenetur ad majus pretium, quia res domino suo fructificat, nec fructus perceptus est fructus industriae, sed fructus rei, unde totus ei debetur. [2])

e) In dubio, utrum dominus ad tempus majoris vel minoris valoris rem suam fuisset servaturus, fur *probabilius* tantum pro ratione dubii restitutionem praestare debet. [3])

4. — **Principium II.** Ad restitutionem fur tenetur, licet res furtiva, sive ipsius vel alterius culpa, sive mero casu apud ipsum perierit. Non vero videtur obligatus ad restitutionem, si res etiam apud dominum fuisset peritura eodem tempore et in eodem periculo. Ratio 1^mi^ est, quia fur rem subducendo totum rei periculum in se suscepit. Ratio 2^di^ est, quia si penes dominum eodem tempore et in eodem periculo fuisset peritura, furtum non erat causa efficax damni. Ita communiter. [4]) Hinc fur non tenetur restituere pretium rei, quae apud ipsum periit, si pariter apud dominum periisset ob vitium intrinsecum, quo laboravit, vel in eodem incendio, in eadem invasione hostili etc. Si autem fur culpabiliter distulit restitutionem, tenetur ad restituendos fructus, quos dominus ex re percepturus fuisset, vel quos ipse percepit.

5. — Quaeritur: *An possessor malae fidei rem alienam reddere possit furi ad pretium recuperandum?*

Resp. Controvertitur. Affirmat s. Alphonsus, [5]) ut *probabile*, cum aliis, [6]) ex rationibus §. 136. n. 5. notatis. Negant alii communius (teste s. Alphonso), quia, ut dicunt, res erepta e manu furis

[1]) Idem: Lib. IV. n. 621.

[2]) S. Alph. l. c.

[3]) Lessius: De justitia etc. Lib. II. cap. 12. Dub. 19. n. 109. Lugo: De just. etc. Disp. XVIII. Sect. 6. n. 133. La Croix Lib. III. P. 2. n. 576. et alii, qui ibi citantur.

[4]) Vide s. Alph. n. 620. Lugo: De just. etc. Disp. XVIII. n. 76. et sq. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 218. Laymann: Lib. III. Tr. 2. c. 4. n. 2.

[5]) S. Alph. n. 570. et n. 600.

[6]) Lugo. Holzmann, Elbel: De restit. n. 39. Sporer: Tr. IV. c. 2. n. 133. Voit n. 777. etc.

jam adepta est meliorem statum, et ideo, si furi eam redderet, illam in deteriorem statum dejiceret, sicque injuriam irrogaret domino.

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 614—622. — De Lugo: De justitia et jure Disp. XVII. Sect. 2. n. 37. Sect. 3. Disp. XVIII. Sect. 6. Sporer: Theol. mor. P. IV. Tract. IV. Sect. 4. Carrière: De justitia et jure Tom. III. s. 1062—1086. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze oder von der Restitution §. 52. S. 553—562. Gury: Compend. Theol. mor. Tom. I. n. 645—651. Pruner: Restitutive Gerechtigkeit. §. 9.

Casus.

6. — *Casparus tres modios frumenti furatus est, unumque seminavit in agro suo cum magna fructuum copia subsecuta. Ova aliena supposuit gallinae suae, unde pullos percepit.*

Sylvester 5 florenos domino clam ablatos elocavit in loteria, et sorte sibi favente lucratus est 500 florenos. Alias fraudulenter a domino obtinuit 100 florenos, e quibus amico suo mutuatis lucrum 6 florenorum percepit.

Melchior ante tres annos iniqua causa agrum occupavit, e quo uberes fructus percepit.

Quaeritur: An et quomodo isti teneantur ad restitutionem?

Resp. ad 1. Casparus tenetur tantum ad simile frumentum vel ejus pretium, ita tamen, ut dominus omnino servetur indemnis, si forsitan majori pretio debuerit aliud frumentum emere; quia frumentum non fructificat, nisi ex virtute agri excitatum. Item ad ovorum valorem tantum restituendum tenetur. [1])

Resp. ad 2. Sylvester quoad primum furtum tenetur tantum 5 florenos domino restituere, quia lucrum subinde e loteria perceptum fructus industrialis censeri debet. Quoad alterum certo 100 florenos, utpote injuste acceptos, reddere debet, quod vero attinet lucrum e contractu mutui perceptum, tunc tantum tenetur illud restituere, si constet vel merito praesumatur, quod dominus idem lucrum fuerit percepturus, ut constat ex Princ. I.; secus vero in alia hypothesi, quia pecunia per se est res sterilis. [2])

Resp. ad 3. Melchior obligatur ad restituendum agrum et omne emolumentum ex eo perceptum, deductis tamen expensis, quas fecit ad agrum colendum. *Princ. 1.*

7. — *Fabianus jam ante triennium a Sebastiano voluit emere equum 60 florenis; verum quia eum pro hoc pretio obtinere non potuit, tandem clam eundem abstulit, moxque cuidam Judaeo vendidit 80 florenis. Haud multo post conscientiae stimulis agitatus voluit contractum rescindere animo restituendi equum domino, Judaeus vero responderat, equum jam periisse. Hinc dubitat Fabianus: An vel quantum restituere teneatur Sebastiano?*

Resp. Tenetur restituere equi valorem, quo domino valuisset, ita ut non satisfaciat restituendo 60 florenos, quos dare voluit, vel 80, quos ipse a Judaeo obtinuit: sed tenetur tantum rependere, quantum juxta prudentum existimationem dominus accepisset, ita, ut si dominus eum vendidisset summo pretio e. g. 150, teneatur Fabianus restituere totidem, si vero Sebastianus equum reservasset in hodiernum diem, quo jam decrepitus non valeret nisi 50, satisfaceret restituendo 50 florenos una cum refusione damni emergentis et lucri cessantis. Quamvis enim

---

[1]) La Croix: Lib. III. P. 2. n. 214. Lugo et alii.

[2]) Gury: n. 649.

perierit valor medii temporis, quo equus, cum nondum senuerat, pluris aestimabatur, tamen periit sine culpa furis, eodem modo periturus, si equus apud dominum mansisset; ergo dominus non a culpa vel dilatione furis passus est hoc damnum; ergo satisfacit fur, si restituat equum secundum hunc ultimum valorem, et compenset damnum et lucrum totius temporis. [1]) — Quid autem, si *dubitetur*, ad quodnam tempus, scilicet majoris vel minoris valoris dominus equum suum fuisset servaturus? Tunc *probabilius* coll. n. 3. e. pro ratione dubii secundum judicium prudentum restitutio est facienda, quia pro damno incerto non tantum restituendum, quantum pro damno certo. [2])

Quid dicendum, *si equus, qui*, ut supponitur, *jam periit, etiam apud dominum periisset?* Si equus jam habuisset morbum vel defectum naturalem, quo proin etiam apud dominum occubuisset, vel eodem casu, e. g. incendio apud illum consumptus fuisset, liberatur Fabianus ab onere restitutionis nisi aliquo modo ditior factus fuerit, vel domino damnum emerserit aut lucrum cessaverit, ut constat ex *Princ. II.* n. 4. Secus dicendum foret, si equus interim domino ablatus fuisset culpa alterius e. g. raptoris; nam quemadmodum talis invasor contraheret obligationem restituendi, ita et Fabianus, qui furando eundem praevenit, iniqua sua actione obligationem restituendi in se transtulit. [3])

§. 138.

De possessore dubiae fidei.

1. — Possessor dubiae fidei seu ille, qui dubitat, an res, quam possidet, sit sua, *vel* bona fide rem accepit, et postea ipsi supervenit dubium, an illa sit aliena, *vel* accepit rem cum tali dubio. Hinc sint duo

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Si dubium supervenerit possessioni bona fide inceptae, possessor tenetur inquirere diligenter, ut dubium deponat. Si facta diligenti inquisitione adhuc dubium perseveret, rem sibi retinere potest, juxta principium tritum: *In pari causa seu in dubio melior est conditio possidentis.* Ita s. Alphonsus [4]) cum Lugo, [5]) La Croix [6]) et aliis communiter.

Quodsi culpabiliter neglexerit inquirere, et ideo non possit postea veritatem invenire: tenetur pauperibus restituere pro ratione

---

[1]) Elbel: De restitut. Confer. III. n. 76. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 233. cum Lugo et aliis.

[2]) Contradicunt nonnulli, quia dominus potuisset illo majori pretio vendere. Sed hoc retorqueri potest, quia dominus potuisset etiam non vendere; ergo nihil ob eam causam restitui debet; vel certo fatendum, posse vendere, non tanti aestimari, quam vendere. Lugo: De just. etc. Disp. XVIII. Sect. 6. n. 133.

[3]) Elbel: De Restit. Confer. VI. n. 77. Lugo: Disp. XVIII. Sect. 6. n. 142. Lessius, Sporer et alii cum s. Alphons. n. 620.

[4]) Lib. 1. n. 35. *Sed hic.*

[5]) De just. etc. Disp. XVII. Sect. 4. n. 86. et sq.

[6]) Lib. III. P. 2. n. 563.

spei, quam dominus habere potuisset, rem suam recuperandi. Ita Lugo [1]) La Croix [2]) et alii cum s. Alphonso. [3]) Generatim spes illa pretii medietatem non attingit, sed est multo minoris valoris, ut s. Alphonsus recte arbitratur.

3. — **Principium II.** Si dubium praecesserit possessionem, distinguendum est:

1. Qui in dubio abstulit rem ab illo, qui erat dominus, vel bona fide eam possidebat, tenetur postea, si dubium perseveret, rem totam restituere priori possessori; quia in dubio melior est conditio possidentis. [4])

2. Qui cum dubio rem ab alio accepit titulo emptionis vel donationis etc., tenetur postea diligenter inquirere; et si post diligens examen adhuc perseveret dubium, restituere debet plus minusve pro qualitate dubii probabili domino vel pauperibus, si dominus plane ignotus sit. Ratio est, quia ex una parte illi non favet possessio incepta cum dubia fide, et ideo nequit rem sibi totam retinere, ex altera parte non videtur aequum, eum obligare ad totum restituendem, cum dubium sit, an res sit aliena. Ita s. Alphonsus, [5]) Lugo [6]) et alii.

Unde infertur, quid sentiendum sit de artificibus et mercatoribus, qui emunt ab iis, de quibus valde dubitant, an vendant sua vel aliena; illi enim emunt mala fide, vel saltem dubia fide; atque ideo semper tenebuntur restituere totum vel partem, si rationes sint vehementes ad judicandum rem esse furtivam. [7])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. I. (de conscientia) n. 35. *Sed hic.* — n. 37. Lib. IV. n. 625. — Lessius: De justitia ceterisque virtutibus card. Lib. II. cap. 14. Dub. 4. De Lugo: De justitia et jure Disp. XVII. Sect. 4. La Croix: Theologia moralis Lib. III. Par. 2. c. 552—570. Carrière: De justitia et jure Tom. III. n. 1087—1102. Gury: Compendium Theologiae moralis Tom. I. n, 652—656.

Casus.

4. — *Gregorius bona fide accepit patinam argenteam sibi donatam, postea autem dubitare incipit de legitimo titulo possessionis, ideo sciscitatur, an patinam tuta conscientia possit ritinere.*

[1]) Disp. XVII. Sect. 4. n. 84.
[2]) l. c. n. 564.
[3]) Lib. I. n. 37.
[4]) Lugo: Disp. XVII. Sect. 4. n. 80. Lessius: De justitia etc. Lib. II. c. 14. Dub. 4. n. 25.
[5]) Lib. IV. n. 625.
[6]) l. c. n. 81.
[7]) Lugo l. c.

Georgius surripuit Croeso, haeredi universali, 100 florenos, quia probabiliter existimabat, eos sibi a testatore fuisse donatos.

Grachus bona fide emit equum, sed paulo post dubitare incipit, an non sit furto subductus, cum pretio nimis vili ipsi fuerit oblatus; attamen ob metum, tam equum quam pecuniam amittendi, si equus forte esset alienus, inquirere negligit, ac postea veritatem comperire nequit.

Caecilia sacharum aliasque similes res a mercatore emens majoris valoris numisma ei dedit, a quo mercator summam sibi pro mercibus venditis debitam subtrahere et reliquam pecuniam ancillae reddere debuit. Visum autem est Caeciliae, se plus debito a mercatore recepisse; tacuit tamen, et pecuniam istam cum alia in marsupio miscuit, ita, ut nesciat, utrum revera plus debito acceperit necne.

Quaeritur: Quid juris in dubiis propositis?

Resp. ad 1. Si facta diligenti inquisitione dubium perseveret, Gregorius patinam retinere potest coll. *Pr. I. n. 2.*

Resp. ad 2. Georgius 100 florenos Croeso restituere debet, ut colligitur ex *Princ. II*, n. 3.

Resp. ad 3. Pretium vile non semper gravis est dubitandi ratio de legitima possessione rei, quam quis vendere cupit. Cf. §. 115. n. 8. Supposito autem, quod ex peculiaribus circumstantiis dubium fundatum desuper obvenerit Gracho, tantum modo tenetur restituere, quantum valebat spes domini, equum recuperandi, videlicet multo minus quam medietatem pretii.

Resp. ad 4. Caecilia, si nequeat comperire, utrum plus justo acceperit a mercatore, ad nihil videtur esse obligata. Agitur enim in hoc casu de dubio, num ancilla debitum contraxerit, cum nesciat, utrum acceperit superfluum. Ubi autem debitum dubium est, obligatio aliquid solvendi non existit.

B.
De injusta damnificatione.

§. 139.

Obligatio damni reparandi.

1. — Injustus damnificator ab injusto possessore rei alienae in eo differt, quod ille ex injusta sua actione nihil emolumenti accipit, ut e. g. si quis alterius domum incendit, e contra injustus possessor aliquid commodi percipit, ut e. g. e furto rei alienae.

PRINCIPIA GENERALIA.

2. — **Principium I.** Injustus damnificator restituere tenetur 1. pretium aequivalens rei damnificatae, ut e. g. qui domum alterius culpabiliter incendit, totum ejusdem pretium domino refundere debet; 2. pretium aequivalens aliorum damnorum, quae inde provenerunt, ut e. g. ex incendiarii crimine. Ratio est, quia justitia commutativa postulat, ut dominus laesus omnino indemnis fiat. Hoc autem non efficitur, nisi id omne praestetur, quod indicavimus.

3. — **Principium II.** Ut ex actione damnificante obligatio restitutionis exurgat, requiruntur sequentes conditiones:

1. Actio debet esse *injusta* seu justitiae commutativae opposita, juxta dicta supra §. 95. n. 1. 2. Actio debet esse *causa efficax damni* seu requiritur, ut damnum ex actione non per accidens, sed tamquam ex sua propria causa sequatur, secus enim damnum agenti non posset imputari. Nec sufficit, quod damnum intenditur; sed requiritur, ut damnum revera sequatur. [1])

Hinc non tenetur ad restitutionem, qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, etsi praeviderit pravi exempli tristes eventus; quia exemplum non est causa efficax damni, sed mera occasio causae efficacis; ex se igitur alii damnificatores determinantur ad damnum inferendum. [2]) Cf. §. 132. n. 5.

3. Actio debet esse *theologice culpabilis.* Duplex enim culpa distinguitur: theologica et juridica. Culpa *theologica* ea dicitur, quae a Theologis in foro conscientiae spectatur, et verum constituit peccatum formale, sive mortale sive veniale. Culpa *juridica* est omissio diligentiae, ex qua damnum proximo sequitur, et quam jura imputant. [3]) Haec per se subsistere potest sine culpa theologica.

Requiritur autem ad obligationem restitutionis *culpa theologica* seu injuria formalis i. e. voluntas nocendi saltem indirecta, seu praevisio damni injusti saltem in confuso; quia dari nequit obligatio in foro conscientiae, nisi in eodem foro injuria fuerit commissa. [4])

Nulla extat obligatio restituendi ex *culpa mere juridica,* nisi a) post judicis sententiam, dummodo haec non innitatur in falsa facti praesumptione, cf. Lib. I. §. 59. n. 2, et b) casu, quo quis se voluerit obligare ad damnum reparandum sola culpa juridica subsecutum. Ita communissime. [5])

Hinc a) commodatarius, depositarius, locatarius non tenentur ad restitutionem, si res detentae absque culpa sua theologica pereant, nisi speciale pactum explicitum vel implicitum intercesserit. [6])

b) Si nulla intervenit culpa theologica, non est obligatio reparandi damna, quae quis causat in officio implendo, seu in quasi contractu servando, ut e. g. medicus, chirurgus, advocatus, tutor. Ratio est, quia admittentes ejusmodi officium vel curam non intendunt sic se obligare, nec aliunde tam rigorosa obligatio probari potest. [1])

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 561. 620. 556. 584.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. n. 537. Lib. II. n. 45.

[3]) Vide C. A. §. 1294. — Culpa juridica dividi solet in *latam, levem* et *levissimam,* ut videri potest penes s. Alph. n. 549.

[4]) S. Alph. n. 550. 551. 629. H. A. n. 39. et 41.

[5]) Vide s. Alph. n. 554. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 175. et 176.

[6]) C. A. §§. 964. 1316. 1317.

Ex principiis praepositis derivantur regulae sequentes, quae spectant casus notabiliores in praxi occurrentes.

REGULAE SPECIALES.

4. — **Regula I.** Qui inculpabiliter causam damni posuit, sed postea damnum, quod impedire potuit, non impedivit, ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia quilibet ex justitia tenetur impedire, ne ex sua actione proximus laedatur, ergo tenetur etiam impedire, ne damnum ex actione sua secutum perseveret. Et ideo, qui illud non impedit, injuriam damnosam et formalem proximo infert, et eo ipso ad restitutionem obligatur. Ita communiter. [2])

Hinc a) qui inculpabiliter domum alienam incendit, ex justitia tenetur flammam erumpentem extinguere, si possit; b) pharmacopola, qui pro medicamento salubri ex errore noxium dedit, ex justitia tenetur retractare; c) qui ex errore aliquid grave contra famam proximi dixit, tenetur postea errorem cognitum corrigere; d) qui inculpabiliter consilium noxium dedit, tenetur postea consilium revocare. Et ni faciant isti, peccant graviter, et tenentur ad reparanda damna, quae inde provenerunt.

5. — **Regula II.** Qui culpabiliter causam damni posuit, et postea damnum impedire conatus est, sed frustra, ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia est causa efficax damni, siquidem pergit influere in illud per actionem, quam culpabiliter posuit. Ita communiter. [3])

Hinc a) qui culpabiliter subjecit ignem domui alienae et facti poenitens flammas extinguere conatus est, quin tamen potuisset, damna praecognita reparare debet; b) qui voluntarie venenum alteri propinavit, et postmodum ejus effectum, etsi vellet, impedire non potuit, damna ex homicidio provenientia resarcire tenetur.

6. — **Regula III.** Qui vacat operi illicito vel simul injusto, ex quo damnum alterius per accidens sequitur, non tenetur ad resti-

[1]) S. Alph. n. 555. — Sed posset aliquis per speciale pactum se obligare ad reparandum damnum ex quacunque culpa juridica etiam levissima, imo et casu fortuito datum. LaCroix: Lib. III. P. 2. n. 184.

[2]) S. Alph. n. 564. Gury n. 662. q. 3.

[3]) Gury n. 663. q. 4.

tutionem. Ratio est, quia deest culpa theologica, cum damnum illud non intentum, nec in confuso quidem fuerit praevisum. Ita communiter. [1])

Hinc ad restitutionem non tenetur a) qui venationi prohibitae vacans pro fera, quam petebat, hominem, quem minime videbat, sclopeto occidit; b) qui nocte in officina pannum furari intendens, lumen accendit, et casu inopinato officinam incendit; vel noctu volens cum lumine accenso ingredi domum Caji ad furandum, casu accendit horreum Titii; quia damna non intendit, nec praevidit.

7. — **Regula IV.** Non tenetur nocens ad reparandum damnum obveniens innocenti, cui crimen imputatur; nisi tales fuerint circumstantiae, ex quibus suspicio gravis necessario in innocentem cadere debuisset. Ratio est, quia in hac suppositione actio injusta, quam posuit nocens, non est causa efficax damni, quod innocenti evenit, cum illud non ex actione *per se,* sed *per accidens,* seu ex errore et temerario judicio aliorum proveniat. Sic s. Alphonsus [2]) cum aliis. Hinc e. g. si Petrus homicidium commisit, quod Paulo imputatur, Petrus erga Paulum ad nihil tenetur, nisi tales fuerint circumstantiae, quae proxime causent imputationem, ut si Petrus ad homicidium patrandum usus fuisset armis Pauli, vel ejusdem vestibus indutus fuisset.

Idem dicendum, saltem *probabilius*, licet nocens *intenderit*, ut crimen suum innocenti imputetur, quia actio, quae per se non est causa efficax damni, talis non efficitur ex prava intentione. Graviter autem peccavit contra charitatem, imo et contra justitiam, sed tantum affective. S. Alph., [3]) Lacroix [4]) et alii contra Lugo [5]) et alios.

8. — **Regula V.** Qui impedivit proximum a consecutione alicujus boni vel beneficii, tenetur ad restitutionem: 1. si proximus jus strictum habet ad illud consequendum, e. g. in casu concursus; vel 2. si mediis injustis e. g. vi, fraude, calumniis, proximum impedivit, licet is jus strictum ad illam rem non habuerit; quia quisque jure gaudet, ne malis artibus impediatur a consecutione boni, quo non est positive indignus. Et tunc restitutio fieri debet pro modo spei,

---

[1]) S. Alph. H. A. Tr. X. n. 39. Lugo: De just. etc. Disp. VIII. n. 72. et 82. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 165. et sq. Lessius et alii.

[2]) Th. m. Lib. IV. n. 635.

[3]) H. A. Tr. X. n. 88. Th. m. Lib. IV. n. 636.

[4]) Th. m. Lib. III. P. 2. n. 156.

[5]) De just. etc. Disp. VIII. n. 75.

quam proximus habuit, illud bonum consequendi. Ita s. Alphons. [1]) et alii communissime.

Qui mala voluntate e. g. odio, seclusis tamen malis artibus proximum impedivit a consecutione boni, ad quod jus strictum non habebat, *probabilius*, secundum s. Alphonsum [2]) aliosque communissime non tenetur ad restitutionem, quia talis actio non est *effective* injusta. Vid. sup. n. 3. Princ. II. Malevolus autem iste peccavit contra charitatem. [3])

Hinc a) non tenetur ad restitutionem, qui sine vi, fraude et dolo impedivit testatorem, quominus relinquat alicui haereditatem, qui nullum ad eandem jus habet; nec b) tenetur ad restitutionem, qui episcopo etiam determinato ad conferendum beneficium digniori, suadet ex odio, ut illud conferat minus digno, extra casum concursus. [4]) Vide supra §. 95. n. 3.

9. — Sed quaeritur 1. *An ad damnum reparandum teneatur ille, qui alicui ex errore intulit damnum, dum alteri illud inferre intendit, e. g. si incenderit domum Caji sui amici, quam putavit esse domum Titii inimici sui?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis: 1. Una affirmat, quia in hoc casu omnes adsunt conditiones requisitae ad restitutionem urgendam, scilicet, actio injusta, causa efficax damni et theologice culpabilis. Sic Bonacina, Sanchez, Busenbaum, et alii. [5]) — 2. Altera negat, quia actio in praedicto casu non est voluntarie seu formaliter injusta erga alterum, qui laeditur, cum accidat praeter intentionem. Sicut igitur non est obligatio restituendi respectu Titii, cujus domum incendere voluit, quia de facto is non est laesus: ita nec obligatio est restitutionis respectu Caji, cujus domum ex errore incendit, quia istius respectu actio est prorsus involuntaria. Hanc sententiam tenent Tamburinus, Molina, Sporer, Lugo, La Croix et alii, [6]) quibus accedere videtur s. Alphonsus. [7])

Quaeritur 2. *An teneatur ad restitutionem, qui dubitat, an damnum evenerit ex sua actione?*

Resp. 1. In dubio, an damnum sit revera illatum, ad nihil tenetur. Constat ex principio: *Factum non praesumitur, sed probari*

---

[1]) H. A. Tr. X. n. 61. Th. m. Lib. IV. n. 587.

[2]) H. A. n. 63. Th. m. 584.

[3]) H. A. l. c.

[4]) S. Alph.: Th. m. n. 585.

[5]) Apud La Croix: Lib. III. P. 2. n. 200.

[6]) Qui citantur a s. Alphonso n. 629.

[7]) l. c. et H. A. Tr. X. n. 84.

debet. Ita communiter, teste s. Alphonso. [1]) — 2. In dubio, utrum ipse inter plures, qui actionem damnificativam posuerunt, damnum intulerit, duplex datur sententia. a) Alii *probabiliter* affirmant, quia cum actio erat de se apta ad damnum inferendum, in dubio praesumitur, illam fuisse causam damni. b) Alii *probabilius* negant, quia nemo tenetur ad damnum reparandum, nisi moraliter certo constet, ipsum fuisse causam efficacem damni, nec semper actio apta ad damnum alicui irrogandum revera est causa damni. [2]) Hinc si duo adulteri dubitent, cujusnam sit proles enata, probabilius neuter tenetur ad damni compensationem; et idem dicendum, si quis dubitet, an ipsius consilium, vel mandatum, vel consensus, vel palpatio etc. fuerit causa damni. [3])

Quaeritur 3. *Ad quid teneatur ille, qui damnum quidem grave intulit, sed ex culpa levi v. g. qui ex defectu advertentiae subita ira correptus hominem occidit?*

Resp. Duplex datur sententia. Videlicet 1. sententia prima negat, illum ad aliquid teneri. Etenim obligari non potest, neque sub gravi, neque sub levi; a) non sub gravi, quia gravis obligatio cum levi culpa proportionem non habet; b) neque sub levi, quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi. Ita cum Lugo et aliis s. Alphonsus [4]) qui hanc sententiam vocat *probabiliorem.* — 2. Sententia altera affirmat, illum teneri ad restitutionem, ejusdem tamen auctores in duas partes abeunt. Alii dicunt, tunc esse obligationem restituendi totum damnum. Alii autem melius tradunt, esse obligationem restituendi pro ratione culpae, quia obligatio restituendi sequitur tamquam poena damnificationem effectam secundum proportionem culpae; ergo si culpa est venialis, obligatio reparandi etiam erit venialis, non ad totum, sed ad partem judicio prudentum determinandam. [5])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 549—556. n. 582—588. n. 613. 629. 635. et 636. n. 658. — Sporer: Theol. mor. P. IV. cap. II. Sect. 5. Carrière: De just. et jure Tom. III. n. 1104—1161. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze §§. 6—17. S. 46—108. Olmütz 1851. Gury: Comp. Theol. mor. P. I. n. 657—672.

---

[1]) Th. m. Lib. IV. n. 562.
[2]) Alph. n. 658. et 562.
[3]) Idem n. 562.
[4]) n. 552.
[5]) Videri potest La Croix: Lib. III. P. 2. n. 191. et 192. qui multis hanc sententiam propugnat, et Elbel: De restit. Confer. III. n. 88. et 89.

Casus.

10. — *Petronius cum cane suo mansueto deambulavit per montium cacumina, ubi cum essent plures oves, canis eas deterruit, ita, ut praecipites ruerent de vertice montium.*

Damianus caupo cerevisiam, carnes aliaque victualia hospitibus vendere consuevit minori pretio, quam alii caupones, idque eo fine, ut plures sibi attraheret hospites. Cum vero advertat, hoc cedere in aliorum cauponum detrimentum, quippe quorum commercium notabiliter propterea diminuitur; hinc dubitat, et quaerit, an tuta conscientia id facere possit?

Resp. ad 1. *Neg.*, supposito, quod Petronius, quantum in se erat, fecerat, ut canem compesceret; deficit enim in proposito omnis omnino culpa ad obligationem damni reparandi requisita.

Resp. ad 2. *Per se loquendo* non peccavit *contra justitiam*, a) quia sine injuria aliorum cauponum Damianus posset res suas hospitibus omnino gratis donare: quidni igitur easdem minori pretio, quam alii, vendere? Deinde b) utitur jure suo, qui lucrum suum mediis licitis quaerit; porro minori pretio merces vendere, de se non est illicitum medium. Denique c) alii caupones nequeunt jure quopiam praetendere, ut hospites suum potius, quam Damiani diversorium frequentent. Ergo Damianus hoc agendi modo non peccavit contra justitiam. Unde sequitur, eum nec ad damna aliis cauponibus reparanda obligari. Sed nec *contra charitatem* deliquit, quae quippe eum non obligat, ut bono aliorum cauponum consulat cum suo notabili detrimento, quale esset carentia lucri ex concursu hospitum adipiscendi.

Dixi: *per se loquendo;* etenim peccaret contra justitiam, si insciis hospitibus pondus vel mensuram corrumperet, quo casu teneretur ad restitutionem, ut patet. Peccaret contra charitatem, si ex odio erga alios caupones ageret.

11. — *Antonius nonnullas arbusculas in horto alieno recidit. Porro segetes inimici sui malevole destruxit. Hinc quaeritur, ad quid teneatur?*

Resp. Antonius non satisfacit, si restituat nudum pretium, quod in praesentia valent arbusculae recisae, sed restituere debet omne damnum emergens et lucrum cessans domino ex arbusculis destructis, coll. n. 2. Pr. I. Cumque dominus sperare potuisset, fore, ut arbusculae post nonnullos annos plus valerent, atque, — si frugiferae fuerint — fructus quoque ferrent; idcirco secundum hanc spem aequo prudentique judicio aestimandam restitutio fieri debet, pensatis simul circumstantiis infaustis, quibus postea arbusculae illae interire poterant. [1])

Pari ratione, quod attinet segetum damnificationem, tantum debet restituere, quantum detractis expensis dominus peritorum aestimatione ex agro suo probabiliter collegisset. — Quid, si Antonius restitutionem differat usque ad messem, et interim segetes grandine aliave calamitate fuissent destructae? In hoc casu ad damni compensationem non esset obligatus, coll. §. 137. n. 4.; si vero segetes demessuisset pro animalium suorum pabulo, emolumentum hoc domino refundere teneretur, cum non esset simplex damnificator.

12. — *Eusebius volens sclopeto trajicere capram Albini in horto suo pascentem, ejus loco occidit vitulum Damiani, in dumeto placide jacentem. Ad quid obligandus?*

Resp. Ad nihil tenetur Eusebius, si ignoraverit, vitulum Damiani in dumeto jacere, vel nullatenus praeviderit, damnum illud ex sclopeti explosione sequi posse. Etenim non tenetur ad quidpiam pro capra, quam non occidit, siquidem actio non

---

[1]) Elbel: De restitut. Confer. IV. n. 93. et sq.
[2]) Vid. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze. S. 571.

erat effective injuriosa, nec pro vitulo, quia illius damnum non est theologice culpabile. Recole dicta n. 2. et 6.

13. — *Fabianus famulus domino suo furatus est horologium, quod ob periculum suspicionis in cista Sebastiani, alterius famuli, subdole abscondit. Tum rebus omnibus utriusque famuli a domino disquisitis horologium in cista praedicti famuli innocentis reperitur, qui stante pede ducitur ad judicem et in carcerem detruditur.*

Marcus domum inimici sui incendit, eo quidem eventu, ut vicinae quoque domus comburerentur. Incolis loci de causa et auctore incendii deliberantibus suspectus apparuit quidam mendicus, qui pridie in eodem pago ostiatim eleemosynas colligere visus est. Ideo a nonnullis apprehenditur et judici traditur puniendus.

Quaeritur: An teneantur damna innocentibus obvenientia reparare?

Resp. ad 1. *Aff.*, quia actio Fabiani proxime et per se causat imputationem falsam, sicque est causa efficax damni, quod evenit Sebastiano innocenti. Vide n. 7. *Reg. IV.*

Resp. ad 2. *Neg.*, quia crimen a Marco commissum non est vere causa damni, quod innocenti evenit; siquidem non ex natura actionis, sed ex ignorantia vel malitia incolarum sequitur. Vid. l. c.

C.

De injusta cooperatione.

§. 140.

Praenotanda.

Qui cooperantur ad damnum alterius, tenentur ad restitutionem, si cooperatio fuerit 1. *injusta,* 2. *causa efficax damni,* et 3. *theologice culpabilis,* ut §. 139. n. 2. diximus de injusta damnificatione.

Cooperatio ad damnum proximi novem modis fieri potest, qui sequentibus versiculis continentur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans. [1])

Sex priores causae sunt positivae, tres posteriores negativae. De singulis seorsim tractandum est.

§. 141.

De mandante.

1. — *Mandantis seu jubentis nomine venit ille, qui alterum inducit, ut suo nomine damnum inferat proximo.* Dupliciter autem potest inducere, *expresse* et *tacite,* dicto nimirum vel facto, quo dominus famulo significat, sibi gratum fore, si damnum inferat. [2])

---

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 62. a. 7.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. n. 558. Sic historia refert, mortem s. Thomae Cantuariensis contigisse motore Henrico II. Angliae rege, qui saepius conquerebatur, se in suo regno cum uno sacerdote pacem habere non posse; ex qua regis voce satellites sperantes, gratum se regi facturos,

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Mandans tenetur ad reparandum damnum, ex vi mandati proximo illatum. Ratio est, quia est causa efficax damni; qui enim facit per alium, per se facere censetur.

Hinc mandans non tenetur de damnis, quae mandatarius *ultra* mandatum intulit. Excipe tamen, si non fuerit in potestate mandatarii, fines mandati servare. Hinc Bonifacius VIII. irregularem declaravit, qui mandat verberationem, *si mandatarius fines mandati dati excedens mutilet vel occidat.* C. ult. de Homic. in 6.

Nec mandans tenetur de damnis, quae mandatarius ex *errore evitabili* intulit alteri, ut e. g. si jussus occidere Petrum, occidit Paulum; quia vera causa damni est error mandatarii. Confirmatur ex aliqua declaratione S. C. anno 1587., qua significatum est, quod mandans occisionem Petri non incurrit irregularitatem, si mandatarius errans occidat Paulum. [1])

3. — **Principium II.** Mandans de damnis, quae mandatario in mandati executione obveniunt, tenetur eo casu, quo illum per fraudem, vim vel gravem metum adegit, et damna secutura saltem in confuso praevidit, quia tunc est causa damnorum, quae ille perpessus est. Secus *probabiliter,* si mandatarius sponte vel mercede conductus, in se suscepisse videtur. [2])

4. — **Principium III.** Non tenetur ad restitutionem mandans, si revocaverit mandatum, idque mandatario innotuerit, antequam damnum fuerit illatum, quia per revocationem extinguitur mandatum, unde si mandatarius damnum inferat, id proprio nomine propriaque voluntate agere dicendus erit. [3])

* De Lugo: De justitia et jure Disp. XIX. Sect. 2. §. I. Sporer Theol. mor. P. IV. Tract. IV. cap. 3. §. II. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. I. cap. 1. a. 1. N. II. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze §. 19. S. 115—123.

Casus.

5. — *Sylvius odio in Rogerium ductus duos modios hordei noctu illi jubet duos famulos suos furari, qui tamen tres surripuerunt, unumque sibi retinuerunt. Ast non defuit ipsis sors infausta; etenim unus in actu furti a cane valido Rogeri*

---

si Thomam e medio tollerent, sanctum hunc episcopum occiderunt. Offic. divin. die festo s. Thomae. Lect. 5. et 6.

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 628.

[2]) La Croix: Lib. III. P. 2. n. 24. Gousset n. 950. Stapf §. 457. n. 4. Scavini, Gury, Kutschker op. c. p. 121.

[3]) S. Alph. n. 558. Lessius et alii.

graviter morsus est, ita ut expensas pro remediis facere debuerit; alter redux in foveam lapsus est et manum dexteram fregit.

Mysius mandavit famulo suo, ut succideret arbusculas in praedio Pauli, famulus autem ex errore destruxit arbusculas Paulini.

Sylverius misit famulum ad ovem Ditmaro furandam dono ipsi promisso. Mox autem mandati poenitens idem per nuntium revocavit, sed frustra. Famulus enim ad accipiendum donum promissum, furtum perpetravit, donumque a Silverio postulavit fingens se revocationem ante factum non percepisse.

Quaeritur: Quid de obligatione restituendi censendum in casibus propositis?

Resp. ad 1. Sylvius tenetur ad duos modios hordei restituendos; excessus autem mandati famulis imputandus et ab eisdem restituendus est, ut patet ex dictis n. 2. Pr. I. Idem porro tenetur reparare damnum, quod evenit famulo e vulneratione, quia hujusmodi damnum facile praevidere poterat; ad nihil autem tenetur in alium famulum, cujus damnum praevideri non poterat. Cf. Pr. II.

Resp. ad 2. Disting., vel famulus errorem cavere poterat, vel non. Si primum, Mysius obligationi restitutionis obnoxius non est, si alterum, damnum compensare tenetur, cum error ipsi, ut mandanti, imputari debeat. Vid. n. 2.

Resp. ad 3. Silverius ad nihil tenetur, quia tempestive mandatum retractavit, et famulus revocationis conscius mala voluntate ad furtum perrexit.

Quid autem, si revocatio mandati per errorem a famulo judicata est non fuisse seria; aut si judicata est seria, sed mandatarius postea invincibiliter illius immemor damnum executus est? — In omnibus hisce mandans tenetur ad restitutionem, quia tunc adhuc damnum vere sequitur ex injusta actione praeterita mandantis. [1])

§. 142.

De consulente.

1. — *Consulens dicitur, qui suasione, hortatu, precibus, blanditiis alium movet ad damnum proximo inferendum.*

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Consulens tenetur ad restitutionem, si sciens et volens alteri praebet consilium injustum, quod est causa efficax damni. Constat ex dictis §. 140., et confirmatur ex prop. 39. ab Innocentio XI. damnata.

Hinc 1. consulens ad nihil tenetur, si damni executor jam erat determinatus ad damnificationem. Secus vero, si executor etiam a consilio motus fuerit, quia tunc consulens est efficax concausa damni. [2]) In dubio, an consilium fuerit causa damni, consulens *probabilius* ad nil tenetur coll. §. 139. n. 9. q. 2.

2. Qui alteri jam determinato ad damnum proximo inferendum, suasit tantum *modum*, ad restitutionem non tenetur, quando modus

[1]) Lugo: Disp. XIX. Sect. 2. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 25.

[2]) S. Alph.: Lib. n. 561.

est duntaxat accidentalis, ut sunt communiter circumstantiae temporis, loci et medii. Contrarium autem dicendum, si modus aliquatenus redundet in substantiam, e. g. si damnum augeat. [1])

3. Consulens, ut damnum *citius* inferatur, ad restitutionem non tenetur, si certus sit, alterum jam determinatum esse ad malum, suumque propositum non esse immutaturum. Secus in alia hypothesi. [2])

4. Qui suasit alicui *minus malum* ad majus malum avertendum, ad restituendum quidpiam non obligatur, modo damnum sit circa eandem personam, cui quidem consilium favet ideoque gratum esse debet. Hoc autem non valet, si suaserit damnum (licet minus) alteri cuidam inferendum, quia tale consilium est causa damni alterius. [3])

3. — **Principium II.** Qui *ex ignorantia graviter culpabili* consilium dat nocivum, tenetur ad reparandum damnum inde secutum, si agat ex suo statu vel officio, v. c. confessarius, advocatus, medicus, et existimetur peritus; quia tunc vere decipit. Secus vero, si noscatur esse ignarus et imperitus, nisi dolo et fallacia utatur; quia tunc damnum imputandum ei, qui imprudenter sequitur ejus consilium. Ita communiter. [4])

Qui ex *ignorantia inculpabili* dedit consilium damnosum, cognita veritate, illud retractare tenetur, et quidem ex justitia, si potest sine magno incommodo. Et ni revocet consilium datum, postmodum tenetur de damno, quod exinde provenit. Vid. §. 139. n. 4.

4. — Sed quaeritur, *an teneatur ad restitutionem consulens, qui consilium suum revocat ante damni executionem?*

Resp. 1. *Neg.*, si consilium fuerit, *nudum*, seu simplex, nullo motivo fundatum, quia per revocationem tollitur consilii influxus. Ita communiter.

2. *Controvertitur*, si consilium fuerit *qualificatum*, seu motivis fundatum. a) Alii *aff.*, quia licet consilium sit revocatum, motivum tamen semper pergit influere. Sicut enim, qui ignem domui applicavit, tenetur ad damnum, etiamsi postea dolens conatus fuerit ignem extinguere, ita et consulens. Haec sententia s. Alphonso [5])

[1]) Idem n. 563.

[2]) Idem n. 563.

[3]) S. Alph. H. A. Tr. X. n. 47. Th. m. n. 565. Lessius, Bonacina, Elbel: De restit. Conf. VI. n. 144. et alii.

[4]) Vide s. Alph. n. 564. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze. S. 127. u. f.

[5]) Lib. IV. n. 559. cum Lugo: Disp. XIX. Sect. 2. n. 37. Lessio, Bonacina etc.

videtur probabilior. — b) Alii *neg.*, modo in retractatione adhibita fuerint motiva saltem aeque efficacia, motiva inprimis a fide petita. Nec obstat, ut dicunt, paritas ignis allata, quia ignis necessario operatur, non item consilium; atque ideo, si post consilii revocationem motivis religionis subnixam alter damnum infert, id non consulenti, sed exequentis malitiae et perversitati imputandum venit. Hanc sententiam s. Alphonsus [1]) satis probabilem vocat. — Cum itaque obligatio restituendi non satis liqueat, excusandus erit consulens a restitutione facienda.

Subjungit s. Alphonsus, quod consulens si nequeat alterum ab injusto proposito avertere, ex justitia tenetur illum, cui damnum imminet, monere ut sibi caveat.

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 559—565. Lugo: De justitia et jure Disp. XIX. Sect. II. §. 2. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze §. 20. Scavini: Theolog. moralis universa Tom. II. Tract VII. Disp. 1. c. 1. a. 1. N. II. Gury: Compendium Theologiae moralis Tom. I. n. 676—680. Gousset: Moraltheologie zum Gebrauche der Pfarrer und Beichtväter 1. B. n. 952—955. Aachen 1851.

Casus.

5. — *Curtius statuit tres arbusculas, quibus indiget, in silva aliena caedere. Haesitanti, ubinam furtum exequatur, Antonius suadet, ut in silva Georgii id efficiat.*

Alias idem Antonius alicui volenti 20 florenos furari, consulit, ut 40 florenos surripiat, cum eadem opera sit, majorem summam vel minorem auferre.

Rusticus quidam, cum in caupona vehemens disceptatio inter ejusdem conditionis viros non paucos de contractus cujusdam justitia fieret, codicem civilem cunctis stupentibus interpretatur, justumque esse hujusmodi contractum alto turgidus fastu dictitat. Nec sermonis defuit effectus. Unus enim eorum verbis doctrinalibus oratoris confidens contractum celebravit; — ast miserrimo eventu, damnum enim valde grave perpessus est, propriaque experientia contractus injustitiam edoctus est.

Quaeritur: An consulentes in praepositis casibus teneantur ad restitutionem?

Resp. ad 1. *Aff.*, quia Antonius fuit causa efficax damni, quod Curtius intulit Georgio.

Resp. ad 2. Antonius tenetur ad 20 florenos, quia hujus excessus efficax causa extitit.

Resp. ad 3. Rusticus ad nihil tenetur (quamvis peccaverit praesumptione), cum ejus ignorantia et imperitia nota potuit esse illi, qui contractum inivit; sibi igitur ille damnum imputet, dum imprudenter et leviter executus est consilium doctrinale indocti. Vid. n. 3. Princ. II.

§. 143.

De consentiente, palpone et recursum praebente.

1. — *Consentiens dicitur, qui externa approbatione, suffragio vel sententia cooperatur ad damnum proximi.*

[1]) l. c.

Consentiens ad restitutionem tenetur, si ejus suffragium fuerit *injustum* i. e. violans alterius jus strictum, *causa efficax damni*, et *theologice culpabile*. Constat ex dictis §. 139. n. 2. Qui bona fide suffragium tulit injustum, errore detecto votum, si possit, ex justitia tenetur revocare, ut patescit ex dictis §. 139. n. 9.

Hinc non tenetur ad restitutionem, qui seclusa fraude alium per suffragium suum impedivit a consecutione boni, ad quod nullum jus habet; nec ille, qui ex odio damnum alterius intendit, in quod tamen efficaciter non influxit.

2. — Quaeritur: *An ille teneatur ad restitutionem, qui suo suffragio cum aliis concurrit ad damnum injuste inferendum, e. g. ad electionem injustam?*

Resp. 1. Qui primi suffragia tulerunt, antequam majoritas votorum ad negotii definitionem requisita fuerit completa, certo obligantur ad restituendum in solidum, quia simul sunt causa efficax damni. — 2. Qui majoritate votorum jam completa suffragia injusta dederunt, ab obligatione restituendi excusantur, quia etsi peccaverint contra justitiam, non tamen existunt causa efficax damni, quod quippe jam ab illis, qui ante suffragati sunt, est determinatum. Excipe, si ex condicto seu conspiratione convenerint in conclusum injustum, quia tunc omnium est actio unica moralis; itemque, si suffragati sint secreto, quia tunc ignoratur, quinam prius vel posterius suffragium iniquum tulerit. Ita s. Alphonsus [1]) et alii communiter. [2])

3. — *Palpo dicitur, qui adulando, laudando, vituperando, exprobrando ignaviam, quempiam incitat ad nocendum.* Hic plane iisdem obligationibus obnoxius est ac consulens.

4. — *Receptans seu recursum praestans est ille, qui alteri securitatem, refugium, protectionem praebet ad damnum proximo inferendum.*

Recurrit hic principium continuo repetitum. Videlicet tenetur hic ad restitutionem, quando est *causa efficax damni.* Unde restituere debet, qui furi praebet receptaculum, instrumenta ejus abscondit, res ablatas accipit, quibus fur animatur ad inferenda alia damna injusta, vel saltem ad non restituendum id, quod injuste rapuerat. Item ad

[1]) Lib. IV. n. 566.

[2]) Navarrus, Cajetanus, Lessius, Molina, Vasquez etc. quos citat et sequitur Lugo: Disp. XIX. Sect. 1. n. 17. Item Voit n. 826. Reiffenstuel: Tom. IV. Tract. IX. Disp. 5. n. 49. Reuter: Tom. III. P. 3. Tr. 3. n. 342. Elbel: De restit. Confer. IV. n. 120. Scavini, Gury etc.

restitutionem obstringuntur mercatores et caupones, qui a filiis familias acceptant pecunias aliasve res parentibus surreptas in pretium mercium, compotationum, quia furta fovent. Pari ratione obligationem eandem contrahunt domini non impedientes famulos, qui de ipsorum confidentia furantur. [1]) Tenentur de damnis advocati, qui causis manifeste iniquis patrocinantur. [2])

Excusatur vero ab obligatione restituendi, qui furem domi recipit, non qua furem, sed qua amicum, cognatum etc., dummodo non influat in furta futura. [3]) Idem dicendum de illo, qui ex metu gravis damni furem recipit (e. g. ne domum sibi comburat), praecise animo, damnum evitandi, non autem illi praebendi refugium ad furta continuanda. [4])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 566—568. De Lugo: De justitia et jure Disp. XIX. Sect. II. §§. 3. et 4. Sporer: Theol. mor. P. IV. Tract. IV. cap. 3. Sect. I. §§. 4. 5. et 6. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. I. cap. 1. a. 1. N. III. et IV. Gury: Compendium Theologiae moralis Tom. I. n. 681—685. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze §§. 21. n. 22. S. 136—151.

Casus.

5. — *Hieronymus, ordini senatorio adscriptus, vacante quadam parochia, plane novit, plerosque Senatores propensos esse in electionem sacerdotis ad gerendam animarum curam minus idonei. At cum intellexisset, se negato suffragio minime impedire posse, quominus ille eligeretur, ceteris obsecutus suffragium iniquum exhibuit. Veritus est subinde, an non teneretur cum ceteris damna reparare digniori praetermisso, qui ob casum concursus jus strictum habuit in parochiam?*

Resp. Dist., vel majoritate votorum ad electionem requisita nondum completa, vel jam completa suffragatus est. Si primum, tenetur ad restitutionem, quia efficaciter cooperatus est ad damnum sacerdoti digniori illatum. Si alterum, excusatur a damno compensando, etsi graviter peccaverit, quia non fuit causa efficax damni, nisi inita cum reliquis conspiratione suffragium injustum dederit. Constat ex dictis n. 3. Supponitur, vota successive et publice fuisse exhibita. Si enim secreto simul exhibita fuerint e. g. in schedulis, ita ut ignoretur, quinam priores et posteriores fuerint suffragatores, tunc Hieronymus certo obligatur cum ceteris injuste suffragantibus ad damni compensationem, quia aequaliter cooperati videntur ad injustam electionem.

§. 144.

De participante.

1. — *Participans* duplex esse potest; *alius* in praeda seu re injuste ablata, *alius* in actione injusta et damnosa.

[1]) S. Alph. n. 568.
[2]) S. Thomas. 2. 2. q. 71. a. 3.
[3]) S. Alph. n. 568.
[4]) Lugo: Disp. XIX. Sect. 2. n. 72. Lessius: Lib. II. c. 13. Dub. 3. n. 27. Elbel: De restit. conf. V. n. 139.

Participans in praeda tenetur ad restitutionem eo ipso, quod rem alienam injuste possidet, sed diverso modo, prouti est vel possessor bonae vel possessor malae fidei. Hinc recole dicta de obligationibus utriusque possessoris.

Quod attinet *participationem* seu cooperationem *in actione injusta et damnosa,* praevie notandum est, quod duplici modo contingere potest; formaliter et materialiter. *Cooperatio formalis,* est actio, qua quis positive et intentione saltem implicita influit in malam voluntatem alterius, eam firmando vel augendo. *Cooperatio materialis* est actio per se non mala, qua proximus contra intentionem operantis abutitur ad suam voluntatem malam exequendam. Vide §. 36. n. 1.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Qui *formaliter* cooperatur cum alio in actione damnosa, peccat, et si realiter influxerit ad damnum, quod proximo illatum est, tenetur ad restitutionem. Ratio peccati est, quia cooperatio formalis est intrinsece mala, coll. §. 36. n. 2. Ratio restitutionis, quia cooperatio tunc est causa efficax damni et theologice culpabilis. Ita omnes.

Hinc tenetur, damno secuto, ad restitutionem, qui annuntiat horam ad furandum opportunam, qui latroni vel sicario terga servat, ut securius furetur aut occidat. [1]) Item notarius, qui conficit instrumentum, vi cujus petitur usura, [2]) miles, qui in bello injusto tormenta explodit in hostes.

3. — **Principium II.** Qui *materialiter* tantum cum alio concurrit ad actionem damnosam, excusari potest a peccato et a restitutione, si agat ex causa justa et proportionata et absque ullo damnificandi affectu. Ratio est, quia in talibus circumstantiis cooperatio materialis licita est.

Sed in determinanda illa causa proportionata valde laborant Theologi.

1. Quoad *damnum vitae* communius docent, eum non peccare adeoque non teneri ad restitutionem, qui reddit gladium domino petenti ad alium occidendum, quando non potest illum negare sine periculo mortis sibi intentatae, quia, ut ait s. Alphonsus, [3]) nemo

[1]) S. Alph. Lib. IV. n. 571.
[2]) La Croix: Lib. III. P. 2. n. 39.
[3]) Lib. IV. n. 571. *Secus autem.*

tenetur impedire damnum alterius (etiamsi alter sit in extrema necessitate) cum aequali proprio detrimento.

2. Quoad *damnum in bonis fortunae* valde dissentiunt doctores. Juxta sententiam communiorem excusatur a peccato et restitutione, qui ex metu mortis vel alterius gravis nocumenti per actiones indifferentes concurrit ad damnum alterius e. g. scalam applicando, claves tradendo ad arcam reserandam, tormenta advehendo in bello injusto, intentione quippe propria mala gravissima evadendi, non autem proximo nocendi; tunc enim proximus non potest esse rationabiliter invitus, ideoque cooperans ad peccatum proximo injuriam non facit. [1])

S. Alphonsus distinctius loquens sequentia tradit: „Si tu solum times damnum facultatum, non poteris sine peccato concurrere ad damnum alterius, ut in propriis bonis te serves indemnem, nisi id facias animo compensandi. Si autem times malum superioris ordinis, quam bonorum, nempe mortem aut mutilationem membri vel gravem infamiam; tunc poteris sine peccato, si praeter tuam intentionem facias, cooperari ad damnum alterius; quia tunc dominus tenetur consentire, ut cum jactura suorum bonorum tu vitae aut honori tuo consulas: alias esset irrationabiliter invitus.“ [2])

Casus.

4. — *Anno 1859. mense Septembri triginta quinque latrones in silva quapiam Transsylvaniae mulierem quamdam ejusque maritum ligna colligentes forte offenderunt, eosque illico funibus ligatos jusserunt indicare, quinam in pago vicino (Rakosd dicto) esset ditissimus. Tum conjuges istos ligatos ut viae duces secum traxerunt, et pago praedicto virum ditissimum a conjugibus indicatum bonis spoliarunt.*

Quaeritur: Utrum conjuges deliquerint contra justitiam, et ad damni compensationem obstricti fuerint?

Resp. Si conjugibus non obsequendo latronibus mors esset pertimescenda, et ipsi nonnisi coacti et mortis evitandae causa domum ditissimi viri a latronibus postmodum bonis spoliatam indicaverint, excusabantur ab omni peccato et onere restitutionis. Etenim indicare domum per se est actio indifferens et dominus non poterat esse rationabiliter invitus, cum vita sit bonum superioris ordinis, quam opes, proindeque hisce praeferenda. Adde, quod etiam absque eorum cooperatione vix non damnum evenisset.

[1]) Consuli possunt Sporer: Th. m. Tr. IV. cap. 3. Sect. 1. n. 41. Lessius: De justitia etc. Lib. II. cap. 13. n. 28. — 30. Elbel: De restit. Confer. IV. n. 123. Holzmann: Th. m. de restit. c. 3. n. 443. Voit: P. I. n. 830. Reuter: Th. m. Tom. III. P. 3 n. 341.

[2]) Lib. IV. n. 571., quem sequuntur Scavini Gousset.

§. 145.

De muto, non obstante et non manifestante.

1. — *Mutus* (ante damnificationem), *non obstans* (in damnificatione), *non manifestans*, (post damnificationem) tunc solum tenentur ad restitutionem, quando ex *officio, contractu* vel *quasi contractu* vi stipendii obligantur damnum impedire, et *sine gravi incommodo* damnum avertere potuerunt. Ratio 1[mi] est, quia illi damnum non impediendo jus strictum alterius violant, sicque contra justitiam commutativam delinquunt. [1]) Ratio 2[di] est, quia nec contractus, neque lex, ut plurimum saltem, cum gravi onere obligare solent. [2])

Ceterum omnes ex *charitate* tenentur impedire aliorum damna, quando commode possunt; quod si non faciant, peccant, [3]) sed ad restitutionem non obstringuntur.

2. — Hinc tenentur ad restitutionem 1. magistratus, belli duces, qui culpabili negligentia non impediunt damna a furibus, praedonibus, militibus causata; 2. consiliarii, canonici tacentes et non impedientes injustam electionem; 3. suffragatores, qui vota ferre debent ex officio, et per omissionem votorum injustae sententiae non obstiterunt; secus autem, si jus suffragii habeant ex privilegio, seu mero favore; 4. tutores et administratores bonorum, non impedientes damna pupillis, minoribus, ecclesiis etc. obvenientia; 5. Custodes vinearum, silvarum, agrorum, piscinarum, qui damna imminentia non praecavent vel facta non manifestant; 6. famuli, non impedientes damna illata *ab extraneis*, quia eo ipso, quod famuli in familiam admittuntur, censentur obligationem suscipere, eam adversus extraneos defendendi; non autem tenentur ad compensanda damna ab aliis famulis illata, nisi custodia rerum vel vigilantia super ceteros famulos ipsis demandata sit. [4])

3. — Quod attinet confessarium, qui ex gravi negligentia vel ignorantia omiserit, poenitentem de restitutione facienda monere, communissime tenent Theologi, eum ad restitutionem non teneri; quia vi muneris sui tenetur quidem impedire damna spiritualia

[1]) Ita cum s. Thoma: 2. 2. q. 62. a. 7. Lugo: Disp. XIX. n. 9. Laymann: Th. m. Lib. III. Tr. 2. c. 5. n. 7. Sporer: Tr. IV. cap. 3. Sect. 1. n. 50. et alii communiter.

[2]) Sporer l. c. n. 56. cum Molina Disp. 735. n. 1. et alii communiter.

[3]) C. *sicut dignum, de homicidio* dicit Alexander III. „*Qui hominem potuit liberare a morte, et non liberavit, occidit.*“

[4]) S. Alph. n. 573.

poenitentis, non autem damna temporalia aliorum. [1]) Excipiunt tamen, si poenitens confessarium interroget, an e. g. in tali casu restitutio sit facienda, ejusque silentium vel dissimulationem pro responso negativo habeat; tunc enim censebitur confessarius tacite consulere, adeoque positive cooperari ad damnum tertii. [2])

4. — Qui impedit alium avertere volentem proximi damnum, tenetur restituere: a) si alius ex justitia tenetur illud damnum avertere, vel b) si illum impedit vi aut fraude adhibita. [3])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 572—578. — Lugo: De justitia et jure Disp. XIX. Sect. 3. Sporer: Theologia moralis super Decalogum Tom. II. Tract. IV. cap. 3. Sect. 1. n. 46—62. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. 1. c. 1. a. 1. N. 5. Gury: Compendium Theologiae moralis Tom. I. n. 690—693. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze §. 23. S. 176—189.

Casus.

5. — *Pontianus iter agens per silvam, primo obvium habet Celsum, quem interrogat, an iter per silvam sit tutum? Celsus, quasi ignarus linguae, nihil respondet intendens, ut Pontianus suis spolietur. Deinde Pontiano obviat Odilo, qui pariter interrogatus, an via sit secura? ex odio respondet, nihil esse periculi, etsi ipse vix evaserit celeri equi cursu manus latronum. Pergit Pontianus, et a praedonibus spoliatur equo et 300 florenis. Quaeritur: 1. An Odilo teneatur Pontiano compensare damna? 2. An Celsus fuisset obligatus, si Odilo non obviasset?*

Resp. ad 1. *Aff.*, quia fuit iniqua damnorum causa. Quamvis enim non teneretur ex justitia manifestare praedones, tamen ex justitia tenebatur non inducere Pontianum per mendacium, ut iter prosequeretur, quod fecit asserendo, nullos praedones esse in via. [4])

Resp. ad 2. *Neg.*, qui ut supponitur, non ex contractu, et debito stricto erat obligatus, praemonere Pontianum de damno ipsi imminente. Graviter tamen peccavit contra charitatem, coll. n. 1.

6. — *Fortunatus scit Diomedem occulto odio prosequi Hannibalem ejusque necem moliri. Cum Fortunatum inter et Hannibalem veteres intercesserint inimicitiae, Fortunatus nec admonet Hannibalem, ut sibi caveat, nec studet ejus occisionem impedire, quamvis facile possit. Quaeritur: An nece patrata Fortunatus debeat aliquid restituere?*

Resp. *Neg.*, etsi mortaliter peccaverit contra charitatem. Ratio est, quia ex nullo pacto aut stricto officio Fortunatus vitam Hannibalis defendere tenebatur. [5]) Cf. n. 1. et 2.

7. — *Leonardus furto patrato conspicit in vicino Laurentium, qui ipsum observaverat furantem; hinc perterritus Laurentio offert 15 florenos ex 30 surreptis, si ipsum non manifestet. Annuit Laurentius et acceptat 15 florenos. Ast die jam sequenti conscientiae stimulis agitatus adit furem, cui pecuniam objicit dicens: Recipe, quod*

[1]) Vide s. Alph.: Lib. VI. n. 621.
[2]) Sporer: Tr. IV. c. 3. n. 92. cum Lugo, Suarez etc.
[3]) S. Alph.: H. A. Tr. X. n. 58.
[4]) La Croix: Lib. III. P. 2. n. 47.
[5]) Vide Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze. S. 178. 179.

dedisti: ex furto ditescere nolo. Multo post peragit confessionem sacramentalem, et petit a confessario, quid sibi faciendum?

Resp. Laurentius dupliciter est cooperans, videlicet 1. negative, ut non obstans, non manifestans, et 2. positive, ut participans in praeda.

1. Ut non obstans et non manifestans ad nihil tenetur, nisi ex officio vi stipendii, adeoque ex justitia obligatus fuisset ad obstandum damnificatori vel ad manifestandum damnificatorem domino laeso, ut e. g. si Laurentius esset famulus domini spoliati coll. n. 2.; — quo in casu deberet totam summam, nempe 30 florenos, fure non restituente, domino recompensare.

2. Supposito, quod Laurentius tamquam non obstans et non manifestans immunis sit ab onere restitutionis, alia qualitate, videlicet ut participans in praeda, tenetur ad restitutionem. Accepit a fure 15 florenos e pecunia domino surrepta. Illam igitur partem, quam accepit injuste et mala fide, domino omnino refundere debet, nisi fur restitutionem praestet.

Sed dices 1. Juxta *probabilem* s. Alphonsi sententiam supra §. 137. n. 5. relatam possessor malae fidei rem alienam furi reddere potest; atqui Laurentius 50 florenos reddidit Leonardo furi, a quo eos accepit; ergo ad nihil tenetur.

Resp. Hoc juxta s. Alphonsum tantum valet casu, quo quis rem alienam a fure emit, aliaque via non suppetit emptori, recuperandi suum pretium quam restituendi rem furi. [1])

Dices 2. Laurentius accepit 15 florenos ut pretium silentii obsequiosi, utilis furi Leonardo; ergo coll. supra §. 107. n. 4. eos tuta conscientia retinere potuisset.

Resp. Illa pecuniae summa Laurentio a fure donata erat pars rei furtivae, quapropter Laurentius eam restituere debet ratione rei acceptae; etenim non erat furis, sed ejus, cui ille furatus est.

Articulus II.

De circumstantiis restitutionis, et causis ab ea excusantibus.

Praecipuae circumstantiae restitutionis hoc versu habentur: Quantum restitues? cui? quo ordine? quomodo? quando?

§. 146.

Quantum est restituendum?

1. — Quantitas restitutionis pensanda est 1. ex quantitate rei acceptae, 2. ex quantitate damni illati, et 3. ex proportione influxus seu causalitatis in injuriam proximo illatam sive rei acceptione, sive damnificatione. Duo priora per se patent. Quoad tertium sequens valet regula generalis:

Si singuli cooperatores fuerunt causa totius damni, totum damnum resarcire tenentur. Qui vero non existit causa totius damni, sed partis tantum, tenetur dumtaxat ad partem damni a se illati

[1]) Vide s. Alph.: Lib. IV. n. 570. coll. n. 600.

compensandam. Nam tota ratio restitutionis ex delicto est causalitas ad damnum injustum alterius: tanta ergo erit obligatio restituendi, quanta fuit causalitas seu influxus in damnum. [1])

2. — Exinde deducitur, *quandonam quis teneatur restituere in solidum* seu integrum, plenum, eo sensu, quo quis aliis non restituentibus tenetur etiam ad partes illorum, vel solus tenetur damnum totum reparare.

Tunc enim aliquis tenetur restituere *in solidum,* quando est causa totius damni, seu quando totum damnum ipsius actioni adscribi debet, ut ex praedictis liquet. Hoc autem fit in tribus his casibus:

1. *Quando ejus cooperatio necessaria est ad totum damnum patrandum,* ita nimirum, ut sine illius opera damnum non eveniret, ut e. g. si duo cistam diversis rebus refertam surripiunt, quam unus auferre nequit, duo spoliant viatorem, quem unus spoliare non valet; si quis praebet suffragium necessarium ad injustam sententiam ferendam. Tunc quilibet restituere debet pro aliis deficientibus.

2. *Quando cooperatio plurium fit ex stricta conspiratione,* qua ita se excitant ad injustam actionem, ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret, ut e. g. si plures ex tali conspiratione concurrunt ad exspoliandam domum, ad depopulandam vineam etc. Tunc singuli restituere debent pro aliis cooperatoribus deficientibus.

3. *Quando alicujus actio est causa principalis damni,* ut est mandatum; tunc enim motor principalis tenetur ad totum, reliqui vero ejus defectu tantum ad partem suam; nisi illi omnes se invicem excitent seu moveant ad damnum inferendum, ita, ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret, quo in casu singuli tenentur in solidum, ut diximus. [2])

Quid autem, si objectum damni dividi non poterat, et actio tua sufficiens quidem, sed minime necessaria erat ad totum damnum inferendum, an tunc teneris cum aliis in solidum?

Resp. *Neg. probabiliter,* quoties revera sine tuo concursu damnum totum evenisset, seclusa conspiratione. Ratio est, quia cum obligatio restitutionis pendeat ab influxu in damnum, obligatio non debet esse major, quam sit ipse influxus; atqui influxus tuus erat

[1]) Sporer: Th. mor. in Decalog. Tom. II. Tract. IV. cap. 3. n. 63. Elbel: De restit. Confer. IV. n. 127. et alii.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. n. 579. Scavini: Tom. II. pag. 453—455. Gury: Tom. I. n. 694. 695.

tantum ad partem damni, ergo pro parte tantum erit et obligatio restituendi. Hinc e. g. si cum aliis domum alienam incenderis, et isti te absente domum nilominus incendissent, teneris tantum partem damni compensare pro ratione influxus. [1])

3. — Ubi extat obligatio restituendi in solidum, et unus cooperantium *dubitat,* utrum alii partem suam restituerint, *probabilius* ille, si facta inquisitione dubium perseveret, ad aliorum partes non tenetur. Ratio est, quia cooperator non tenetur ad aliud praeter partem suam, nisi in defectu alterius; et si dubium est de illo defectu, dubium est de obligatione. [2])

Prudenter observat s. Alphonsus, [3]) quod in praxi raro expedit, rudes obligare ad totum damnum reparandum, quamvis certo teneantur in solidum; quia non facile sibi persuadent, se teneri ad restituendam partem ab aliis ablatam aut destructam.

Casus.

4. — *Timaeus nonnullos pessimae ac perditae vitae socios, aut verius loquendo latrunculos sibi adscivit, quorum ope ipse velut corriphaeus miserae rusticorum genti innumera damna intulit. Nuperrime quendam e suis subornaverat, ut ab aliquo satis divite rustico solitario postularet recipi in casam tempore nocturno, quo impetrato ille media nocte consurgens aperuit januam sociis, qui ocyus subintrantes tyrannice tractarunt incolas, usque dum pecuniam omnem extorsere. De hac praeda, quae usque ad 600 florenos se extendit, Timaeus 300 sibi retinuit: reliquos suis sociis distribuit.* [4])

Quaeritur jam, ad quid Timaeus, ad quid dicti latrunculi in hoc casu teneantur?

Resp. 1. Timaeus tenetur ad totum, quia est motor principalis damni. Cf. n. 2. Cum vero praedones actu possident de rapina, id restituere tenentur, ut possessores malae fidei. Quodsi unus vel alter vel omnes isti latrunculi non restituant, Timaeus tenetur eorum partes rustico refundere, praeter 300 florenos, quos ipse retinuit, ac insuper obligatur ad resarciendum damnum rustico forte emergens et lucrum cessans, ut constat ex dictis §. 137. n. 2.

2. Praedones obstringuntur ad pecuniam sibi tributam rustico rependendam, ut diximus. Porro in defecto Timaei tenentur in solidum, tum, quia communi consilio egerunt, tum, quia eorum cooperatio necessaria erat ad totum damnum patrandum. Cf. n. 2.

5. — *Duo servi frequenter ex domini sui dolio vinum haurire, praeterea ex tritici acervo saepe quid furari et Judaeo cuidam vendere solent.*

Duo rustici in silva aliena ligna caedunt; mox alius praeteriens illis se jungit eosque in hoc furto adjurat, unde pars lignorum ipsi tributa est.

Quaeritur: An in his casibus extet obligatio in solidum?

Resp. ad 1. *Dist.*, vel mutuo consilio et stricta conspiratione furta illa per-

[1]) S. Alph. n. 579. cum Lugo, Sporer et aliis.

[2]) Gury n. 696. q. 2. cum aliis.

[3]) Lib. IV. n. 579.

[4]) Casus ab Elbel propositus est: De restit. Conf. IV. ante n. 132.

petrarunt, vel singuli seorsim. In priori casu in solidum, in posteriori pro rata tantum tenentur.

Resp. ad 2. Si duo illi rustici absque mutua opera non valuissent ligna caedere, ut e. g. cum debuissent serram ducere, certe tenentur in solidum; et idem dicendum, si ex mutua conspiratione egerint, ut ex praedictis patet. Secus autem in alia hypothesi. Tertius superveniens rusticus, qui illos in furto perpetrando juvit, ut participans certo tenetur ad pretium lignorum, quae accepit, ac praeterea ad reliqua damna resarcienda, quibus est cooperatus, et quidem pro rata cooperationis, nisi ipsius actio necessaria fuisset ad totum damnum inferendum, coll. n. 2.

§. 147.

Cui est restituendum?

1. — I. Restitutio fieri debet domino, si *certus et cognitus* sit, quia res clamat ad dominum. Eo jam defuncto haeredibus ipsius restitutio praestanda est, quia haeredes succedunt in omnia jura defuncti. Hisce non superstitibus restitutio pauperibus fieri debet.

Si dominus coactus fuit cessionem bonorum facere, tunc restitutio seu debitorum solutio illi fieri debet, qui bonorum administrationem et custodiam gerit. Quandoque tamen debitor potest suo creditori (qui nempe bonis suis cessit) restituere, scilicet, si versetur in gravi necessitate, et debito valde indigeat ad vitam sustentandam, quia in eo casu, ut communiter Theologi dicunt, cessor bonorum ea subducere potest, quae ad vivendum sibi necessaria sunt. [1]) §. 148. n. 5.

Si res surrepta est non domino ipsi, sed justo cuidam possessori, e. g. conductori, custodi: tunc huic, non domino reddi debet, quia talis possessor jus habet rem possidendi, unde consequenter res ipsi reddi debet una cum compensatione damni emergentis et lucri cessantis. Item bona ablata filiofamilias, pupillo, restituenda sunt patri, tutori, utpote qui bonorum istorum administrationem gerunt. [2])

Bona ex publicis redditibus surrepta aerario publico restitui debent. [3])

2. — II. Si dominus sit *dubius*, tunc distinguendum:

1. Si dubius inter paucos, tres aut quatuor existat: [4]) res seu pretium dividi debet inter eos, inter quos defraudatus existit. [5])

---

[1]) S. Alph. n. 699. Gury n. 700.

[2]) S. Alph. n. 569. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze. S. 239.

[3]) Vid. Kutschker S. 242.

[4]) Si nempe sciatur, rem spectare ad aliquem ex tribus vel quatuor hominibus loci, sed ignoretur, ad quem peculiariter spectet. S. Alph. n. 589.

[5]) S. Alph. l. c. et alii communiter.

2. Si dominus dubius sit inter multos, tunc restitutio fieri debet pauperibus aut piis locis. [1])

3. Si plures et varii domini sint dubii alicujus loci, communitatis, civitatis, tunc restitutio facienda est incolis ejusdem loci, ubi fraus commissa est; quia, cum existant damnum passi et aliquo modo cogniti, iis, quantum fieri potest, damnum compensari debet. Excipe, si restitutio sic fieri nequeat sine periculo infamiae, vel si urgeat necessitas pauperum valde indigentium; in quo casu juxta s. Alphonsum [2]) restitutio sine peccato fieri potest pauperibus. Hinc e. g. si aliquis venditor defraudavit multos cujusdam civitatis in pondere vel pretio, restituere debet augendo pondus vel minuendo pretium erga ementes ordinarios, qui defraudati praesumuntur, modo possit sine periculo infamiae; secus pauperibus restituere debet.

3. — III. Si dominus sit *plane incognitus*, vel si *cognitus*, moraliter tamen *adiri nequeat*, tunc distinguendum est:

1. Quando res possidetur bona fide, tunc agendum est ut in rebus nuper amissis, quarum dominus inveniri non potest; videlicet a possessore retineri potest, quia res pro derelicta habetur. [3])

2. Si autem res possidetur *mala fide*, tunc in eleemosynas vel alia pia opera eroganda est pro salute domini; [4]) praesumitur enim, talem esse ejus voluntatem, quoties rem suam recuperare nequeat. Addit. Card. de Lugo: *Si debitor, debens aliquid creditori incerto, atque adeo debens illud dare pauperibus, sit ipse vere pauper, potest ei applicari.* [5]) Quod idem dicit etiam valere de debitis *ex delicto, furto, rapina, et similibus.* [6]) Tunc autem debitori pauperi injungantur certae preces persolvendae aliave pia opera peragenda pro salute domini. Vide inferius §. 151. n. 2.

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 589. 590. 595. coll. n. 534. n. 506. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze §§. 28. et 29. S. 236—274. Carrière: De justitia et jure Tom. III. n. 1236—1247. Pruner: Restitutive Gerechtigkeit §. 20.

---

[1]) S. Alph. l. c. H A. Tr. X. n. 67.

[2]) Idem n. 595. H. A. Tr. X. n. 28.

[3]) S. Alph.: H. A. Tr. X. n. 69.

[4]) Idem op. c. n. 67. cum S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3. et aliis. Porro debita illa, quae domino ipsi rependi nequeunt, pauperibus restitui debent *ex jure naturali*, ut probat Card. de Lugo: Disp. VI. Sect. 12. n. 144., qui dicit, hanc esse sententiam communem fere omnium.

[5]) De just. et jure Disp. XX. n. 8.

[6]) *ibid.* n. 6. Consentit s. Alph. Th m. n. 696. H. A. Tr. X. n. 117.

Casus.

4. — *Wenceslaus in caupona pileum furatus est, nesciens certo, cujus sit e tribus servis, qui simul erant cum ipso in caupona. Alia vice ibidem peregrino cuidam surripuit crumenam 50 florenos continentem, nesciens, ubinam in praesentiarum moretur.*

Hinc *quaeritur: Quibusnam fur restituere debeat?*

Resp. In priori casu Wenceslaus, si scire nequeat, cujusnam sit pileus furto ablatus, juxta regulam n. 4. traditam pretium pilei inter tres istos sodales distribuere tenetur. Ast interveniente notabili incommodo, praesertim si vilis pileus sit, obligationi satisfaciet pretium pauperioribus distribuendo. In posteriori casu 50 florenos, quos peregrino ignoto surripuit, in eleemosynas vel alia pia opera erogare debet, ut ex supra n. 5. dictis constat.

Bernardus Pragae tempore nundinarum 100 panni ulnas emit. Domum reversus animadvertit, se 110 ulnas panni accepisse, cum tamen pro centum tantummodo pecuniam numeraverat. Anceps quaerit a Confessario, quid sibi agendum, cum mercatorem prorsus ignoret. Quid respondebit Confessarius?

Resp. Si dominus omnino non possit inveniri, tuta conscientia Bernardus qua possessor bonae fidei excessum sibi retinere potest, coll. n. 5.

§. 148.

Quo ordine est restituendum?

I. De ordine restitutionis inter cooperatores.

1. — I. Si omnes cooperatores *eodem modo* concurrerint in actione damnosa, singuli aequaliter debent restituere in solidum. Hinc 1. quilibet tenetur ad suam partem, et 2. si unus vel alter non possit vel nolit suam partem restituere, ceteri eam inter se dividere et restituere debent; qui autem non restituit, illis, qui pro ipso restitutionem praestiterunt, partem suam refundere tenetur.

2. — II. Si *diverso modo* concurrerint, ita ut sint partim causae principales, partim secundariae, tunc distinguendum est; etenim vel pro furto, vel pro mero damno restituendi obligatio urget.

1. Quoad *restitutionem pro furto:* 1mo. tenetur possessor, qui rem habet in individuo, vel in aequivalenti, vel injuste consumpsit; quia res clamat ad dominum, et aequum praeterea est, ut qui lucrum prae aliis ex re habuit, etiam prius sentiat onus restitutionis. 2do. Tenetur mandans, vel qui vi, minis, fraude alium induxit ad furtum, quia est causa principalis. 3^{tio}. Tenetur executor, quia est causa principalis post mandantem; subsequentes enim non sunt nisi causae secundariae. 4to. In priorum defectu tenentur ceterae causae positivae, nempe consulens, consentiens, palpo, receptans, participans, plus tamen vel minus pro majori vel minori influxu. 5to. In aliorum defectu veniunt causae negativae, inter quas illa primitus videtur teneri, quae magis damnum avertere tenebatur.

Si res aliena per manus plurium malae fidei possessorum transierit ex donatione aut venditione, tunc res restitui debet ab eo, qui eam habet, aut consumpsit; hoc autem deficiente, tenetur mandans, si fuerit, post eum raptor. His deficientibus ceteri per aequales portiones rei pretium solvere debent. Tandem, in ceterorum defectu quisque ad totum tenetur. [1])

Porro de consulente id notandum: Si consilium est utile soli consultori, ipse tenetur primo, executor autem in ejus defectu. Si est utile soli executori, executor tenetur primo, consultor in ejus defectu. Si est utrique utile, uterque tenetur aeque pro rata, in solidum vero tenentur singuli in alterius defectu. [2])

2. Quoad *restitutionem pro damno.* 1. Tenetur mandans, ut causa principalis, 2. executor, qui relative ad alios est causa principalis, 3. ceteri cooperatores positivi, demum 4. cooperatores negativi.

3. — Ex dictis deducitur: 1. Si causa principalis restituerit, causae secundariae ad nihil tenentur. Si una ex causis secundariis restituerit, causa principalis eam indemnem facere tenetur.

2. Si causae principali condonatio restitutionis a domino facta est, ceterae quoque causae liberantur; at vero si dominus solvat ab obligatione causam secundariam, non ideo liberatur causa principalis. [3])

* Card. de Lugo: De justitia et jure Disp. XIX. Sect. 4. et 5. La Croix: Theologia moralis Lib. III. Par. II. n. 54.—67. Reuter: Theologia mor. Tom. III. n. 344. et 345. Carrière: De justitia et jure Tom. III. n. 1224—1233. Kutschker; Die Lehre vom Schadenersatze §. 26. S. 211—220.

II. De ordine restitutionis quoad creditores.

4. — Si debitor omnibus creditoribus satisfacere valet, nullus ordo necessario servandus est, ut patet, dummodo tempore suo omnibus solvat.

Si vero impotens reperiatur omnibus satisfaciendo, tunc sequens ordo observari debet:

I. Quando *res aliena* adhuc extat apud debitorem, domino reddi debet, nec aliis potest in solutionem dari, quia res clamat ad dominum, et debita ex propriis, non alienis bonis solvi debent. Sic ex omni jure. [4])

---

[1]) Gury n. 650.
[2]) La Croix: Lib. III. P. 2. n. 56. cum Lessio, Lugo etc.
[3]) S. Alph. n. 581.
[4]) V. s. Alph. n. 684. Kutschker p. 342.

II. Debita *privilegiata* prae reliquis solvenda sunt. Debita hujusmodi ex jure Austr. sunt expensae judiciales et funerales, stipendia medicorum a tempore unius anni, et famulorum ab ultimo triennio. [1])

III. Dein solvenda sunt debita *hypothecaria,* servato temporis ordine juxta regulam 54. juris in 6.: *Qui prior est tempore, potior est jure.*

IV. Demum solvi debent debita *communia* seu quae nec privilegii nec hypothecae beneficio gaudent. An vero in his ordo temporis servandus? Affirmant plures cum S. Alphonso, [2]) ut *probabilius,* applicata regula juris: *Qui prior est tempore, potior est jure.* [3])

Porro inter communia 1. debita ex titulo oneroso (e. g. emptionis) solvi debent ante debita ex titulo gratuito (e. g. promissionis), quia gratuito aliquid promittens hanc apponit tacitam conditionem: *Si decenter et absque praejudicio tertii id praestare valeam.* Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia legata, etiam pia. [4])

2. Debita ex delicto (e. g. furto) et debita ex contractu (e. g. emptionis) *probabilius* solvenda sunt pro rata, quia ex nullo jure priora posterioribus necessario praeferri debent. [5])

3. Creditores pauperes non necessario anteponendi sunt creditoribus divitibus, quia justitia commutativa ad jus tantum, non ad personas attendit. Excipe, si creditor sit in extrema vel gravi necessitate, tunc enim praeferendus est ex charitate. [6])

4. *Probabilius* creditores *certi* anteponendi sunt creditoribus incertis, seu pauperibus, quibus eorum loco restitutio esset facienda. Ratio est, quia merito praesumi potest voluntas creditoris incerti, nempe, ut debitor liberetur a creditoribus certis eum prementibus, cum ipse (creditor incertus) debitum suum recuperare nequeat. [7])

5. Si unus creditorum prius solutionem petat *in judicio* (juridice), ei totum debitum solvi potest. Et idem dicendum, si *extra judicium* petat, nam qui utitur jure suo, neminem laedit. [8])

---

[1]) Kutschker S. 343.
[2]) n. 690.
[3]) Idem tamen non valet ex jure Austr. Vid. Kutschker: S. 349.
[4]) S. Alph. n. 689. et alii omnes.
[5]) S. Alph. n. 688. et alii communius.
[6]) S. Alph. n. 691. Lugo: De just. disp. XX. n. 161. etc.
[7]) Lugo: Disp. XX. Sect. 1. n. 5. et alii communiter.
[8]) S. Alph. n. 692. Apposite jam s. Augustinus: „— *quis non videat, iniquitatis argui neminem posse, qui quod sibi debetur, exegerit?*" De diversis quaestion. Lib. I. n. 16.

Sed debitor sciens labilem suum statum, *non petenti* integre satisfacere nequit, cum omnibus creditoribus obligetur aequaliter. Creditor autem, qui in hoc casu solutionem accepit, ad restitutionem erga alios creditores non videtur obligatus, quia jus habet, exigendi suum debitum, et extra judicium etiam illud exigere potest, ut praedictum est. Ergo, si injuriam non faciat petendo, neque facit acceptando. [1])

5. — Quaeritur: *An cessor bonorum aliquid sibi occulte retinere possit?*

Resp. Attento jure naturali cessor bonorum ea subducere licite potest, quae ad suam suorumque vitam sustentandam necessaria sunt. Ita communiter DD. Ast hac in re caute omnino procedendum, quia plerique bonorum cessores suas necessitates exaggerant, et moderato victu, qui ipsis convenit, nequaquam contenti esse consueverunt.

*S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 684—695. — De Lugo: De justitia et jure Disp. XX. Sect. 1—7. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinal. Lib. II. cap. 15. Dub. 1—7. La Croix: Theologia moralis Lib. III. P. 2. n. 375—408. Scavini: Theologia moralis Tom. II. Tract. VII. Disp. 1. c. 2. Gury: Compendium Theologiae moralis Tom. I. n. 704—707. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze. §. 34. S. 338—353. Carrière: De justitia et jure Tom. III. n. 1248—1251.

Casus.

6. — *Multi francomuratorii in conventiculo congregati conspirant de viro quodam sibi exoso perdendo, qui quippe secreta eorum flagitia et maleficia scriptis editis propalavit. Hinc subornarunt unum ex suis ad virum illum caute occidendum, additis simul duobus sociis, qui sicarium istum in facinore patrando juvarent. Idque revera effectum est. Multo post homicida continuis conscientiae morsibus agitatus adit sacerdotem, et lacrymis perfusus crimen confitetur.*

Quaeritur: Quo ordine damni compensatio fieri debeat?

Resp. 1. Ipse homicida et ceteri omnes francomuratorii tenentur ad restitutionem in solidum, quia omnes communi conspiratione nefaria concurrerunt ad damnum illatum. Hinc homicida tamquam unus illorum, quorum nomine seu consensu et conspiratione crimen horrendum patratum est, 1. tenetur proportionate ad suam partem, et 2. in ceterorum defectu ad totum damnum reparandum. Quodsi sicarius iste non fuisset unus eorum, qui conspiratione decreverunt homicidium patrandum, sed ab eisdem conductus, vel suasione commotus id fecisset: tunc primo loco illi tenerentur, ut causa principalis, et secundo loco ipse ut executor. [2])

---

[1]) S. Alph. n. 693. tamen contrariam sententiam tenet, videlicet, creditorem in conscientia teneri, aliis pro eorum rata satisfacere, quia ex jure naturali nullum jus habet, ut sibi integre solvatur, cum debitor non possit omnibus satisfacere.
[2]) Vid. Molina: De justitia et jure Disp. 737. n. 3. Lessius: De justitia et jure Lib. II. cap. 13. Dub. 5. n. 47. Lugo: De just. et jure Disp. XIX. Sect. 4. n. 136.

2. Quod attinet duos socios, qui homicidam in facinore patrato juvarunt, haec sunt observanda. Si ipse solus virum occidit, socii non tenentur ad restitutionem nisi in defectu homicidae, quia solus fuit causa exequens, duo autem isti socii solum fuerunt participantes seu adjuvantes, ut homicidium fieret; sicut ii, qui scalas apponunt et juvant furem, ut conscendat, aperiunt portas etc., non tenentur primo loco, sed in defectu furis, qui solus fuit causa exequens. Secus autem dicendum, si simul eorum nomine flagitium executioni datum esset. [1])

7. — *Julianus perspiciens impotentiam Celsi omnibus satisfaciendi creditoribus, ipse unus eorum praevenit ceteros, atque privatim petit et accipit ab illo equum in compensationem debitorum. An Julianus quietus esse potest in conscientia, quandoquidem unus vel aliter creditor non integre accipiat, quod suum est?*

Resp. *Aff.*, dummodo Celsus sit verus dominus equi, non commodatarius, conductor etc., quo in casu equus domino esset reddendus, quamvis creditores nihil acciperent. Cf. n. 4. Ratio est, qui dum Julianus petit compensationem debitorum, utitur jure suo, nec aliunde tenetur cum proprio damno praecavere damna aliorum. Vid. n. 4. sub 5.

§. 149.

Quomodo est restituendum?

1. — *Generatim restitutio eo modo fieri debet, quo justitia violata plene reparetur.* Sequitur ex generali restituendi obligatione.

Hinc 1. non necessario advertente domino restitutio praestanda est, imo plerumque occulte fiat oportet, ut famae et honori restituentis parcatur.

Quam ob rem satisfacit debitor per simulatam donationem, scilicet per refusionem debiti, quam creditor existimat donationem esse sibi factam, ut communiter dicunt. [2])

2. Nec requiritur, ut restituat debitor per seipsum, sed per alium quemlibet restituere potest, dummodo justitiae satisfaciat. Confessarius ne nimium difficilis sit in assumenda restitutionis executione, inprimis si timere debeat, ne debitor desit suae obligationi; attamen caute agat, tum ut sigillum confessionis illaesum maneat, tum ut poenitens certus reddatur, creditorem vere debitum recepisse.

2. — *An satisfaciat obligationi restituendi, qui debiti immemor aliquid gratuito creditori suo donat,* controvertitur. 1. Alii *negant,* quia donatio non est debiti solutio. 2. Alii *affirmant,* quando debitor prius habuit voluntatem actualem restituendi; quia in tali casu donatio fit ex errore seu ex debiti oblivione, adeoque non est voluntaria, sed potius voluntaria est restitutio debiti ob voluntatem

[1]) Lugo: Disp. XIX. Sect. 4. n. 139. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 58. Lessius l. c. n. 42.

[2]) Vide Gury n. 709. q. 1. et 2.

restituendi ab initio habitam et nondum revocatam. Prima sententia est communior et s. Alphonso [1]) arbitro valde probabilis, sed secunda sententia non caret sua probabilitate. Pro praxi praelaudatus sanctus Ecclesiae Doctor observat: *Neque debet obligari ad restitutionem, qui immemor debiti suo creditori donum mere gratuitum praebuit,* quia lex seu obligatio dubia est. [2])

3. — Restat quaestio: *Quo loco et cujusnam expensis restitutio facienda sit?*

Ad quam solvendam distingui debent possessor bonae fidei, possessor malae fidei, et debitor ex contractu.

1. *Possessor bonae fidei* satisfacit, si rem restituat in loco, ubi eam possidet, et quando rem domino alibi versanti transmittit, nec ad expensas, neque ad periculum tenetur; unde si res absque ipsius culpa perit, ad nihil tenetur, quia seclusa culpa res perit domino.

2. *Possessor malae fidei* et *injustus damnificator* restituere debent in loco, in quo dominus rem esset possessurus, idque suis sumptibus, quia dominus omnino indemnis servari debet. Unde si res domino transmissa casu vel culpa tertii periit, non domino, sed debitori perit, qui eam domino compensare tenetur, quia semper remanet causa culpabilis damni, quod ille patitur. Excipitur tamen triplex casus: 1. si dominus ipse designaverit personam, per quam res debita mitti sibi velit, 2. si dominus debitori reliquerit libertatem eligendi, quam vellet, modo prudens et fidelis eligatur, et 3. si judex personam disignaverit. — Si vero ad rem domino deferendam expensae valorem rei ipsius valde superarent (plus duplo, ut quidam [3]) arbitrantur), tunc restitutio differri potest vel pretium rei domino transmitti; et quando neque hoc facile fieri queat, res tribuenda est pauperibus ex praesumpta domini voluntate. Ita communiter. [4])

3. *Debitor ex contractu* stare debet legibus positivis et clausulis contractui appositis. Quodsi res debita e contractu in translatione pereat, puta, si sit commodata, deposita, locata, debitor ad nihil tenetur, quia perit domino, modo aliter conventum non sit. Si pretium e contractu solvendum in via pereat, debitor obligatus

[1]) Lib. IV. n. 700.

[2]) Praxis confessarii cap. 2. n. 44. H. A. Tr. X. n. 120. Puto, in tali casu merito praesumi posse consensum creditoris, videlicet eum esse contentum, dum accipit, quod suum est.

[3]) Vide s. Alph. H. A. Tr. n. 65.

[4]) Vide s. Alph.: Lib. IV. n. 597, et 598. H. A. l. c.

manet ad illud solvendum, quia dominium in pretium servat, donec id ad creditorem pervenerit; ergo debitori perit.

Casus.

4. — *Simon, quo tempore juvenis adhuc serviebat cuidam mercatori, 500 circiter florenos successive eidem subtraxit. Tandem vero post viginti annos, ubi ad meliorem pervenit fortunam, conscientiae stimulis adactus rem hanc aperuit Confessario, a quo illico ad compensationem haeredibus (nam dominus diem suum jam obierat) faciendam obligatur. Simon proin 100 florenos tertio cuidam, quem fidelissimum crediderat, dedit haeredibus reddendos. Verum paulo post rescivit, pecuniam non fuisse datam dictis haeredibus, sed ab illo tertio dilapidatam. Unde jam dubitatur: 1. Utrum dictos 100 florenos teneatur iterato compensare haeredibus; et 2. An non melius faceret, residuos 400 florenos per se ipsum successive sub specie donationis restituendo et applicando prolibus dictorum haeredum, quorum ipse patrinus est?*

Resp. ad 1. *Aff.*, quia debita ex delicto restituenda sunt cum expensis et periculo debitoris, non creditoris, secundum dicta n. 3. Licet enim fecerit, quod potuit, ad restitutionem exequendam, non tamen satis fecit ad extinguendam obligationem restituendi ex delicto contractam, cum dominus omnino indemnis servari debeat. [1]) — In hoc tamen casu Confessarius dissimulare poterit obligationem, si nulla spes adsit, poenitentem inducendi ad iteratam solutionem, coll. §. 134. n. 4.

Resp. ad 2. *Aff.*, quia haeredes hoc modo vere percipient id, quod ipsis debetur, et quia facilius declinabit periculum infamiae. Si vero haeredes dona existimata Simoni vellent rependere, hic acceptare vel retinere illa non posset, quia secus restitutio non fieret, ut patet. [2])

§. 150.

Quando est restituendum?

I. Restitutio ex contractu facienda est eo tempore, de quo fuit conventum. Ubi vero tempus non fuit determinatum, non peccat, qui restitutionem differt, usquedum urgeatur a creditore, quia creditor scienter non petendo videtur consentire dilationi.

II. Restitutio ex alio titulo fieri debet, quamprimum fieri potest sine gravi incommodo.

Quocirca 1. qui absque justa causa notabiliter differt restitutionem, graviter peccat, si agatur de materia gravi. Et si dehinc damna eveniunt domino, ea compensare tenetur negligens, sive sit possessor bonae fidei, sive malae fidei, vel qualiscunque debitor. [3])

2. Qui restitutionem differt ex gravi causa, v. g. ad vitandum scandalum, infamiae malum, non peccat. Si vero ex hujusmodi dilatione inculpabili damna domino eveniant, ea semper fur tenetur

[1]) S. Alph. Lib. IV. n. 704. q. 4.

[2]) Elbel: De restit. Conf. XI. n. 311. et sq.

[3]) S. Alph. n. 679. et 682.

resarcire, quia per furtum antea patratum existit causa damnorum; secus autem possessor bonae fidei et debitor ex contractu. [1])

§. 151.

Causae a restitutione excusantes.

Causae aliae in perpetuum, aliae ad tempus excusant a restitutione.

1. — I. *In perpetuum* excusant: 1. *remissio* seu condonatio facta a creditore; requiritur autem, ut creditor possit et velit restitutionem sibi debitam condonare; quae remissio liberat, etiamsi tantum *tacita* sit, imo et *certo praesumpta*, quando nempe condonare nolens irrationabiliter esset invitus. [2]) 2. *Compensatio*, id est, quando creditor propria auctoritate rem vel aequivalens ejus pretium sibi vindicat, aut debitum aequalis valoris sibi retinet. 3. *Praescriptio* debitis conditionibus vestita. Haec autem obtinere non potest quoad possessorem malae fidei, quia bona fides est conditio, sine qua numquam praescriptio valere potest. Excusat 4. *Compositio*, qua Summus Pontifex et ejus nomine Sacra Poenitentiaria ex rationabili causa partem unam debiti condonat debitori, alteram determinat ad pias causas in eo casu, quo dominus diligenti inquisitione facta manet incertus. Compositio legitime facta non irritatur, etiamsi postea dominus compareat, quia jam dominium translatum est. [3])

2. — II. *Ad tempus* excusant: 1. *impotentia physica* seu omnimoda impossibilitas, quae habetur in necessitate extrema, imo etiam in necessitate valde gravi, sive debitoris ipsius, sive familiae suae; 2. *impotentia moralis* seu gravis difficultas restituendi ob damnum grave in bonis famae, vel fortunae, ut si restituendo vitam decentem juxta statum suum debitor ducere non posset, aut de bona sorte

[1]) Idem n. 678. H. A. Tr. X. n. 104.

[2]) S. Alph.: n. 700. Lugo: Disp. XXI. n. 54. et 63. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 462. Elbel: De restit. Conf. XI. n. 331.

[3]) S. Alph.: Lib. IV. n. 591. et 592. Summum Pontificem juste et licite talem compositionem concedere posse, praeter alios scite pro more suo probat Card. de Lugo: De just. et jure Disp. IV. Sect. 12. n. 150. Disp. XXI. Sect. 7. n. 91. et sq. Ratio praecipua est, quia Papa jus possidet indirecte in res temporales fidelium, quando nimirum de iis disponere necessarium est ad bonum spirituale, ut in illo casu ad praecavenda peccata ob difficultatem restituendi et periculum restitutionis omittendae. Talis compositio facta est per celebrem Bullam *Cruciatae*, sic dictam, quia data est in favorem militiae cruciatae seu belli contra infideles. Videri etiam potest La Croix: Lib. III. P. 2. n. 410—419.

legitime acquisita casurus esset. Si vero creditor versetur in gravi necessitate, et debitor restituendo in eandem conjiceretur, hic restituere debet, quia melior est conditio innocentis, quam nocentis. Si uterque reperiatur in gravi necessitate, et debitor restituendo in extremam decideret, tunc *probabiliter* excusatur a restitutione, nisi res ipsa in specie adhuc existat. Excusat 3. *grave damnum ipsi domino vel alteri* ex restitutione probabiliter secuturum, si nempe dominus re abusurus esset ad peccandum vel ad damnum alicui inferendum. Excusat 4. *cessio bonorum,* sed debitor, si ad pinguiorem fortunam perveniat, tenetur adhuc restituere, nisi creditores videantur eum totaliter liberare. [1])

Card. de Lugo, cui consentire videtur s. Alphonsus, [2]) observat, quod detrimentum grave debitoris non solum ad tempus, sed et in perpetuum excusare potest a restitutione, quando quidem spes non est, quod cum minori detrimento poterit postea restitui; at vero majus requirit damnum debitoris, quam quod praecise sufficit ad differendam restitutionem; gravius enim est in perpetuum re carere, quam ad tempus. Denique subjungit, „rarissime contingere posse, quod debitor excusetur ab *omnimoda* restitutione, etiam in futurum (nisi adsint causae n. 1. enumeratae); nam licet non sit spes, integre debitum solvendi, poterit tamen vel nunc, vel postea *pars aliqua* sine tanto detrimento restitui. Quod si non poterit ipsi creditori dari, poterit dari *pauperibus,* vel ad *pia opera* pro ejus anima impendi. Quod si neque hoc poterit, injungendum tamen erit debitori, ut saltem pro creditore oret vel orari faciat, et offerri *aliqua bona opera,* ut creditor eo modo, quo possit, aliquid pro suo debito lucretur.“ [3])

* S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 62. a. 8. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 696—703. n. 591—594. — De Lugo: De justitia et jure Disp. XXI. tota in Sect. 8 distributa. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinal. Lib. II. cap. 16. integr. La Croix: Theologia moralis Lib. III. P. 2. n. 410—470. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. 1. cap. 4. Bouvier: Instit. theolog., Tom. VI. Tr. de jure Par. 2. cap. 5. Gury: Compendium Theologiae moralis Tom. I. n. 715—722. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze §§. 38—41. S. 388—435.

---

[1]) Lib. IV. n. 696. et seq.
[2]) Lib. IV. n. 702.
[3]) Disp. XXI. Sect. 1. n. 19—22. Idem habent La Croix: Lib. III. P. 2. n. 426. et 372. Sporer: Tr. IV. cap. 4. Sect. 3. n. 73. Kresslinger in Addit. ad Theol. moral. a Reiffenstuel exaratam Tom. IV. post 106. Add. II.

Casus.

3\. — *Petrus mercatori cuidam abstulit 50 florenos, quos restituere nequit absque certo periculo gravis infamiae.*

Carolus debitis multis gravatus non habet nisi agrum sibi et familiae suae maxime necessarium, quo se privare deberet, si velit cuncta debita solvere.

Quaeritur: An uterque liberetur ab onere restitutionis?

Resp. ad 1. Petrus clam restituere conetur, si possit, e. g. pecuniam reponendo in loco, in quo dominus certe eam inveniet, vel per alium e. g. Confessarium restitutionem fieri curet. Quodsi utrumque moraliter impossibile videatur, tamdiu a restitutione excusatur, quamdiu periculum gravis infamiae durat. Si idem periculum foret perpetuum, tunc observentur, quae praedicta sunt n. 2.

Resp. ad 2. Interim excusatur Carolus, tenetur tamen subinde quantum moraliter possibile, per partes debitum restituere.

4\. — *Agapitus, puer decem annorum, confessionem sacramentalem instituens se accusat de variis furtulis in domo paterna commissis. A Confessario autem obligatur, loco restitutionis, quam implere minime poterat, ad veniam seu condonationem a parentibus petendam. Promisit Agapitus, se id praestiturum; verum postea metu cohibitus propositum exequi non est ausus.*

Quaeritur: An pueri obligari possint ad condonationem furtulorum a parentibus postulandam, deficiente alio modo restitutionis?

Resp. *Neg.* Ratio est, quia pueri, qui furta domestica patrarunt, sunt simpliciter exemti ab onere restitutionis, utpote physice impotentes, cum nihil habeant. Ergo minime est necessaria parentum condonatio, quia condonatio est remissio debiti erga eum, qui restituere debet; impotentia autem physica liberat ab obligatione restitutionis. Praeterea, etsi filii restitutionem peragere queant, excusari facile possunt, saltem quoad furtula levia, per praesumptam parentum suorum condonationem. [1])

DISTINCTIO II.

De restitutione in specie.

Quaeritur nempe de restitutione facienda 1. ob damnum proximo illatum in bonis animae, 2. ob homicidium, 3. ob stuprum et adulterium, 4. ob damnum proximo illatum in bonis famae et honoris, et 5. in bonis fortunae quoad casus speciales.

§. 152.

De restitutione ob damnum in bonis animae.

1\. — Generatim quisque ex justitia obligatus existit ad reparanda damna, quae injuste et efficaciter intulit proximo in bonis animae tum supernaturalibus tum naturalibus. Homo etenim non minus jus strictum habet in haec bona, quam in bona temporalia. Vide §. 97. n. 1.

2\. — I. *Quoad damnum in bonis supernaturalibus:*

---

[1]) Gury: Casus conscientiae n. 718.

1. Qui fraude aut vi alium induxit ad peccatum mortale, vel avocavit a virtute, vel imbuit falsa doctrina, ex justitia tenetur vim et fraudem tollere, errorem manifestare, omniaque damna inde secuta resarcire. Et si hanc suam impietatem editis libellis in vulgus sparsit, illam eodem quoque modo publice retractare tenetur.

Qui sine fraude aut vi, sed pravo consilio aut exemplo alterum ad peccatum induxit, ex justitia ad nihil tenetur; quia ipse non extitit causa efficax damni alieni coll. §. 139. n. 3. At vero ex charitate omnino scandalum tollere et conversionem seducti, quoad potest, verbis et exemplis et precibus procurare debet. Et si scandalum fuerit *publicum*, etiam *publice* reparari debet; [1]) sufficiet autem plerumque vitae prioris emendatio publica. [2])

2. Qui vi vel fraude aliquem ab ingressu religionis impedivit, aut ad religionem deserendam induxit, ex justitia tenetur vim et fraudem tollere, atque tum seducto, tum monasterio damna evenientia resarcire.

Qui seclusis malis artibus, sed sine justa causa aliquem avertit ab ingressu religionis, ex justitia ad nihil tenetur, attamen graviter peccat contra charitatem.

Religiosus injuste denegans suffragium novitio peccat et tenetur ad restitutionem, nisi adsit causa reprobandi, nempe infirmitatis, malae indolis etc., ita ut novitius putetur gravis ordini futurus. [3])

3. — II. *Quoad damnum in bonis naturalibus:*

Qui officium suscepit alios edocendi artem, scientiam, disciplinam sine sufficienti peritia, vel illud negligenter implevit, pretium acceptum restituere tenebitur pro ratione suae ignorantiae vel negligentiae, et damnum, quod intulit male docendo, reparare; ideo enim stipendium accipit, ut se utilem praebeat. [4])

Qui fraude impedit aliquem, ne scientiam vel artem addiscat,

---

[1]) Hinc S. P. Pius IX. in ep. ad. Em. Card. Urbis Vicarium die 15. Maji 1871. data magistros illos Universitatis Romanae, qui literis „errore, blasphemiis, incredulitate scatentibus" et ad Doellinger directis nomina sua adscripserant, monet, ut in se reversi recedant a tenebrosa inferorum doctrina, eaque damnantes, quae sunt professi, *verbo et exemplo submovere nitantur scandalum a se proximis objectum.*" In ephem. Acta Sanctae Sedis Vol. VI. pag. 91—92; Romae 1871.

[2]) Cf. s. Alph.: Lib. VI. n. 512.

[3]) S. Alph. in Add. ad n. 662. Edit. Haringer. Plura hoc de casu legi possunt penes Elbel: De restit. Confer. VII. n. 203—205.

[4]) Scavini: Tom. II. pag. 490.

tenetur fraudem depellere, et damna temporalia inde exorta reparare.

Qui per venenum, maleficium etc. memoria vel usu rationis alium privat, tenetur damnum reparare bonorum temporalium, si quod illi emersit, ut si is non amplius valeat artem suam exercere etc. [1])

§. 153.

De restitutione ob homicidium.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Homicida vel vulnerator tenetur ad compensanda omnia damna temporalia, quae ex homicidio vel vulneratione secuta sunt. Hinc 1. tenetur reparare damna ante mortem laesi causata, videlicet lucrum cessans et damnum emergens vulnerato vel ejus familiae ex omissione operarum tempore infirmitatis, et expensas necessarias pro remediis factas. 2. Resarcire debet lucrum cessans et damnum emergens familiae, — uxori et filiis, — post mortem laesi juxta probabilem prudentum aestimationem. Excipiunt tamen *probabilius*, si haeredes necessarii in posterum aliunde habeant vel accipiant sustentationem, cum tunc nullum damnum patiantur. [2]) 3. Praestare debet opera pia pro anima defuncti. Nihil autem restituendum pro vita vel membro, quia haec pretio juxta aequalitatem aestimari nequeunt. Congruum autem est, — ait s. Alphonsus, [3]) — ut Confessarius imponat poenitenti pro poenitentia vel aequitate, aliquid laeso elargiri. Cf. §. 134. n. 5.

Porro adverte: Homicida a) non tenetur ad expensas funeris, quae quippe fieri debuissent, si occisus morte naturali obiisset; b) non tenetur creditoribus occisi debita ab eo antea contracta solvere, quia damnum creditorum tantum remote et per accidens sequitur ex homicidio. [4])

2. — **Principium II.** Si homicida morte plectatur, obligatio restituendi transit in haeredes. Poena enim satisfacit justitiae vindicativae, non vero commutativae. Haeredes igitur justitiae commutativae

---

[1]) Lessius: Lib. II. c. 8. Dub. 1. n. 2. Elbel: De restit. n. 181.

[2]) S. Alph. n. 631. q. 1. H. A. Tr. X. n. 87.

[3]) S. Alph. n. 627.

[4]) Idem n. 631. Addit tamen n. 633. et 634., ut *probabilius*, homicidam teneri ad restituenda creditoribus debita vel aliis bona, quae occisus illis probabiliter daret, si damna eorum directe intenderet; quia quisque habet jus, ne vi privetur justo bono.

satisfacere debent debita solvendo, cum succedant in onera defuncti. Excipitur tamen, si laesi haeredes restitutionem non petant, quia tunc juri suo cedere videntur. [1])

3. — **Principium III.** Obligatio restitutionis ex solo homicidio voluntario et injusto exoritur, quia sola damnificatio injusta et culpabilis est ratio restitutionis praestandae. Hinc ad nihil tenetur, qui injustum aggressorem servato moderamine inculpatae tutelae occidit. Si vero moderamen deliberate excesserit, ad restitutionem procul dubio obstringitur, quia injuste occidit invasorem. [2])

4. — Quaeritur: *An ad aliquid teneatur, qui in duello alterum occidit?*

Resp. *Neg. probabiliter*, etsi fuerit provocans, nisi vi aut gravibus minis alterum induxerit ad pugnam. Et quidem 1. ad nihil tenetur erga provocatum, quia hic libere acceptans duellum renuntiasse videtur juri suo ad damnorum compensationem. 2. Ad nihil tenetur erga illius uxorem et filios, quia non per vim alimenta vel emolumenta eorum impedivit. Sic Lugo [3]) cum aliis, quibus consentit s. Alphonsus. [4])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 626—639. — De Lugo: De justitia et jure Disp. XI. in Sect. 4 distincta. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. 2. cap. 2. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze §§. 47—48. Pruner: Die restitutive Gerechtigkeit §. 48.

§. 154.

De restitutione ob stuprum et adulterium.

A. Ob stuprum.

Ad rem perspicue pertractandam, distinctione praevia opus est, scilicet: stuprator virginem defloravit vel libere sibi consentientem, vel vi aut fraude sollicitatam; porro eam violavit aut sine aut sub promissione matrimonii.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Deflorator, qui violavit puellam sollicitationi *consentientem* absque ulla matrimonii promissione, excepta prolis educatione, ad nihil tenetur, videlicet nec erga puellam, quia ipsi non est facta injuria; neque erga parentes puellae, quia jus strictum

[1]) S. Alph.: H. A. Tr. X. n. 90.
[2]) Idem n. 637.
[3]) Disp. XI. n. 63—70.
[4]) n. 638. H. A. Tr. X. n. 89.

eorum non fuit violatum. [1]) Pari ratione ad nihil tenetur, si precibus aut donis puellam ad peccatum induxit. Ita communiter. [2])

Stuprator, qui *vi* vel *fraude* adhibita puellam seduxit, omnia tenetur damna reparare ei vel parentibus obvenientia, nempe honoris et fortunae, quia est causa injusta et efficax damni. Non autem obstringitur ad eam ducendam, si matrimonium illi non promiserit, excepto casu, quo non possit alio modo damnum reparare, nisi eam ducendo. Ita communiter. [3])

2. — **Principium II.** Qui *sub matrimonii promissione sive vera sive ficta* puellam corrupit, eam ducere tenetur. Ratio est, quia si sincere promiserit matrimonium, tenetur vi promissionis; si ficte, tenetur ratione injuriae, quam foeminae intulit injusta deceptione, id est, ficto consensu; quam injuriam adaequate reparare debet ex justitia, nimirum verum consensum praestando et consequenter puellam ducendo. Est doctrina communis et certa, quae ultro confirmatur nonnullis declarationibus s. Congregationis Concilii. [4])

Ab hac tamen regula excipiuntur casus, in quibus stuprator ab illa servanda promissione excusatur, videlicet: 1. si foemina ex verbis aliisque indiciis facile cognoscere poterat promittentis fallaciam; 2. si stuprator nobilitate vel divitiis valde superet conditionem mulieris, et haec talem disparitatem non ignoraverit; 3. si timeatur matrimonium infaustum; 4. si vir puellam existimaverit virginem, sed corruptam invenerit; 5. si foemina defloratori obligationem matrimonii ineundi remittat. Ita communiter DD. [5])

3. — Puella, quae cum duobus vel pluribus rem turpem habuit, et coram judice eum nominat prolis patrem, qui non est, nequit tuta conscientia accipere vel retinere sumptus, ad quos ille a judice condemnatur, a) quia iste re ipsa nullum intulit damnum, et b) quia sententia judicis in falsa facti praesumptione fundatur. [6])

[1]) Peccavit autem puella, prouti et ipsius violator, contra pietatem parentibus debitam, nec non contra obedientiam, si de tali crimine expresse prohibitionem a patre habuerit. Ita Lugo. Et tenetur (juxta nonnullos) deflorator ad reparandum parentum honorem aliqua honoris significatione, veniae petitione etc., nisi talem satisfactionem recusare videantur. S. Alph. H. A. Tr. X. n. 91.

[2]) Vide s. Alph.: Lib. IV. n. 641. et 642. Dub. 2. H. A. Tr. X. n. 91. et 92.

[3]) S. Alph. H. A. n. 92.

[4]) Vide s. Alphons.: Lib. IV. n. 642. §. II. Late doctiss. Kutschker: Das Eherecht der katholischen Kirche. II. B. S. 65—73. Wien 1856.

[5]) Vide s. Alph.: Lib. IV. n. 641—650.

[6]) Elbel: Conf. VIII. n. 229. et 230. cum Lugo: Disp. XII. Sect. 1. n. 3. et aliis.

B. Ob adulterium.

Distinguendum est: vel proles ex adulterio enata est, vel non; porro, aut uxor vi vel dolo coacta est ad peccatum, aut libere consensit.

4. — **Principium III.** Si proles ex adulterio nata non est, adulteri ad nihil obligantur, nisi marito adulterium innotuerit, tunc enim debebunt personalem injuriam reparare per veniae petitionem et alia hujusmodi. [1])

Principium IV. Si proles ex adulterio nata est, tunc, quando vir dolo aut vi copulam a muliere extorsit, omnia damna reparare tenetur, utpote qui est causa injusta et efficax damni.

Si vero uxor libere consensit peccato, uterque tenetur in solidum ad reparanda damna tum filiis legitimis tum marito obvenientia. Et mulier quidem adultera, si paraphernalia habeat, ex his restitutionem praestare debet; si non habeat, debebit diligentius curare rem familiarem, parcior esse in sumptibus privatis, diligentius laborare etc. [2])

An vero mulier adultera tenetur crimen suum prodere, si alio modo non valeat damna reparare?

Non tenetur generatim loquendo. Constat ex c. *officiis* de poenit. et remiss., ubi Innocentius III. ait: *Mulieri, quae ignorante marito de adulterio prolem suscipit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est poenitentia deneganda; sed competens satisfactio per discretum sacerdotem ei debet injungi.* Ratio est: 1. quia manifestatio adulterii commissi ut plurimum non est profutura; etenim nemo tenetur credere uni testi, licet probatissimo, ergo nec filius spurius matri asserenti, illum esse illegitimum, nisi evidentia indicia accedant testimonio matris; 2. quia talis revelatio vix unquam fieri poterit absque gravissimo moerore mariti, perpetua conjugii turbatione, extrema uxoris infamia, aliisque malis gravissimis. Excipiunt quidem: a) si mater jam sit perditae famae, b) si secus timeatur publicum damnum, ut e. g. si spurius sit improbus et successurus in principatum, dummodo finis obtineri queat. Ast non possunt diffiteri, rem semper esse perdifficilem ac periculis plenam, adeoque crimen potius occultandum, quam manifestandum. [3])

---

[1]) Scavini: Tom. II. pag. 259.

[2]) S. Alph. n. 652. et 655.

[3]) S. Alph. n. 652. 653. et 654. Lugo: Disp. XIII. n. 45. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 333. Elbel: De matrim. n. 457. Laymann: Lib. III. Tr. 4. n. 1. et alii, quibus accedit noster Stapf: Tom. III. §. 454. n. 6.

5. — *Quid in dubio, an proles sit mariti aut adulteri, porro in dubio, cujusnam inter duos vel plures adulteros sit proles?*

Quoad 1. communis est sententia excusans adulterum ab omni restitutione, quia possidet matrimonium, et filius reputatur legitimus, nisi constet oppositum. [1])

Quoad 2. sententia *probabilior,* asserit, adulteros ad nihil obligari, ex ratione §. 139. n. 9. q. 3. adducta. [2])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 640—659. — Cardinal. de Lugo: De justitia et jure Disp. XII. et XIII. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 10. La Croix: Theologia moralis Lib. III. P. 2. n. 313—330.; n. 332—341. Stapf: Theologia moralis in Compendium redacta, Tom. III. §. 454. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. II. cap. 2. a. 2. et 3. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze §§. 41. 46. Pruner: De restitutive Gerechtigkeit. §§. 60. 61

§. 155.

De restitutione ob damnum in bonis famae et honoris.

A. De restitutione famae.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Detractor tenetur 1. ad reparandam famam injuste violatam, et 2. ad compensanda damna temporalia ex diffamatione secuta et aliquo modo praevisa; e. g. dum diffamatus munere suo dejicitur, vel impeditur, quominus sibi suisque providere valeat. Ratio ex eis satis patet, quae de obligationibus restitutionis hactenus diximus. [3])

Porro diffamans tenetur etiam famam restituere absque formali injustitia laesam, si commode possit, ut e. g. si ex inadvertentia alicui detraxit, [4]) quod constat ex dictis §. 139. n. 4.

Obligatur quoque detractor, ut famam alienam, quam laesit, non tantum penes auditores *immediatos*, sed etiam *mediatos,* quibus hujusmodi dicta per primos audientes innotuerunt, quantum est moraliter possibile, reparare satagat, tunc saltem, quando talem divulgationem praevidit, et quando immediati auditores officio suo, famam proximi restituendi, desunt. [5])

---

[1]) S. Alph. n. 657. Lugo, Lessius, La Croix etc. Stapf §. 456. n. 3.

[2]) S. Alph. n. 658. Lugo: Disp. XIII. n. 19. et alii. Merito tamen observat Stapf §. 456. n. 3., adulteros non quidem ex stricto jure, attamen *per aequitatem* aliquid conferre debere, ut familia indemnis servetur.

[3]) S. Alph. n. 991. et 996.

[4]) Idem n. 994.

[5]) S. Alph. n. 991. cum Lugo, La

2. — **Principium II.** Restitutio famae alio modo a calumniatore ac a detractore simplici fieri debet.

Calumniator dicta sua serio retractare debet, sique publicatis libellis crimen falsum proximo imposuit, pari modo palinodiam canere oportet. [1])

Detractor simplex crimen verum, quod inique manifestavit, postea quidem inficiari nequit, quia mentiretur; attamen ejusdem famae per alia media prospicere debet, e. g. dum postmodum honorifice de eodem loquitur, ejusdem naevos excusat, dotes vere bonas laudat, vel etiam, dum profitetur, se male locutum fuisse, se errasse; non enim hi solum errant, qui a veritate, sed etiam, qui a rectitudine recedunt juxta illud Prov. 14. 22.: *„Errant, qui operantur malum."* [2])

3. — Sed diffamator non tenetur, saltem *probabilius*, famam pecuniis compensare, si eam restituere nequeat, quia pecunia non est pretium aequivalens famae ablatae. [3]) Recole dicta §. 134. n. 5. Nec tenetur ad veniae petitionem, si famam reparare non valeat, nisi famam simul et honorem laeserit; quia per veniae petitionem fama perdita non restituitur.

4. — **Principium III.** A restitutione famae excusant: 1. Impotentia physica et moralis, uti si cum auditoribus, coram quibus detraxisti, nec verbo nec scripto convenire possis, aut famam reparare nequeas sine damno longe graviori, quam est illud infamati; — 2. Subsequens justa criminis publicatio e. g. per sententiam judicis; — 3. Recuperatio famae alio modo jam facta, ut v. c. probitate vitae, sententia judicis; — 4. Cessatio infamiae per oblivionem, quando nempe prudenter judicatur, homines criminis propalati non amplius recordari; — 5. Condonatio restitutionis expressa, vel tacita, vel saltem praesumpta, dummodo infamatus obligationem illam remittere possit. Eam autem remittere non potest, quando ex infamia sequitur scandalum aut damnum commune vel suorum, v. g. si agatur de infamia sacerdotis, magistratus etc. Est doctrina communis. [4])

Croix et aliis contra alios. Eandem sententiam tenet Stapf: Tom. III. §. 455. n. 2.

[1]) S. Alph. n. 991. et 995.

[2]) Idem n. 992.

[3]) S. Alph. n. 1000., qui tamen subdit: „Monent autem communiter DD. quod si infamator sit dives, et infamatus pauper, tunc, si nequit famam illi restituere, congruum est, ut ille *ex aequitate* compenset infamiam cum aliqua pecunia."

[4]) Vide s. Alph. n. 997. 998. 1002. et 1003. H. A. Tr. XI. n. 19.

B. De restitutione honoris.

5. — **Principium IV.** Qui contumelia aliquem affecit, tenetur ipsi restituere honorem aliaque damna exinde subsecuta et in confuso saltem praevisa. Namque justitia commutativa postulat, ut injuria proximo illata plene resarciatur.

6. — **Principium V.** Quod attinet modum, honorem restituendi, multum ille pendet tum ex indole injuriae, tum ex laedentis laesique conditione.

Hinc 1. Honor publice ablatus publice etiam, id est, coram iis, qui testes fuerunt contumeliae, vel certe ita reparari debet, ut satisfactio innotescat illis. Sufficit autem, ut haec per aliam personam fiat. [1]) Honor per ocultam contumeliam laesus occulte reparari potest. [2])

2. Triplicem satisfaciendi rationem communiter assignant, scilicet a) ubi superior subditum offendit, plerumque sufficit amica salutatio, exhibitio benevolentiae; b) ubi offensio fuit inter aequales, offenso signa honoris solito majora exhibeantur; c) demum, si inferior superiori contumeliam intulit, vix non semper humilis veniae deprecatio requiritur. Imo si laesio nonnihil major fuit, hanc deprecationem etiam inter aequales petunt. [3])

7. — **Principium VI.** A restitutione honoris excusant causae sequentes: 1. si prudenter praesumitur, quod offensus jam remiserit offensam, aut recuset publicam satisfactionem, ne novo rubore perfundatur; et in hoc casu sufficit, eum alio modo honorare; 2. si offensus jam ultus fuerit injuriam sibi illatam; aut si jam publice a judice in offensorem poena sufficienti ad reparandum honorem sit animadversum. [4])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. IV. n. 984—990. (de restitutione honoris), n. 991—1003. (de restitutione famae). — De Lugo: De justitia et jure Disp. XV. tota in Sect. 4 distincta. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. II. cap. 11. Dub. 15—27. La Croix: Theologia moralis Lib. III. P. 2. n. 1239—1256. Stapf: Theologia moralis in Compendium redacta Tom. III. §. 455. Scavini: Theologia moralis universa Tom. II. Tract. VII. Disp. II. cap. 3. a. 1. §. II. et a. 2. Kutschker: Die Lehre vom Schadenersatze §. 49. S. 520—539. Pruner: Die restitutive Gerechtigkeit §. 94.

---

[1]) Idem n. 984.

[2]) Idem n. 985.

[3]) Stapf §. 455. n. 4. Vide etiam s. Alph. n. 986. et 987. — Superiores numquam tenentur a subditis veniam petere, *ne, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*, ait s. Augustin. epist. 109.

[4]) S. Alph.: H. A. Tr. XI. n. 4.

Casus.

8. — *Fabius, cum videat Hortensium sacerdotem beneficium ecclesiasticum, quod vacat, facile consecuturum esse, accedit ad episcopum, eique exponit Hortensii crimina omnino falsa, quae si vera essent, eumdem beneficio ecclesiastico prorsus indignum efficerent. Audit episcopus atque exaudit Fabium, et idcirco beneficium alteri confert. Fabius poenitens factus peccatum suum confitetur, non tamen absolvitur a Confessario, nisi sincere promittat, se damnum, quod Hortensio intulit, compensaturum. Num id jure a Fabio exigit Confessarius?*

Resp. *Aff.*; etenim Fabius injuste violavit famam sacerdotis per calumniam, ac praeterea per eandem injuste impedivit illum sacerdotem a consecutione beneficii. Tenetur igitur Fabius non modo ad reparandam famam, verum etiam ad compensanda damna, quae ex diffamatione iniqua sacerdoti evenerunt, secundum majorem vel minorem probabilitatem, qua idem gaudebat, beneficii consequendi. Cf. supra n. 1.

Quid (dices), *si crimina Hortensii vera fuissent, ac Fabius ea publice narrasset, cum satis fuisset, clam ea episcopo referre?* — Tunc Fabius non teneretur resarcire damna Hortensio ideo causata, quod negatum sit ipsi beneficium ecclesiasticum, sed tantum reparare deberet famam sacerdoti illi publice resecatam. Ratio est, quia ex suppositione, quod ob illa crimina Hortensio juste denegari poterat beneficium, Fabius per diffamationem relate ad episcopum nullam injuriam intulit Hortensio, adeoque non injusta causa fuit damnorum, quae illi ex denegato beneficio obvenerunt, sed injuriam Hortensio duntaxat intulit relate ad alios publica diffamatione, per quam jus ejusdem ad famam certo violavit, cum satis fuisset, uni tantum, nempe episcopo, crimina illius patefacere. [1])

9. — *Cajus aliquod de Petro crimen manifestavit, quod audientes per errorem intelligunt de Paulo. Ad quid Cajus, dum id advertit, tenetur?*

Resp. Obligatur ad famam Paulo restituendam coll. n. 1., attamen providere debet, ne errorem ab auditoribus auferendo reapse diffamet Petrum, quocirca dicere poterit, se errasse, se male dixisse etc. [2])

§. 156.

De restitutione ob tributa defraudata.

1. — Tributa sunt duplicis generis: 1. *directa* seu personalia, quae uniuscujusque personam et bona afficiunt, et 2. *indirecta* seu realia, quae immediate cadunt in res, mediate in personas, quae pro eis aliquid solvere debent reipublicae vel magistratui, ut sunt *vectigalia* seu praestationes pecuniae solvendae pro rebus in provinciam invectis, sic dictum *accisum* seu praestatio solvenda ex vendito vino, carnibus etc., *pedagium* seu praestatio solvenda pro conservatione pontis aut viae a transeuntibus.

2. — Certum est, leges, quae tributa ex justo titulo subditis

---

[1]) La Croix: Lib. III. P. 2. n. 1249. cum Lugo: Disp. XVIII. Sect. 5. n. 92., Lessio: Lib. II. cap. 12. Dub. 18. n. 124.

[2]) La Croix: Lib. III. P. 2. n. 1245.

imponunt, generatim spectatas ex justitia commutativa in conscientia obligare. Probatur 1. ex s. scriptura, videlicet ex verbis Christi: „*Reddite quae sunt Caesaris, Caesari.*" Matth. 22. 21., et ex verbis Apostoli: „*Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa praestatis. — Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.*" Rom. 13. 5. — 2. Ex Catechismo ad parochos, qui rapacibus eos accenset, qui tributa, vectigalia et reliqua hujus generis non dissolvunt, aut intervertunt, et ad se transferunt. [1]) — 3. Ex ratione; eo ipso enim, quod princeps curam gerere tenetur communitatis, jus strictum habet, a subditis proportionate ea exigendi, quae tum ad propriam dignitatem conservandam, tum ad bonum publicum promovendum necessaria sunt. [2])

Hinc 1. injustitiae rei sunt et ad restitutionem obligantur, qui nec tributa directa solvunt, inprimis, si ad ea declinanda fraudibus et mendaciis utantur.

2. Peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur deputati ab auctoritate publica ad tributa exigenda, si desint officio suo, — saltem generatim loquendo; excipiunt enim plures, si praepositi vectigalibus exigendis quandoque benignius agant in re levi, praecipue cum pauperibus. [3]) Non autem tenentur solvere mulctam, quae, si denuntiassent, a fraudatoribus solvenda fuisset, quia ex justitia commutativa tantum curare debent, ut tributa solvantur et fiscus maneat indemnis. [4])

3. — Sed *quaeritur 1. An semper restituere debeant, qui tributa indirecta, e. g. vectigalia non solvant?*

R. Theologorum optimae notae suffragiis spectatis [5]) hoc dicendum videtur: Etiamsi fideles maxime sint admonendi, ut tributa omnia exacte solvant, post factum tamen ad restitutionem non facile urgendi sunt illi, qui nonnumquam tributis indirectis praestandis se subducunt, tum, quia praxis communissima id habet, cui connivere videntur principes, tum, quia vix sperari poterit, fore ut poenitentes

---

[1]) P. III. Cap. 8. q. 10.

[2]) Argumentis hisce pensatis sententia quorundam *absolute* dicentium, leges, quae circa vectigalia versantur, esse mere poenales, probabilis mihi non apparet.

[3]) Gury n. 745. Scavini pag. 449.

[4]) S. Alph.: H. A. Tr. XIII. n. 73.

[5]) Quorum plura congessit Gury n. 739—742. et ejusdem plane tenoris sunt illa, quae desuper tradunt Sporer: Tr. V. in decal. cap. 5. n. 156. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 282. Elbel: De restit. Conf. I. n. 11. Vid. etiam s. Alph. Lib. IV. n. 616.

obtemperent Confessario restitutionem praecipienti ob leviores hujusmodi defraudationes, quas non putant esse peccata.

Quaeritur 2. An peccent et ad restitutionem teneantur importantes merces prohibitas, e. g. vinum, tabacum?

Resp. 1. *Quoad restitutionem* communiter negant, quia nec principis, nec privati cujusdam jus strictum violant. 2. *Quoad peccatum* controvertitur: *alii* affirmant, quia tales fraudatores violant leges, quae obligant in conscientia; *alii* negant, quia leges hujusmodi ex sensu communi habentur ut mere poenales. Addit Gury: „Saltem non sunt damnandi de peccato, qui merces prohibitas important in parva quantitate et ad usum proprium, praesertim si sint pauperes."

Dictis subjungimus, quae praelaudatus vir doctissimus pro praxi observanda notat: „Nemini dubium est, adhortandos esse fideles, ut tributa omnia diligenter solvant. Attamen non tenetur confessarius petere a poenitentibus, utrum alicujus defraudationis sint rei; hoc enim a praxi communi omnino alienum est. Non est constitutus confessarius, sicut vectigalium praepositus, aut exactor publicus. Quod vero ad forum conscientiae attinet, generatim fideles etiam timorati non existimant, se peccatum, saltem grave, committere, neque ad restitutionem teneri, si quandoque vectigalia solvere omittant, si merces, propter quas tributum exigitur, occultent, si praepositos declinent. Plerumque nihil proficeret confessarius, si e bona fide eos excutere contenderet. Insuper res maximae controversiae inter Theologos subjicitur, nec pertinet ad confessarium eam dirimere." [1])

§. 157.

De restitutione ob damnum occasione militiae illatum.

Tres hic considerabimus quaestiones pro praxi notatu dignas.

1. — *Quaestio 1. Ad quid tenentur, qui cum militiae sint conscripti, ab hac se subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent?*

Resp. Controvertitur. 1. Alii *probabiliter* affirmant, eos teneri ad restituendum illis, qui in ipsorum locum requiruntur; quia alii jus strictum habent, ne media injusta cum ipsorum detrimento adhibeantur. 2. Alii, forte *probabilius,* negant, eos ad aliquid teneri; licet enim peccent contra justitiam legalem, gubernio obedientiam denegando, non tamen offendunt justitiam commutativam erga alios, siquidem omnes, qui apti existunt ad militandum, pari obligatione militandi afficiuntur; et quia praeterea non influunt efficaciter ad alios requirendos, directe enim tantum se eximere intendunt, neque

[1]) Casus Conscientiae, de restitut. n. 751.

si deprehendantur, ideo in ipsorum loco alii dimittuntur vel aliqua compensatio imponitur illis tribuenda. [1])

Cum obligatio restitutionis in hoc casu valde dubia appareat, juvenes illi, qui mediis injustis a militia se liberarunt, ad restitutionem adigi nequeunt, idque eo minus, cum monitis vix obtemperarent.

Quaestio 2. An milites, qui exercitum deseruerunt, redire tenentur?

Resp. *Aff.*, idque ex obedientia, ac praeterea, apud nos saltem, vi jurisjurandi, quo se obligarunt ad militandum per tempus a lege praescriptum. Excipe tamen 1. si poena gravissima eos, si reversi sint, maneret, 2. si in castris animae saluti non consuleretur, ut aliquibus in locis evenire potest; et 3. si bellum sit evidenter injustum. [2])

2. — *Quaestio 3. Ad quid tenentur, qui se locaverunt pro aliis, et deinde militiam deseruerunt?*

Resp. Restituere debent pretium acceptum illis, a quibus acceperunt, quia pacto non steterunt. Gury [3]) tamen addit, hoc tantum valere, ubi ille, qui militem loco sui conduxit, periculo militiam subeundi exponitur.

Epilogus.

§. 158.

Sanctus Ambrosius de justitiae nobilitate.

Justitia igitur ad societatem generis humani et ad communitatem refertur. Societatis enim ratio dividitur in duas partes, justitiam et beneficentiam, quam eamdem liberalitatem et benignitatem vocant; justitia mihi excelsior videtur, liberalitas gratior; illa censuram tenet, ista bonitatem.

Magnus itaque justitiae splendor, quae aliis potius nata quam sibi, communitatem et societatem nostram adjuvat: excelsitatem tenet, ut suo judicio omnia subjecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula suscipiat aliena.

Quis non cuperet hanc virtutis arcem tenere, nisi prima avari-

[1]) Vide Gury n: 749. Scavini: Tom. II. pag. 496. 497. Gousset: n. 1002. Pruner: Die restitutive Gerecht. §. 72. S. 257—258.

[2]) Sic Gury n. 747. q. 2. Ex parte Kenrick: Theol. mor. Tract. VIII n. 159.

[3]) n. 748.

tia infirmaret atque inflecteret tantae virtutis vigorem? Etenim dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus cupimus, praestare divitiis; justitiae formam exuimus, beneficentiam communem amisimus. Quomodo enim potest justus esse, qui studet eripere alteri, quod sibi quaerat?

Potentiae quoque cupiditas formam justitiae virilem effeminat. Quomodo enim potest pro aliis intervenire, qui alios sibi subjicere conatur: et infirmo adversus potentes opem ferre, qui ipse gravem libertati adfectat potentiam?

Quanta autem justitia sit, ex hoc intelligi potest, quod nec locis nec personis nec temporibus excipitur, quae etiam hostibus reservatur, ut si constitutus sit cum hoste aut locus aut dies proelio, adversus justitiam putetur, aut loco praevenire aut tempore. Interest enim, utrum aliquis pugna aliqua et conflictu gravi capiatur, an superiore gratia, vel aliquo eventu. Si ergo etiam in bello justitia valet, quanto magis in pace servanda est?

Fundamentum ergo est justitiae fides; justorum enim corda meditantur fidem et qui se justus accusat, justitiam supra fidem collocat; nam tunc justitia ejus apparet, si vera fateatur. Denique et Dominus per Esaiam: Ecce, inquit, mitto lapidem in fundamentum Sion, id est, Christum in fundamenta Ecclesiae. Fides enim omnium Christus; ecclesia autem quaedam forma justitiae est, commune jus omnium: in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Denique qui se ipsum sibi abnegat, ipse justus, ipse dignus Christo est. Ideo et Paulus fundamentum posuit Christum, ut supra eum opera justitiae locaremus, quia fides fundamentum est; in operibus autem aut malis iniquitas aut bonis justitia est. [1])

Sectio II.

De fortitudine et virtutibus ei adnexis.

§. 159.

De fortitudine.

1. — Fortitudo sensu largiori accepta est animi firmitas in bono quocunque honesto prosequendo. [2]) Sensu strictiori accepta fortitudo est *virtus moralis confirmans hominis animum ad difficilia, imprimis mortis pericula sustinenda vel repellenda, ut nec anxie timendo, neque temere audendo a divina voluntate discedat.* [1])

---

[1]) De officiis, Lib. I. cap. 28. et 29.

[2]) S. Thom. 2. 2. q. 123. a. 2. c. Quo sensu frequenter ss. Ecclesiae Patres solent fortitudinem accipere. S. Gregorius M. scribit: „Alia justorum atque alia est fortitudo reproborum. Justorum quippe fortitudo est, carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitae praesentis extinguere, hujus mundi aspera pro aeternis praemiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare." — Lib. 7. Moral. cap. 21. n. 24. S. Prosper: „Animi fortitudo, inquit, ea debet intelligi, quae non solum diversis pulsata molestiis inconcussa permaneat, sed etiam nullis voluptatum illecebris resoluta succumbat." Lib. 3. de vita contempl. cap. 20.

Hinc *materia proxima,* circa quam fortitudo ut virtus specialis versatur, sunt timor et audacia; [2]) *remota* autem sunt res difficiles, quae solent timorem vel audaciam procreare, nimirum labores et pericula, [3]) maxime pericula mortis, non bellica tantum, sed et alia quaecunque mortis pericula, ut e. g. cum aliquis debeat infirmanti obsequi cum periculo mortiferae infectionis, vel itinerari ad aliquod pium negotium prosequendum cum periculo naufragii vel latrocinii, vel non recedere a justo judicio imminente periculo necis. [4]) Secundum d. Thomam fortis absolute dici nequit, qui omnes quidem vitae hujus molestias tolerare, non autem mortem sustinere paratus est. [5]) Deinde virtus haec juxta eundem Angelicum Doctorem maxime ostenditur occurrentibus malis vel periculis repentinis. [6])

2. — Duo sunt fortitudinis actus, ut jam ex definitione colligere licet, nimirum difficilia *sustinere,* et adgredi seu *depellere;* quorum secundus quidem splendidior, primus autem difficilior adeoque praestantior apparet. [7])

3. — Exinde deducitur, *Martyrium esse praestantissimum fortitudinis actum.* Nam Martyrium juxta Benedictum XIV. [8]) est voluntaria mortis perpessio sive tolerantia propter fidem Christi vel alius virtutis supernaturalis actum in Deum relatum. Atqui excellentius est *sustinere* quam adgredi mala, praestantius *mortem,* quam alia vitae mala sustinere, et gloriosius *propter fidem Christi,* quam ob aliam

---

[1]) Vide d. Thom.: 2. 2. q. 123. a. 2. et 4. Praecessit jam s. Augustinus dicens: „*Fortitudo dicitur, qua omnia molesta toleramus.*" Enarr. in Psalm. 83. n. 11. „*Qui vere fortis est, nec temere audet, nec inconsulte timet.*" Epist. 167. (al. 29.) n. 8.

[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 123. a. 3.

[3]) Hinc s. Augustinus cum Tullio ait: „*Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio.*" (Lib. 83. Qu. q. 31.) Ad quae verba d. Thomas notat: „fortitudo est *immediate* circa timores et audacias, *mediate* autem circa pericula et labores, sicut objecta praedictarum passionum." 2. 2. q. 123. a. 3. ad 2.

[4]) S. Thom.: 2. 2. q. 123. a. 4. et 5.

[5]) Idem l. c. a. 4. ad 1.

[6]) S. Thom. q. 123. a. 9.

[7]) S. Thomas: 2. 2. q. 123. a. 6. ad 1. — Vide etiam q. 123. a. 8. c.; a. 10. ad 3.

[8]) De Servorum Dei Beatif. etc. Lib. III. cap. 11. n. 1.; cap. 13. n. 2.

causam pati. Ergo. Id ipsum cum d. Thoma [1]) omnes pariter Theologi docent. Hinc egregie s. Cyprianus: „*Quibus vos laudibus praedicem, fortissimi Martyres? Robur pectoris vestri et perseverantiam fidei quo praeconio vocis exornem? Tolerastis usque ad consummationem gloriae durissimam quaestionem: nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt.*“ [2])

Sequentia autem ad perfectam rationem Martyrii requiruntur: 1) Perpessio mortis violentae vel talium malorum, quae ad mortem perducere possunt, ut vulneris lethalis, carceris, exilii, tormentorum etc., ut juxta communem Theologorum doctrinam affirmat Benedictus XIV. [3]) Hinc s. Joannes Evangelista ab Ecclesia celebratur inter Martyres, eo quod missus fuerit in ferventis olei dolium, quamvis inde gratia divina protectus purior et vegetior exiverit, quam intraverit. Eadem ratione s. Caecilia colitur ut Martyr, quamvis mortem ipsam non sit perpessa. 2) Causa pia, [4]) videlicet necesse est, ut mors sustineatur propter professionem fidei, ut constat Luc. 9. 26.; 12. 8., vel propter alterius cujusdam christianae virtutis exercitium, quia „omnium virtutum opera sunt quaedam fidei protestationes,“ ut Doctor Angelicus dicit. [5]) Quapropter et s. Joannis Baptistae Martyrium celebratur, quamvis non immediate pro fidei defensione, sed pro adulterii reprehensione mortem sustinuit. Sic et S. Joannes Nepomucenus ut Martyr colitur, qui arcanum confessionis prodere nolens, in flumen dejectus est. Idem docet et late confirmat P. M. Benedictus XIV. [6]) 3) Motivum charitatis, ut patet ex verbis Apostoli: „*Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*“ Id ipsum ex unanimi doctorum suffragio. [7]) Pontifex praelaudatus docet. [8]) Vere Martyr et Re-

[1]) 2. 2. q. 124. a. 2. et 3.

[2]) Lib. 2. epist. 6.

[3]) De Servorum Dei Beatificatione etc. Lib. III. cap. 12. integrum.

[4]) „*Martyrem non facit poena, sed causa.*“ S. Cyprianus apud Benedictum XIV. in op. cit. Lib. III. cap. 19. n. 2.

[5]) 2. 2. q. 124. a. 5. — In 4. Sent. Dist. 49. quaest. 5. a. 3. ad 9.

[6]) De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione Lib. III. cap. 13. n. 2; cap. 19. n. 3—17.

[7]) Sic d. Thomas: „*Martyrium est actus charitatis, ut imperantis; fortitudinis autem, ut elicientis.*“ 2. 2. q. 124. a. 2. ad 2. „*Quod autem sit meritorium Martyrium, hoc habet ex charitate, sicut et quilibet virtutis actus, ideo sine charitate non valet ad aeternam salutem, juxta verba Apostoli* 1. Cor. 13. 3. Si tradidero corpus etc.“ l. c. ad 3. Vasquez: „*Censendus tamen non esset Martyr, nec ut talis colendus, qui nullo modo indicaret, se pati propter Christum et Deum ex affectu charitatis erga ipsum, sed propter honestatem solam virtutis.*“ In 3. part. D. Thomae, Quaest. 68. art. 3. Disp. 153. cap. 6. in fine.

[8]) De Servorum Dei Beatificatione etc. Lib. III. cap. 19. n. 16. et alias.

gina Martyrum praedicatur B. Virgo Maria, quae stans juxta crucem Jesu cruciatus morte propria saeviores sustinuit charitate flagrantissima.

4. — Virtutem fortitudinis Christus Dominus nobis mandat his verbis: „*Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*“ Matth. 10. 28., et exemplo suo nos allicit ad eam amplexandam; ipse enim „*Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio.*“ Psalm. 23. 8. Porro Apostolus Paulus monet: „*Vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini*“ 1. Cor. 16. 13. „*Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.*“ Ephes. 6. 10. et sq. Ad eandem virtutem Ecclesia ministros suos impellit his egregiis verbis: „*Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente: et accipietis regnum aeternum.*“ [1])

5. — Fortitudini opponitur per defectum *timiditas* seu *ignavia;* per excessum *audacia* seu *temeritas.*

* S. Ambrosius: De officiis ministrorum Lib. I. cap. 35—42. ubi fortitudo sensu latiori accipitur. S. Cyrillus Alexandrinus: Homilia 7. 10. 11. 19. 28. (animi fortitudinem summopere inculcat). (Op. Tom. V. Par. II.) S. Augustinus: De moribus Ecclesiae catholicae Lib. 1. cap. 22. et 23. n. 40—43. (Op. Tom. I.) S. Thomas: 2. 2. q. 123—127. S. Bonaventura: Pharetra Lib. II. cap. 31. et 32. (de fortitudine et constantia), Lib. IV. cap. 49. (de martyrio). Diaeta salutis Tit. V. cap. 7. (fortitudo fornaci, quae probat aurum, aliisque rebus comparatur). Benedictus XIV.: De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione Lib. III. cap. 24. n. 27—33. (ubi de fortitudine). Lib. III. cap. 11—20. (ubi de Martyrio) in finem Beatificationis et Canonizationis. Laymann: Theologia moralis Lib. II. Sect. 3. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. III. caput 1. integrum. Collet: Tractatus de universa Theologia morali Tom. I. cap. III. artic. 1. Reiffenstuel: Theol moral. Tom. III. Tract. VII. Dist. 1. q. 5. (de fortitudine) et q. 6. (de Martyrio). Billuart: Tract. de fortitud. Diss. I. per 3 articulos. Card. Bona: Manuductio ad coelum cap. 28.

Incitatio s. Basilii ad fortitudinem.

„Age igitur, Christi miles, hostium invisibilium assultus reprime, contra principatus et potestates bellum gere, sic ut expellas ipsas primum quidem ex animo tuo, ne ullam in te habeant partem; deinde ab iis, qui ad te confugiunt, teque ducem sibi ac propugnatorem asciscant, ut ipsi tuis sermonibus incolumes serventur. Subverte consilia adversus Christi fidem insurgentia: impiam ac pravam ratiocinationem per piam doctrinam impugna. Cum vero

[1]) Commune Apostol. Antiph. ad II. Vesperas.

Christus voluerit probum te ac bonum etiam per pericula reddi, suasque copias cum adversariorum copiis committere decreverit: tunc te acie instructum nullus frangat labor, animus maneat in periculis immotus, et de terra ad terram, atque de mari ad mare alacriter transmigra. Et ubi oportuerit ad judicium vocari, adstare ante magistratus, populorum assultus perferre, horrendum carnificis intueri aspectum, audire vocem asperam, instrumentorum ad puniendum destinatorum dirum conspectum tolerare, tormenta experiri, et usque ad mortem decertare: propter haec omnia ne diffidas, ob oculos habens Christum, qui his tua causa fuit obnoxius, sitque tibi compertum, te in istis ob Christum versari oportere, teque in ipsis esse victurum. Regem enim victorem sequeris, qui te suae victoriae vult esse participem. Et quidem ab interitu ad aeternam vitam, ab hominum ignominia ad Dei gloriam, a mundi adversitatibus atque suppliciis ad aeternam requiem, quae tibi cum Angelis communis erit, transmigrabis." [1])

§. 160.

De magnanimitate.

1. — *Magnanimitas* seu magnitudo animi *est virtus, qua ob Dei honorem vilia spernimus et ad vere magna contendimus.* Cumque res omnes hujus mundi, excepta virtute, exiguae sint atque caducae, ideo magnanimus 1) omnia bona temporalia (divitias, voluptates, honores mundanos) vilipendit, ut proinde nec prosperis hujus mundi eventibus extollatur, neque adversis dejiciatur; — 2) ad virtutum opera, eaque magna, eximia, Deoque valde placita, alacriter contendit; qualia quidem opera sunt: insignes humilitatis et mansuetudinis exhibitiones, magna in magnis adversis patientia, graves vitae austeritates, ardui pro salute animarum labores [2]) — 3) haecque agit ob Dei honorem, quem unice quaerit; considerans, quod hominem generosum, Dei amicum et filium adoptivum, magnis gratiae praesidiis adjutum, magnis insuper exemplis provocatum, maxime decet, pro Dei sui honore et gloria magna operari. Unde in s. scriptura legitur: „*Deus det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem* c o r d e m a g n o *et animo volenti.*" 2. Mach. 1. 3.

Haec virtus maxime reperitur in iis, qui spretis omnibus, quae in mundo sunt, Christi consilia sunt secuti, et ad ejus imitationem vitam componunt. [1])

2. — Magno animo sint oportet, qui magnos in virtutibus profectus facere cupiunt. *Beatus vir,* qui Deo auxiliante, *ascensiones in corde suo* (per magnanima perfectionis desideria) *disposuit. Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion.* Psalm. 83. 6—8. Videlicet per magnanimitatem ex una parte conatus diaboli eliduntur, siquidem secundum s. Theresiam „diabolus potissimum timet magnanima corda"; [2]) atque ex altera parte Deus copiosissimis gratiarum divitiis talia corda adimplet, etenim, — sic s. Bernardus, — *magnis spiritibus magnus occurret sponsus et magnificabit facere cum eis, emittens lucem suam et veritatem suam, eosque deducens et adducens in montem sanctum suum et in tabernacula sua, ita ut dicat, qui ejusmodi est: Quia fecit mihi magna, qui potens est. Regem in decore suo videbunt, praeeuntem se ad speciosa deserti, ad flores rosarum et lilia convallium, ad amoena hortorum, irrigua fontium, ad delicias cellariorum, et odoramenta aromatum, postremo ad ipsa secreta cubiculi.* [3])

Quicunque autem magnis studet, sibimet ipsi humiliter diffidat, et in Deo solo fiduciam reponat. [4])

3. — Magnanimitati adversatur per excessum *praesumptio,* qua quis aggreditur, quae sunt supra vires; haec est venialis, nisi damnum grave Deo aut proximo afferat. [5]) Per defectum *pusillanimitas,* qua quis fugit ut nimis magna, ad quae vires et dona a Deo habet; ut e. g. si quis officium, ad quod aptus est, ex animi parvitate detrectat, cum tamen honor Dei et utilitas proximi id vetat.

[1]) Praevia institutio ascetica n. 2. et 3.

[2]) S. Ambrosius: „Quid autem excelsius et *magnificentius,* quam exercere mentem, afficere carnem et in servitutem redigere; ut obediat imperio, consiliis obtemperet, ut in adeundis laboribus impigre exequatur propositum animi ac voluntatem." De Officiis Lib. I. cap. 37. n. 180.

[1]) Lessius: De justitia ceterisque virt. cardinal. Lib. 3. c. 2. Dubit. 2. n. 12.

[2]) Apud s. Alph.: H. A. Tom. III. Appendix 1. §. 5. n. VII.

[3]) In Cant. Serm. 32. n. 9.

[4]) S. Bernardus: „Agit hoc in cordibus electorum gratiae praerogativa divinae, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes; magis autem cooperentur sibi, ut non solum nulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maxime provehatur humilitas: ut inveniantur eo amplius timorati et largitori munerum non ingrati; ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subrepat: sed quo minus de sua quisque vel in minimis praesumere consuevit, eo amplius etiam in magnis quibusque de divina virtute confidat." Serm. in Dominica infra Octav. Assumpt. B. V. Mariae n. 13.

[5]) S. Alph.: Th. m. l. 2. de peccatis n. 66.

„Noli esse pusillanimis in animo tuo." Eccli. 7. 9. Veniale est ex genere suo, et fit mortale, si detrectes, ad quod teneris sub mortali. [1]) Reprobatus est servus piger, qui deficiendi metu, pecuniam domini sui absconderat, nec dederat negotiationi.

* S. Bernardus: Serm. 43. de magnanimitate, longanimitate, unanimitate (Op. Tom. III.) In Cant. Serm. 32. n. 8. et 9. (Op. Tom. III.) S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 129—133. — Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. III. Cap. 2. Dubitatio 1. 2. et 3. Billuart: Tr. de fortit. Diss. II. a. 2. et 3. Bona: Manuductio ad coelum cap. 29.

§. 161.

De patientia.

1. — *Patientia est virtus confirmans animum, ne tristitia frangatur in adversis.* [2])

Hinc *materia proxima* hujus virtutis est tristitia et afflictio cordis, quam patientia moderatur, ne homo a praescripto rectae rationis recedat; *materia remota* sunt mala, quae tristitiam et afflictionem causant, [3]) mala nempe triplicis generis, ut s. Gregorius M.[4]) notat, siquidem „alia sunt, quae a Deo, alia, quae ab antiquo adversario, alia, quae a proximo sustinemus; a proximo namque persecutiones, damna et contumelias; ab antiquo vero adversario tentamenta: a Deo autem flagella toleramus."

2. — Patientia tam necessaria est christiano, quam necessarium est, affectui tristitiae dominari. Porro necessarium profecto est, tristitiae dominari, ne ratio ipsi succumbat; etenim *saeculi tristitia mortem operatur* 2. Cor. 7. 10., et *multos occidit tristitia, et non est utilitas in illa* Eccli. 30. 25. [5]) Hoc autem fit per patientiam juxta verbum divini Salvatoris: *„In patientia vestra possidebitis animas vestras"* Luc. 21. 19. Certe „qui patientiam tenet, ait s. Gregorius M., animam possidet: quia inde contra adversa omnia fortis efficitur, unde sibi et semetipsum vincendo dominatur." [6]) De necessitate patientiae disserens s. Augustinus pulcherrime dicit: *„Hoc enim justum est, ut qui de pristina felicitate paradisi propter contumacem deliciarum appetentiam dimissi sumus, per humilem molestiarum patientiam recipiamur: fugaces mala faciendo, reduces mala patiendo; ibi contra justitiam facientes, hic pro justitia patientes."* [1]) S. Bernardus ait: *„Qui patientiam non servaverit, perdet justitiam, hoc est, vitam perdet, hoc est, perdet animam suam."* [2])

[1]) Idem l. c. n. 67.

[2]) Benedictus XIV.: De Servorum Dei Beatif. etc. Lib. III. cap. 24. n. 30.

[3]) S. Thom.: 2. 2. q. 66. a. 4. ad 2.; q. 128. c.; q. 136. a. 1. c., a. 5. c.

[4]) In Evang. Lib. II. Homil. 35. n. 9.

[5]) S. Thom.: 2. 2. q. 136. a. 1. c.

[6]) Libr. 5. Moral. cap. 16. n. 33.

In specie haec virtus exigitur 1) ad bona opera jugiter perficienda, ne videlicet fatigemini per eorum labores, [3]) et ne animis deficiamus, dum non statim profectus desideratos faciamus, sed pro nostra fragilitate saepe in pristinos defectus recidamus, unde *fructum afferre in patientia* (Luc. 8. 15.) monemur; 2) ad tribulationes aequo animo tolerandas, ut sunt non modo aerumnae et afflictiones corporis, sed etiam tentationes et molestiae animi, *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. 14. 21.); quare s. Paulus: *„Patientia,* inquit, *vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem."* Hebr. 10. 36.; 3) ad aeternam beatitudinem, dum differtur, inter vitae hujus miserias indefesse exspectandam; unde Apostolus dicit: *„Si quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus."* Rom. 8. 25. [4]) et s. Augustinus: *„firmissime,* inquit, *sperate, quod non videtis, patientes exspectate, quod nondum habetis, quia veracem promissorem Christum fidelissime retinetis."* [5])

3. — Gradus patientiae tres sunt. 1. Adversa tranquillo animo sine perturbatione voluntaria et murmuratione ferre. Lacrymis tamen modeste conqueri, mediaque licita ad dolorem leniendum quaerere licet; dolorem sentire, naturale est. 2. Divinae voluntati se offerre ad ferenda tot adversa, quot ipsi placuerit immittere. 3. Adversa a Deo immissa, tamquam grandia beneficia, laeto animo excipere et amplecti; sicut Apostoli, *qui ibant gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Primus

[1]) Libr. de patientia cap. 14. n. 11.

[2]) Serm. in Annunt. B. V. M. 3. n. 6.

[3]) Perbene s. Bernardus ad verba scripturae: „*„Quoniam tu laborem et dolorem consideras."*" (Ps. 9. 14.) animadvertit: *„Labor in actionibus, dolor in passionibus est."* — *Imo „usque adeo vita nostra inferno appropinquavit, qui solius utique passionis est locus, ut et actionem passio, imo et ipsam quoque cogitationem actio et passio pariter occuparint. Nonne enim nobis quodam modo passivae sunt actiones, et in cogitationibus dolor et labor?"* De diversis Serm. 2. n. 1. et 8.

[4]) S. Augustinus: „Per hanc patientiam sustinemus, etiam dum corpore sani sumus, quod inter hujus saeculi scandala beatitudo nostra differtur: unde dictum est, *Si quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus.*" Lib. de patient. c. 9. n. 8.

[5]) Serm. 157. (alias 23. de verbis Apostoli) n. 6.

gradus est praecepti, reliqui sunt consilii tantum; et virtutis majoris.

4. — Patientiae opponitur per excessum *impatientia,* qua quis plus aequo ob adversa dolori indulget. Per defectum illi opponitur *insensibilitas,* cum quis nec propriis, nec alienis movetur malis.

* Tertullianus: Liber de patientia. S. Cyprianus: Liber de bono patientiae. S. Augustinus: Liber de patientia. S. Gregorius M.: In Evang. Lib. II. Homil. 35. S. Petrus Damiani: Opusc. 53. S. Bernardus: De diversis Sermo 2. (de obedientia, patientia et sapientia). B. Albertus M.: Paradisus animae cap. 4. (Ed. nova Ratisb. 1864.) S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 136. S. Franoisc. Sales.: Philothea P. III. cap. 3. S. Alphonsus: Die wahre Braut Jesu Christi I. B. cap. 4. — Lessius: De justitia ceterisque virt. card. Lib. III. cap. 2. Dub. 5. Billuart: Tract. de fortitud. Dist. II. a. 5.

S. Cyprianus de bono patientiae.

„Late patet patientiae virtus; et ubertas ejus et largitas de unius quidem nominis fonte proficiscitur, sed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur; nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem, nisi inde consummationis accipiat firmitatem. Patientia est, quae nos Deo et commendat et servat. Ipsa est, quae iram temperat, quae linguam frenat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritatis individuam caritatem. Facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias et contumelias mites. Docet delinquentibus cito ignoscere; si ipse delinquas, diu et multum rogare. Tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat. Ipsa est, quae fidei nostrae fundamentum firmiter munit. Ipsa est, quae incrementa spei sublimiter provehit. Ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per ejus tolerantiam gradimur. Ipsa efficit, ut perseveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur. — — Insistamus et elaboremus, et toto corde vigilantes atque ad omnem tolerantiam stabiles dominica praecepta servemus, ut cum ille irae et vindictae dies venerit, non cum impiis et peccatoribus puniamur, sed cum justis et Deum timentibus honoremur.“

§. 162.
De perseverantia.

1. — *Perseverantia est virtus inclinans ad persistendum in virtuosis operibus, quamdiu recta ratio persistendum esse dictat, non obstante eorum diuturnitate.* [1]) Perseverantia igitur versatur circa opera cujuslibet virtutis, quatenus sunt diuturna: vincit quippe taedium et molestiam, quae ex operum bonorum diuturnitate exoriri solent, non tantum quando sunt opera magna, sed etiam dum parva sunt; [2]) idque consequenter efficit, ut impigre perficiantur usque ad finem a recta ratione praescriptum, sive sit finis vitae, sive certi muneris. [3]) — Nemo sine speciali auxilio Dei perseverare potest usque in finem. Conc. Trid. Sess. VI. cap. 13. can. 22.

2. — Perseverantiae per excessum repugnat *pertinacia,* qua quis plus justo adhaeret suo sensui vel agendi proposito. Eam s. Jacobus impetit dicens, sapientiam, quae desursum est, *suasibilem,* esse, seu aliorum rationibus consiliisque melioribus libenter cedere. Per defectum perseverantiae adversatur *inconstantia,* qua quis sine rationabili causa a bono proposito vel opere recedit. Quam arguit idem Apostolus his verbis: „*Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.*“ Jac. 1. 8.

* S. Augustinus: Liber de dono perseverantiae. (Op. Tom. X.) S. Cyrillus Alexandrinus: Homil. 9. 12. 14. (de mentis inconstantia). B. Albertus M.: Paradisus animae cap. 16. et 42. S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 137. et 138. S. Bonaventura: Pharetra, Lib. II. cap. 34. — Lessius: De justitia etc. Lib. III. cap. 2. Dub. 6. Billuart: Tr. de fortitud. Diss. II. art. 6.

Sancti Bernardi de perseverantia admonitio.

„Et nunc quid restat, carissimi, nisi ut admoneamini de perseverantia, quae sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsus absque perseverantia nec qui pugnat, victoriam, nec palmam actor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est; nutrix

---

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 137. a. 1.

[2]) Idem q. 137. a. 3. ad 2.

[3]) Lessius: De justit. etc. Lib. III. c. 2. n. 46. et 47. Natura nostra valde volubilis atque proclivis est ad variationem, quapropter et in minimis virtutum operibus perseverare, ipsi molestiam creat. Fortiter haec compescenda naturae volubilitas, etenim *inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia.* Sap. 4. 12.

ad meritum, mediatrix ad praemium; soror est patientiae, constantiae filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui coeperit, sed qui perseveraverit in finem, hic salvus erit. Saul cum esset parvulus in oculis suis, rex est super Israel constitutus: non perseverans in humilitate, et regnum amisit et vitam. Si cautela Sampsonis, si Salomonis devotio perseverantiam retinuisset, nec is profecto privaretur sapientia, nec ille viribus. Hoc summae honestatis insigne, hanc totius probitatis unicam fidamque custodem, custodiri a vobis firmiter hortor et precor.“ [1])

Sectio III.

De temperantia et virtutibus ei cognatis.

A. De temperantia.

§. 163.

Ejus notio et partitio.

1. — Temperantia *generice* accepta est moderatio, quam ratio affectibus actibusque humanis imponit. *Specifice* intellecta, ut hic consideratur, est virtus moralis, quae appetitum delectationum, ex cibo potuque, nec non ex venere orientium, juxta rectam rationem refraenat; ac proinde *abstinentiam*, *sobrietatem* atque *castitatem* veluti partes integrales complectitur. [2])

2. — Idcirco proxime 1. de temperantia cibi et potus, seu de abstinentia et sobrietate, vitiisque oppositis, deinde 2. de temperantia voluptatis venereae seu de castitate, deque vitiis contrariis sermonem instituemus.

[1]) Epist. 129. n. 2.

[2]) Vid. d. Thom.: 2. 2. q. 141. a. 1. et sq.

Sancti Patres temperantiam mox latiori, mox strictiori sensu accipiunt. S. Ambrosius observat: „in temperantia maxime — studium mansuetudinis, moderationis gratia, honesti cura, decoris consideratio spectatur et quaeritur.“ De offic. Lib. I. c. 43. n. 219. S. Augustinus „Munus ejus est in coërcendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quae nos avertunt a legibus Dei et a fructu bonitatis ejus.“ De moribus Eccl. cath. cap. 19. n. 35. „Temperantia est affectio coërcens et cohibens ab eis rebus, quae turpiter appetuntur.“ Lib. I. de lib. arbitr. cap. 13. n. 27.

De abstinentia et sobrietate, deque vitiis oppositis.

§. 164.

De abstinentia et sobrietate juxta legem naturalem servanda.

1. — Abstinentia, ut ex praedictis constat, appetitum et usum cibi, sobrietas appetitum et usum potus inebriantis secundum legis divinae praescriptum moderatur. [1])

Apostolus Petrus monet, *in scientia esse ministrandam abstinentiam* (2. Petr. 1. 6.); scilicet homo scite seu prudenter debet abstinentiam observare, tenendo mensuram a recta ratione indicatam. Mensura abstinentiae nec non sobrietatis est *necessitas vitae et officiorum*, seu tantum sumere licet, quantum ad vitam sustentandam et implenda officia requiritur. Probatur 1. ex ratione, quia juxta d. Thomam, [2]) omnia delectabilia, quae in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitae necessitatem. Confirmatur 2. ex s. scriptura: Prov. 27. 26. 27. Eccli. 29. 28. 1. Tim. 6. 8., nec non ex dictis ss. Patrum. [3]) — Necessitas autem illa, in qua abstinentiae mensuram reponimus, latius est accipienda; etenim cibo potuque uti licet, non tantum, ut absolute sed etiam, ut commode et tuo statui convenienter vivere officiaque obire possis; id, quod omnes doctores Catholici tradunt. [4])

Plus cibi sumere, quam ad illum finem expediat, peccatum est. Minus autem subinde sumere ob piam causam, v. c. ob carnis mortificationem, vel satisfactionem pro peccatis, laudabile est, etiamsi

[1]) Vide d. Thom.: 2. 2. q. 146. a. 1. et 2. (de abstinentia); q. 149. a. 1. et 2. (de sobrietate).

[2]) 2. 2. q. 141. a. 6.

[3]) Sic s. Augustinus ait: „*Habet vir temperans in hujusmodi rebus mortalibus et fluentibus, vitae regulam utroque testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet: sed ad vitae hujus atque officiorum necessitatem, quantum sat est, usurpet utentis modestia, non amantis affectu.*“ De moribus Eccl. cath. cap. 21. „*Hoc me docuisti* (Domino), *ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.*“ Confess. Lib. 10. c. 31. S. Gregorius M.: „Ea itaque sumenda sunt, quae *naturae necessitas* quaerit, et non, quae edendi libido suggerit.“ Lib. 30. Moral. c. 27. n. 61. S. Bernardus ait: „*videtur non omnino absurde definire temperantiam, qui hanc non praecidere necessitatem, nec excedere dicat juxta illud philosophi: Ne quid nimis.*“ De consid. Lib. I. cap. 8. n. 9.

[4]) Jam s. Augustinus dicens: „Non interest omnino, scilicet ad virtutem, quid alimentorum vel quantum quis accipiat, dummodo id faciat *pro congruentia hominum, cum quibus vivit, et personae suae*, et pro valetudinis suae necessitate.“ Lib. 2. Quaest. Evang. cap. 11. S. Thom.: 2. 2. q. 141. a. 6. ad 2. et 3. Lessius, Laymann etc.

vires corporis imminuantur; modo tamen valetudo non nimis frangatur, nec mens ad suas functiones ineptior reddatur. Ea quippe optima est corporis valetudo, quae optime ad animae salutem et ad Dei gloriam servit.

2. — Hactenus dicta spectant naturalem abstinentiae legem. Ecclesiastica autem lege adhuc alia mensura cibi certis anni diebus servanda praescribitur. Duplex siquidem datur praeceptum Ecclesiae, unum de abstinentia a certa quantitate et qualitate ciborum seu de jejunio; alterum de sola abstinentia a certa qualitate ciborum seu de abstinentia a carnibus. Utrumque modo opportune exponere intendimus.

§. 165.

De jejunio ecclesiastico.

Quaeritur hic 1. de essentia et obligatione jejunii, 2. de causis a jejunio excusantibus.

I. De essentia et obligatione jejunii.

1. — Quadruplex distinguitur jejunium: 1. *spirituale,* quod est abstinentia a peccatis; [1]) — 2. *naturale,* in abstinentia a quocunque cibo potuque consistens, quod ad dignam ss. Eucharistiae susceptionem a tempore mediae noctis requiritur; — 3. *morale,* sub quo intelligitur moderatio in cibo potuque sumendo juxta legis naturalis praescriptum; — 4. *ecclesiasticum,* quod est abstinentia cibi Ecclesiae praeceptis definita.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Jejunium in genere ab ipsa lege naturali praecipitur. Jejunium enim multum inservit ad cupiditates carnis

[1]) De hoc Dominus per prophetam ait: *„Nonne est hoc majus jejunium, quod elegi? dissolve cogitationes impietatis.“* Isai 58. Eodem sensu frequenter ss. Patres jejunium accipiunt. S. Augustinus dicit: *„Jejunium magnum et generale est, abstinere ab iniquitatibus.“* In Joa. Tr. 17. S. Basilius: „Verum jejunium est, ab omnibus vitiis esse alienum.“ Hom. I. de jejunio. S. Bernardus: In Quadr. Serm. III. n. 4. eleganter ostendit, quomodo singulis membris et sensibus jejunium sit indicendum. Ecclesia feria VI. infra Hebd. tert. Quadrag. sic precatur: *„Jejunia nostra quaesumus Domine, benigno favore prosequere, ut sicut ab alimentis abstinemus in corpore, ita a vitiis jejunemus in mente.“* Similiter fer. II. infra Hebd. secund. Quad., et al.

reprimendas, ad satisfaciendum pro peccatis, ad mentem liberius sursum elevandam; ideo unusquisque ex naturali ratione tantum jejunio uti tenetur, quantum sibi necessarium est ad praedictos fines. Ecclesia per suam legem solum modum et tempus jejunii determinavit. *„Non quasi subjecit praecepto id, quod sit supererogatorium, sed in speciali determinavit id, quod est necessarium in communi.“* Ita Angelicus Doctor. [1]) Hinc jejunii violatoribus et osoribus, quorum magnus reperitur numerus, declarandum jejunantes rationabiliter agere, jejunium negligentes irrationabiliter vivere.

3. — **Principium II.** Juxta Ecclesiae praescriptum, quod de Apostolica traditione prodire perhibetur, [2]) jejunium servari debet tempore Quadragesimae, quatuor temporibus, et quibusdam Vigiliis. Idque omnino convenienter. Videlicet jejunium quadragesimale institutum est, ut illud jejunium, quod Christus nostri causa suscipere dignatus est, modo quo possumus, imitemur, ut ad solemnitatem paschalem nos rite praeparemus, cum Christo spiritualiter moriamur et resurgamus; jejunium quatuor temporum, ut Deo debitas gratias pro beneficiis acceptis agamus, peccata commissa expiemus, et praesertim, ut dignos Ecclesiae ministros a Deo impetremus; denique jejunium Vigiliarum ordinatum est, ut festa ventura digne et devote celebremus, atque si Sanctorum festa aguntur, illorum exemplis excitati carnem affligamus ad gloriam coelestem cum ipsis adipiscendam. [3])

Denique in nonnullis regionibus, uti in imperio Austriaco, ad compensanda jejunia quarundam Vigiliarum suppressa a P. M. Pio VI. indictum est jejunium tempore Adventus, bis nempe feria 4. et 6. in hebdomada servandum.

4. — **Principium III.** Jejunium Ecclesiasticum tribus quasi partibus constat, scilicet 1. unica refectione per 24 diei horas, vespertina refectiuncula adjecta, — 2. abstinentia a carnibus et lacticiniis, — et 3. tempore ad refectionem sumendam determinato. — Jentaculum sumere per se non licet, nisi ex consuetudine legitima vel expressa dispensatione sit permissum. Nunc de singulis jejunii partibus agendum.

[1]) 2. 2. q. 147. a. 3. c. et ad 1.

[2]) Sic sanctus Leo M.: Serm. 74. (De Pentec. 2.) cap. 9. Serm. 71. (de jejunio Pentec. 1.) cap. 1. Serm. 77. (De jejunio Pent. 2.) cap. 1., et alii passim ss. Patres.

[3]) S. Thomas: 2. 2. q. 147. a. 5.

A. De unica refectione et collatione serotina.

5. — I. Praeceptum unicae refectionis obligat sub gravi, cum versetur circa opus virtutis in genere suo grave. Confirmatur ex propositione 23. ab Alexandro VII. damnata, quae sic sonat: *Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere praecepto.*

II. Nec licet ordinarie loquendo, in die parum cibi sumere, ut patet ex propositione 29. ab Alexandro VII. censura confixa: *in die jejunii qui saepius modicum quid comedit (etsi notabilem quantitatem in finem comederit), non frangit jejunium.* Quae quidem propositio merito est damnata, secus enim eluderetur jejunii lex.

Porro parvae comestiones, quae interdiu fierent, seorsim sumptae, peccata venialia forent; ast saepius repetitae eodem die in materiam gravem coalescerent ideoque grave peccatum constituerent.

Quantitas duarum unciarum quoad cibos esuriales et octavae partis unciae quoad carnem ut materia levis communiter habetur.

III. Non frangitur jejunium haustu potionum, quamvis fideles primis Ecclesiae temporibus a vino, et similibus liquoribus extra tempus legitimum abstinere juberentur, ut testantur plures Patres. [1]) Hinc axioma ab omnibus admissum: *Liquida non frangunt jejunium.*[2])

6. — Ad cognoscendum in particulari, an aliquid die jejunii extra refectionem sumere liceat vel non, sequentia attendantur: 1) Id omne, quod per se ac principaliter ordinatur ad nutritionem, *cibi* nomine venit, et consequenter vetatur, sive comedendo, sive bibendo, sive sorbendo sumatur. Quod autem cibi vehiculum est et

[1]) S. Chrysostomus, s. Basilius, s. Hieronymus etc. Idem ex sancti Fructuosi Episcopi Tarraconensis ac Martyris historia confirmatur; qui (sicut Prudentius hymno sexto testatur) cum ad mortem raperetur, haustum aquae frigidae constanti animo recusavit, eam ob causam, quod illo die jejunium ageretur, cujus solvendi nondum tempus advenerat. Vide Benedict. XIV.: Institutiones Eccl., Inst. XV. Idem patescit ex eo, quod nobis narrat Rufinus Lib. 2. de Vitis Patrum cap. 31. his verbis: *Discipulus Sylvani invenit aquam, et volebat bibere. Cui Abbas Sylvanus: Zacharia, jejunium est hodie.* Alia adhuc de hoc argumento profert Natalis Alexander cap. 5. de tertio Decalogi praecepto art. 7. regula 14.

[2]) Angelicus dicit: „Non autem intendit. Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis et digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat; et ideo licet pluries jejunantibus bibere; si quis autem immoderate potu utatur, potest peccare, et meritum jejunii perdere.“ 2. 2. q. 147. a. 6. ad 2. S. Alph.: Th. m. L. IV. n. 1022. Benedictus XIV. op. cit. Inst. XV.

ejusdem digestionem juvat, *potus* dicitur adeoque licite sumi potest. [1]) 2) *Compositum* ex potu et aliis rebus, quae naturam cibi habent, tunc sumi licite potest, quando principale est potus, accessorium, quod rationem cibi habet, in parva tantum quantitate illi admistum atque in illud prorsus dissolutum est, ita ut propriam naturam amisisse videatur; tunc enim totum rationem potus habet. [2]) 3) *Congelatio* non immutat naturam rei, quod confirmatur ex Rubr. Missae cap. 10. n. 11., ubi praecipitur, ut si sanguis congeletur in calice, liquefiat et sumatur; quare id, quod in statu dissoluto sumere licet, in statu etiam congelato sumere permittitur et vice versa. [3])

Unde deducitur:

7. — 1. Non frangit jejunium haustus vini vel cerevisiae vel similium liquorum, quia cibus, non potus interdicitur; et hoc valet, licet bibatur ad sedandam famem, ut s. Alphonsus [4]) cum aliis communiter docet, quia intentio sumentis non mutat rationem potus. An autem licet, ante potum aliquid cibi degustare ne potus noceat? Respondet s. Alphonsus, hoc vix permitti posse semel vel iterum in die. [5])

2. Frangitur jejunium sumendo lac vel jusculum et similia, quia sive sorbeantur, sive comedantur, non potus, sed cibi rationem habent, cum per se et principaliter referantur ad nutritionem. [6]) Serum autem lactis habetur ut simplex potus, vel potius uti medicina.

3. Nec sumere licet succos pomorum et aliorum fructuum, neque uvarum dentibus confectarum, quia non sunt ciborum vehicula, adeoque non potus, sed cibi rationem habent. [7]) Mustum autem de uvis expressum non minus quam vinum bibere licet; quia est substantialiter vinum, ex Rubr. Missae *de defectu vini* n. 2., ubi mustum illicita quidem, sed valida materia consecrationis edicitur.

4. Non frangit jejunium potus cafaei et theae, nisi magna lactis et sacchari copia admisceatur, quia haec non habent naturam cibi,

[1]) Bellarminus: Lib. II. de bonis operibus cap. 1. S. Thom. loco supra citato. S. Alph. n. 1021. et n. 1022. et alias occasionaliter.

[2]) Cf. S. Alph. n. 1022. Quaer. II.,

[3]) S. Alph. n. 1022. Quaer. II.

[4]) Theol. n. 1022. H. A. Tr. XII. n. 13. — Reuter: Par. II. n. 175.

[5]) Th. mor. n, 1018. H. A. n. 11.

[6]) Th. mor. n. 1021.

[7]) S. Alph. n. 1021. H. A. Tr. XII. n. 12.

sed potus.[1] Idem dicendum de potu aquae mixtae saccharo, vel e succis aureorum aut citreorum malorum effectae; „certe enim, ait s. Alphonsus, si cum parva quantitate aquae magna rerum harum quantitas misceatur, jejunium frangitur; secus, si parva quantitas cum magna quantitate aquae, quia tunc judicantur isti veri potus, eo quod alia, quae cum aqua miscentur, ita liquefiunt, ut videantur propriam naturam amisisse.“[2]) Cf. n. 6.

Similia etiam congelata sumi possunt, quia congelatio non mutat rei naturam, coll. n. 6.

6. Potio chocolati frangit jejunium, si in lacte decoquatur, vel si magna ejus quantitas in aqua dissolvatur, quia cibus est, non potus. Sed ratione medicinae et consuetudinis (quae tamen apud nos non viget), juxta s. Alphonsum[3]) potest semel in die permitti, dummodo in modica quantitate aquae immittatur. Imo sub hac restrictione non amplius cibus, sed potus esse videtur.[4]) Cf. n. 6. et supra sub 5.

7. Electuaria, seu ea, quae ex electis rebus, v. g. ex saccharo et junipero conficiuntur, rationem cibi habent, quapropter sumi nequeunt, nisi per modum medicinae, v. c. ad stomachum confortandum, vel ne deficiant vires, quando prandium differri debet ultra horam communem.[5])

8. — Praeter refectionem licitum est, nullo quidem canone suffragante, sed consuetudine legitima favente, sub vespere refectiunculam seu *collationem* sumere. Haec a monachis coepit, qui quippe totum diem laboriosis operibus impendentes, antequam sub vespere

---

[1]) Idem: H. A. Tr. XII. n. 12. Theol. mor. n. 1019.

[2]) Th. m. n. 1022. Quaer. II.

[3]) Th. mor. n. 1023. H. A. Tr. XII. n. 15.

[4]) Benedictus XIV. scribit: „Theologi salvum et integrum jejunium, licet qualibet per diem hora vinum aut aqua bibatur, unanimes declararunt; disputant tamen, utrum de chocolatis potione idem statuendum videatur, et quidem partes affirmantium tuentur; vel quia pontiones, nisi ex rebus jejunio contrariis conficiantur, illud minime violant; vel quod *chocolates, licet de ciborum genere, si aqua dissolvatur, in genus potus convertitur: vel etiam, quod exigua rei quantitas parvi aestimatur*; quibus omnibus inveteratam jam consuetudinem adjungunt unanimi consensu receptam, et ab Ecclesiasticis Praesidibus haud improbatam.“ Instit. XV.

[5]) S. Alph.: Th. mor. n. 1019.
Qui duplicem in die refectionem sumpsit, non videtur graviter peccare, si tertiam superaddat; quia cum essentia jejunii in unica comestione sita sit, post binam refectionem jejunium impossibile evadit; attamen qui sic agit, contra finem praecepti, nempe carnis mortificationem, agit, ideoque ab omni culpa excusari nequit. S. Alph. n. 1030. q. 1. et 2.

ad pium conventum (conferentiam seu collationem) accederent, tempore jejunii sitim aqua parum sublevare, ac subinde exiguum panis frustulum adjungere coeperunt ad vires reficiendas; qui mos subinde a fidelibus est adoptatus atque demum eo devenit, ut sub collationis nomine institueretur refectiuncula vespertina.[1])

Quod attinet quantitatem cibi in coenula permissam, communiter dicunt, *octo circiter uncias* apponi posse, etiam iis, qui illas accipiendo ad satietatem reficiuntur.[2]) Alii vero permittendam putant quartam coenae partem. Sed haec sententia nimis vaga est; laxior enim vel rigidior esse potest.[3]) — Quodsi quis in collatione excederet ad duas uncias, coll. n. 5. graviter non peccaret.[4]) — Ex consuetudine in quibusdam locis inducta, quantitas duplo major permittitur in Vigilia Nativitatis et Sabbato ante festum Resurrectionis Domini.

Quod *qualitatem* ciborum attinet, Theologi parum conveniunt: multi censent, nihil referre, quales cibi sumantur, dummodo non sint carnes et lacticinia; alii permittunt tantum cibos leviores, cum pane fructus, olera, pisciculos, vel etiam majores pisces, modo 2 vel 3 unciarum pondus non excedatur. Verum spectanda est probata consuetudo vel dispensatio; plura enim in nonnullis dioecesibus permittuntur, quae in aliis interdicuntur.

Collatio ordinarie sumenda est vespere: ita enim habet consuetudo; quapropter ille, qui sine causa notabiliter eam anticiparet, peccatum committeret, sed probabilius tantum veniale.[5])

B. De abstinentia a carnibus in jejunio.

9. — I. Ecclesia diebus jejunii fidelibus omnibus ratione utentibus interdicit esum carnis; et convenienter quidem, quia jejunium ab Ecclesia institutum est ad reprimendas carnis concupiscentias, quas caro maxime excitat. Ita s. Thomas.[6])

Nomine autem carnis veniunt omnia animalia in terra viventia et respirantia, ut cum d. Thoma[7]) communiter Theologi tradunt. Hinc ad discernendum, quae animalia reputanda sint carnes, attendi debet, an diu extra aquam vivant; magis tamen, ut ait s. Alphonsus,[8]) attendenda est communis aestimatio fidelium ac peritorum.

---

[1]) Benedictus XIV. Instit. XV.

[2]) S. Alph. n. 1025.

[3]) Idem l. c.

[4]) Idem l. c.

[5]) Reuter: P. II. n. 174.

[6]) 2. 2. q. 147. a. 8. c.

[7]) 2. 2. q. 147. a. 8. c.

[8]) Th. m. Lib. IV. n. 1011.

Communiter non censentur prohibitae limaces, testudines, ranae, locustae, cancri, ostricae, conchae, cammeni. Idem dicitur de lutris, castoribus, fibris. Inter aves carnibus adnumerantur fulicae, anates ferae, corvi marini. [1]) In dubio examinetur, utrum animal sit simile vel dissimile illis, quorum esus interdictus est, et an validius nutriat. Et si adhuc res dissolvi nequeat, ad Sedem Apostolicam deferenda est. Ita fieri vult P. M. Benedictus XIV. [2])

II. Tempore Quadragesimae praeter carnem prohibentur simul ova et lacticinia, ut constat ex praxi Ecclesiae et ex propositione 32. ab Alexandro VII. damnata, quae sic jacet: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget.* [3]) De quo praescripto perbene animadvertit Doctor Angelicus: *„Ova et lacticinia jejunantibus interdicuntur, in quantum sunt ex animalibus exorta carnes habentibus. Unde principalius interdicuntur carnes, quam ova et lacticinia. Similiter etiam inter alia jejunia solemnius est quadragesimale jejunium: tum, quia observatur ad imitationem Christi, tum etiam, quia per ipsum disponimur ad redemptionis nostrae mysteria devote celebranda; et ideo in quolibet jejunio interdicitur esus carnium, in jejunio autem quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova et lacticinia.“* [4])

Itaque in jejunio quadragesimali, et *in hoc quidem solo* abstinendum est ab ovis et lacticiniis; jure enim communi obligatio, extra Quadragesimam quoque ab his abstinendi, probari nequit, ait

---

[1]) S. Alph. l. c. Scavini etc.

[2]) De Synodo Dioecesana Lib. 11. cap. 5. n. 12.

[3]) Hinc plane superflua videtur disputatio, utrum abstinentia ab ovis ac lacticiniis per Quadragesimae dies observanda ex consuetudine antiqua vel ex jure positivo descenderit. Juri tribuendum nonnulli existimant, adducti responsione s. Gregorii ad s. Augustinum Angliae Apostolum, quam canon *denique* dist. 4. commemorat: *„Par autem est, ut nos, qui bis diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quae sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo et ovis.“* Insuper Trullani Concilii in medium proferunt auctoritatem, quod a. 681. coactum Can. 56. ita decrevit: *„Visum est ergo, ut omnis Dei Ecclesia, quae est in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens, jejunium perficiat et abstineat, sicut ab omni mactabili, sic ab ovis et caseo, quae quidem sunt fructus et foetus eorum, a quibus abstinemus.“* Alii vero arbitrantur, ejusmodi abstinentiam non posse alia ratione, quam diuturna consuetudine confirmari. Nam s. Gregorii verbis consilii vim concedunt non praecepti; Trullano autem Concilio nullam fidem habendam affirmant. Cum tamen hanc abstinentiam consuetudini acceptam retulissent, ac deinde perscrutari coepissent, an ipsa legis vim habeat, Alexander VII. inter ceteras sententiam supra commemoratam n. 32. proscripsit. Sic Benedictus XIV. Instit. 16.

[4]) 2. 2. q. 147. a. 8. ad 3.

s. Alphonsus [5]) cum sententia communi; quodsi tamen alicubi talis vigeat consuetudo vel lex specialis, observanda est sub gravi, cum materia sit gravis, ut idem sanctus Ecclesiae Doctor addit. [2])

Abstinentia a lacticiniis ut a carnibus servari etiam debet diebus Dominicis Quadragesimae, qui quippe nulla lege eximuntur. [3]) Attamen pro his diebus unica refectio non praecipitur.

10. — III. Dispensati ad carnes sub gravi vetantur, diebus jejunii pisces cum carnibus in eadem mensa comedere. Constat ex tribus Constitutionibus Benedicti XIV., quarum una incipit: *Non ambigimus* a. 1741., altera: *In suprema* a. 1741., tertia: *Libentissime* a. 1745. Praeceptum hoc dispensatos ad carnes obligat non tantum in Quadragesima (dominicis Quadragesimae non exceptis), sed etiam omnibus aliis jejunii diebus, ut praelaudatus Summus Pontifex expresse declaravit in Bulla: *In suprema.*

Huc porro spectant sequentia s. Poenitentiariae responsa:

1. Confessarius petit a Sanctitate Vestra: an illis, quibus indulgetur esus carnium diebus Veneris et Sabbati per annum, in quibus obligatio jejunii non habetur, permissa sit permixtio ciborum, non obstante responsione Benedicti XIV. ad archiepiscopum Syracusanum per Secretarium Memorialium emissa, die 5. Januarii 1755.

S. Poenitentiaria die 15. Febr. 1834. proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI. de ipsius Sanctitatis Suae mandato respondit: *Permitti.*

2. Utrum in diebus jejunii, tempore Adventus a Pio VI. praescripti, permissis tamen lacticiniis, cui propter infirmitatem licitus est usus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium?

Resp. die 8. Januarii 1834.: *Affirmative, nempe non licere ejusmodi promiscuitatem.*

3. Utrum lege vetitae permixtionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccati (vulgo *salumi* id est *acciughe, mosciame, caviale, aringa, tarantella* aliaque his similia); an potius misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi?

Resp. die 16. Januarii 1834. *Pisces sale siccatos . . . vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.*

4. Utrum tempore jejunii, cui licitus est usus carnium, liceat miscere testacea marina, quae improprie *fructus maris* dicuntur, sed vulgo pisces censentur (id est *ostriche, telline, patelle, canolicche, cappe, granchi* etc.)?

Resp. die 16. Januarii 1834. *Testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.*

5. Illi, quibus licita est cibi qualitas, possuntne diebus jejunii vesci solo jusculo carnis, ut suae prospiciant valetudini, ac praeterea uti cibis esurialibus, ut obtemperent, quantum fieri possit, ciborum praecepto?

---

[1]) l. 4. n. 1009.

[2]) l. c. Dubit. III.

[3]) S. Alph. n. 1007.

Resp. die 8. Februarii 1828. *Affirmative.*

6. Utrum ii, qui ratione aetatis vel laboris (et infirmitatis) jejunare non tenentur, subjiciantur legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per indultum carnes permittuntur?

Resp. die 13. Febr. 1834. *Consulat probatos auctores.* [1])

C. **De hora refectionis.**

11. — Hora refectionis duodecim saeculorum spatio quoad jejunium Quadragesimale fuit vespere post solis occasum; quoad alia jejunia erat hora nona i. e. tertia post meridiem. [2]) Saeculo decimo tertio cibus in omnibus jejuniis ad horam nonam adhiberi coepit; [3]) saeculo tandem decimo quarto ad meridiem consuetudo sumendi cibum invecta est, quae nunc communi usu probatur.

Hora autem haec secundum s. Alphonsum [4]) aliosque ita obligat, ut qui eam notabiliter *anticipat* sine causa, graviter peccet, cum jejunium solvat. Excusat tamen causa levis brevem, causa gravis notabilem anticipationem a peccato. *Differre* refectionem ad vesperam, licitum est et laudabile, quia ad finem jejunii melius conducit et magis accedit ad antiquam Ecclesiae consuetudinem. [5]) Porro licite potest sumi collatio intra horam decimam et undecimam matutinam, refectio vero differri ad quartam vel quintam horam

[1]) Alii dicunt, illos, quos commemorat quaesitum, legi non subjici, quia Encyclicae Benedicti XIV. eam permixtionem prohibentes de solis jejunantibus loquuntur, illi autem jejunare non tenentur. Alii contrarium tenent asserentes, legem, quae qualitaten ciborum respicit, omnes ratione utentes obligare. Sententia prima videtur praeferenda.

[2]) Hoc testatur Micrologus: De rebus Eccl. c. 49. dicens: „*In hoc quadragesimale jejunium a ceteris differt jejuniorum diebus, quod in aliis post nonam, et in hoc post vesperam refici debemus. Nec juxta canones, quadragesimaliter jejunare censemur, si ante vesperam reficimur.*“ Et s. Bernardus ait: „*Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli; nunc* (tempore Quadragesimae) *usque ad vesperam jejunabunt nobiscum pariter universi, reges et principes, clerus et populus, nobiles et ignobiles, simul in unum dives et pauper.*“ In Quadrag. Serm. 3. n. 1.

[3]) Testis est d. Thomas scribens: „— *ut jejunans aliquam afflictionem sentiat pro culpae satisfactione, conveniens hora comedendi taxatur jejunantibus circa horam nonam. Convenit etiam ista hora mysterio passionis Christi, quae completa fuit hora nona, quando inclinato capite tradidit spiritum. Jejunantes enim dum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur, secundum illud ad Gal. 5. Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*“ 2. 2. q. 147. a. 7. c.

[4]) L. IV. n. 1016. Retract. 13. H. A. Tr. 12. n. 21. Sentit cum d. Thoma, qui in 4. dist. 15. q. 3. a. 4. ait: „*ille jejunium solvit, qui Ecclesiae determinationem non servat, unde cum Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus; qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.*“

[5]) S. Alph. l. c. Scavini p. 246.

vespertinam, „si rationabilis aliqua extet causa,“ ut s. Poenitentiaria die 19. Jan. 1834. declaravit.

12. — Prandium non absque culpa aliqua protrahi posse videtur ultra duas horas ad summum. [1])

Nec sine causa prandium notabiliter interrumpi potest, quia secus multiplicatae haberentur refectiones. Dico 1. *notabiliter*, nam si interruptio sit levis, v. c. unius quadrantis, omni culpa vacat, etiamsi absque ratione fiat; si autem interruptio sit notabilis v. c. unius horae sine causa, non caret culpa saltem veniali; quodsi valde notabilis, ut duarum horarum sine causa, a gravi nequit excusari peccato. [2]) Dico 2. *Sine causa;* si enim interruptio gravi de causa fiat, nullum est peccatum ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, ut refectio sufficiens habeatur; quia Ecclesia non intendit obligare ad diem sine sufficiente refectione transigendum. Imo probabiliter ille, qui a mensa surrexit animo non amplius quid manducandi, iterum potest ad mensam redire, si convivae adhuc comedant, vel in mensa cibus apponatur novus, quem ille ignorabat apponendum, quia adhuc moraliter idem prandium censetur. [3])

§. 166.

II. De causis a jejunio excusantibus.

1. — Loquimur hic de causis, quae ab obligatione unius refectionis servandae excusant. Hae jamvero sunt 1. dispensatio, 2. impotentia, et 3. pietas. Lex enim humana vel ob legitimam dispensationem, vel ob impossibilitatem, vel ob digniorem legem intervenientem cessat obligare.

A. **Dispensatio.**

2. — Dispensare possunt a lege unicae refectionis 1. Summus Pontifex in Ecclesia universa, 2. Episcopi in suis dioecesibus pro casibus particularibus; sed non possunt totam communitatem dispensare in lege jejunii, 3. Praelati regulares cum suis subditis, 4. parochi, sed ex consuetudine tantum, ubi viget, vel expresse episcopi permissione cum aliquo subdito ad tempus, [4]) coll. Lib. I. §. 66. n. 5.

Quodsi quaeratur, quando opus sit dispensatione, s. Alphon-

[1]) S. Alph.: L. IV. n. 1020. q. V.

[2]) Vide s. Alph. n. 1020. q. III. Gury n. 506.

[3]) S. Alph. n. 1020. Quaer. III. et IV.

[4]) Vid. s. Alph. n. 1032.

sus [1]) cum Angelico [2]) respondet: *„quod si causa, quae a jejunio eximit, fuerit evidens, potest subditus a se eximi; praesertim cum sibi non esset facile superiorem adire (ob majorem conscientiae quietem). Sed si causa est dubia, debet tunc sine dubio ad Praelatum confugere."* Hinc confessarius, quamvis potestate dispensandi in lege jejunii non gaudeat, in casu tamen particulari, in quo datur causa certo excusans, poenitenti declarare potest, eum ad unicam refectionem non teneri. Idem dicendum de abstinentia a carnibus.

B. Impotentia.

3. — Ob impotentiam *physicam* excusantur 1. infirmi, quibus jejunium potest esse notabili nocumento, et ita pariter convalescentes, aut debiles. 2. Mulieres praegnantes vel prolem lactantes, quibus etiam permissum est carnibus vesci, si ipsae sint debiles vel proles infirma. 3. Pauperes, qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat; minime tamen excusantur, qui possunt habere, quod eis sufficiat ad unam comestionem. [3])

4. — Ob impotentiam *moralem* excusantur 1. adolescentes, qui nondum expleverunt 21. annum. Suadendum tamen illis est, ut pro modo suae aetatis interdum saltem jejunent, ut facilius postmodum tempore obligationis impleto, jejunium observent. [4]) 2. Senes sexagenarii, etsi anno 60. nondum completo, cum ob virium imbecillitatem egeant cibo frequentiori. [5]) 3. Operarii, qui labores cum notabili corporis defatigatione exercent, ut agricolae, fabri, figuli etc. [6]) Et isti etiam excusantur a jejunio uno vel altero die, quo labores intermittunt ratione reficiendae lassitudinis, nisi manifeste jejunare valeant sine gravi incommodo. [7]) Item 4. famuli et alii excusantur, qui tot tantisque occupantur laboribus, ut unicam refectionem absque magna difficultate observare non valeant. [8]) 5. Etiam iter pedibus agentes per notabile tempus (per 5 horas, vel per duas horas cum magna fatigatione); attamen „si peregrinatio commode differri potest, non sunt propter haec Ecclesiae jejunia praetermittenda," Doctor

[1]) n. 1032.
[2]) 2. 2. q. 147. a. 4.
[3]) S. Alph.: L. IV. n. 1033.
[4]) Idem n. 1035.
[5]) Idem n. 1036.
[6]) Idem n. 1041—1043.
[7]) Idem n. 1044.
[8]) Idem n. 1041. Apposite s. Thomas advertit, eos a peccato immunes non esse, *qui operarios conducere nolunt, nisi ex tali pacto, ut jejunium solvant,* quo amplius laborent; *nisi forte sit causa necessaria, quae festinationem operis, pro quo laboratur, exposcat.*

Angelicus dicit. [1]) Non excusantur, qui equo vel curru iter agunt, ut patet ex propositione 31. ab Alexandro VII. damnata, [2]) nisi per plures dies cum notabili incommodo itinerentur et refectione repetita opus habeant. [3])

Hic notantum, quod ille, qui iter vel aliud opus incompossibile cum jejunio absque justa causa suscepit, postquam graviter est fatigatus, ad jejunium non tenetur, quia jam est factus moraliter impotens ad jejunandum; ast peccavit contra jejunii praeceptum operando in fraudem praecepti, cum non liceat sine gravi ratione apponere etiam indirecte causam proxime impedientem. Cf. Lib. I. §. 64. n. 4. Ita s. Alphonsus cum sententia communi. [4])

C. Pietas.

5. — *Pietatis* causa [5]) liberantur a jejunii obligatione concionatores, confessarii, scientiarum magistri; porro inservientes infirmis, medici, judices et similis conditionis homines, sed tunc tantum, quando aliter non valeant suis muneribus satisfacere. [6])

Postremo advertendum: ubi labor per se excusat, prouti arare, triturare, fodere, secare, lapides, onera gravia portare etc., in dubio praesumptio stat pro exemptione jejunii; e converso, ubi labor non per se, sed per accidens, nempe ob aliquam circumstantiam debilitatis personae vel gravitatis rei excusat, ut e. g. est concionari, confessiones audire, literas tradere etc., in dubio praesumptio stat pro obligatione jejunii. Sic sapienter s. Alphonsus [7]) observat.

* S. Basilius: Homilia I. et II. S. Ambrosius: Liber de Elia et jejunio. S. Joannes Chrysostomus: Homilia V. et VI. de Poenitentia. S. Hieronymus: Libri duo adversus Jovinianum, Lib. II. n. 5—17. S. Augustinus: Tractatus de utilitate jejunii. Serm. 205—210. (in Quadragesima). S. Leo Magnus: Serm. 11. usque ad 19. (de jejunio decimi mensis). Serm. 76—79. (De jejunio Pentecostes). Serm. 84—92. (De jejunio septimi mensis.) Serm. 38—49. (In Quadragesima.) S. Petrus Chrysologus: Serm. 7. 8. 11. 12. 13. 31. 41. 42. 43. 166. S. Bernardus: Serm. 3. et 4. in Quadragesima. [8])

[1]) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3.
[2]) Quae dicebat: *Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.*
[3]) S. Alph.: L. IV. n. 1047. Dub. 2.
[4]) L. IV. n. 1045.
[5]) Id est: ob aliquod pium charitatis aut religionis opus peragendum.
[6]) Late s. Alphons. l. 4. n. 1048. et 1049. Isti autem ideo excusantur, *quia,* ut Angelicus inquit, *non videtur fuisse intentio Ecclesiae statuentis jejunia, ut per haec impediret alias pias et magis necessarias causas.* 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3.
[7]) L. IV. n. 1049. 7.
[8]) Sancti Patres potissime de jejunii necessitate et utilitate scripserunt.

S. Thomas Aquinas: Summa Theologica 2. 2. q. 147. tota. Prospor Lambertini S. R. E. Cardinalis Archiep. Bononiensis, postea Benedictus XIV. P. M. Institutiones Ecclesiasticae; Institut. 4. (de jejunio quatuor temporum) Instit. 15. (de jejunio Quadragesimae) Instit. 16. (de abstinentia a carnibus, ejusque dispensatione) Instit. 50. (de abstinentia ab ovis et lacticiniis, eorumque relaxatione). S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. 4. n. 1004—1050. — Petr. Scavini: Theologia moralis universa Tom. I. Tract. II. Appendix Cap. II. (p. 236—256. Ed. 6. Neapoli 1855). Gury: Compendium Theologiae moralis Par. I. n. 488. et sq.

§. 167.

De abstinentia a carnibus extra jejunium.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Praeceptum Ecclesiasticum abstinendi a carnibus urget *sub gravi* praeter tempus jejunii 1. feria sexta cujuslibet hebdomadis in tota Ecclesia, nisi in hanc diem incidat festum Nativitatis Domini juxta declarationem Honorii III., [1]) et 2. Sabbato in multis locis. [2]) Dixi: *sub gravi,* quia versatur circa eximium virtutis opus; admittit tamen materiae parvitatem. Juxta s. Alphonsum octava unciae pars adhuc materia parva esse videtur. [3])

Non licet diebus esurialibus laridum et sagimen adhibere ad cibos esuriales condiendos, quia vere de substantia carnis participant; salva tamen consuetudine diversa, si alicubi vigeat. [1]) Excusantur certe pauperes ab omni peccato, qui cum butyrum emere non valeant, pinguedine liquefacta utuntur ad cibos condiendos.

[1]) Haec sunt Honorii III. (in c. *explicari*) verba: „*Respondemus, quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in sexta feria si festum Nativitatis Domini die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiae generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem abstinere volunt.*“

[2]) Abstinentia die Sabbati nulla lege communi indicta est. Eam autem „*propter humilitatem mortis Dominicae,*“ ait s. Aug. ep. 36., observavit certe saec. 4. jam Ecclesia Romana, ut discimus ex s. Hieronymo epist. 78. (al. 28.) et s. Augustino epist. 82. (al. 19.) epist. 36. (al. 86.). Ecclesiae Romanae usum sectatae quidem sunt pleraeque, non tamen omnes Occidentales Ecclesiae. Porro, quia nemo libenter diu sustinet jugum, a quo alios passim videt subtractos, tandem effectum est, ut consuetudo sacrandi jejunio diem Sabbati, in toto Occidente pedetentim defecerit, atque ita demum obsoleverit, ut s. Gregorius VII. in Concil. Romano a. 1078. cap. 8. non ausus avitam disciplinam ex integro instaurare, satius duxerit, fideles *commonere*, ut ab carnium esu ea die abstinerent. Demum Innocentius III. in Cap. *Consilium*, ab Episcopo Bracharensi interrogatus de illis, qui propter debilitatem in Sabbato carnes sumunt, ei rescripsit: *Respondemus, quod super hoc consuetudinem tuae regionis facias observari.* Si vero solam loci consuetudinem spectandam voluit, non obscure profecto insinuavit, nullam ea de re extare Ecclesiae praeceptum. Hinc communiter apud Doctores invaluit opinio, licere die Sabbati carnes comedere, ubicunque earum esus a recepta consuetudine non est interdictus. Ex Benedicti XIV. op. De Syn. Dioec. Lib. XI. c. 5. Vide etiam Laym. l. 4. Tr. 8. c. 2. n. 2.

[3]) Th. m. n. 1029.

2. — **Principium II.** Praeceptum hoc obligat (diebus abstinentiae, sicuti diebus jejunii) omnes baptizatos rationis compotes, etiamsi septennium nondum attigerint, ut sententia communior tradit. [2]) Lib. I. §. 53. n. 5.

3. — A carnis abstinentia excusant 1. dispensatio legitima, et 2. impotentia physica et moralis.

1. *Dispensatio.* Equidem dispensare possunt 1) summus Pontifex cum omnibus fidelibus, 2) Episcopus cum suis subditis in particulari; etenim dispensare cum integra civitate, populo vel communitate circa qualitatem ciborum Sedi Apostolicae reservatum est, ut elucet ex Constitutione Benedicti XIV., quae incipit *Non ambigimus,* et ex altera, quae incipit *Libentissime;* [3]) 3) parochus in particulari casu ad unum alterumve diem, si alicubi consuetudo legitima ipsis hanc facultatem tribuit; 4) superiores regularium cum suis subditis.

2. *Impotentia physica et moralis.* Hinc excusantur 1) pauperes mendicantes, qui quippe edere possunt, quidquid eleemosynae accipiant; nec non operarii pauperes, quibus saltem laridi usus concedi potest ad cibos licitos parandos. [4]) 2) Aegrotantes ac stomacho debiles, qui nimirum cibis esurialibus vesci nequeunt sine gravi incommodo; ex qua ratione etiam mulieribus praegnantibus vel lactantibus esus carnium quandoque licitus esse potest. 3) Uxores, quae secus gravem maritorum paterentur indignationem, modo abstinentia a marito non prohibeatur in contemptum religionis vel legis ecclesiasticae. 4) Famuli et operarii, quibus non praebentur cibi liciti, si dominum nequeunt relinquere sine gravi incommodo; sedulo tamen aliud servitium quaerere tenentur, in quo possint abstinentiae legem observare. 5) Viatores, qui praeter cibos vetitos nihil in cauponis inveniunt, neque alio facile divertere possunt. Serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur. [5])

[1]) S. Alph. n. 1010.

[2]) Idem n. 1012.

[3]) Vide S. Alph.: H. A. Tr. XII. n. 22. Conferunt Facultates sic dictae quinquennales a s. Congregatione de propaganda Fide dari solitae (sub. n. 19.) episcopis potestatem, *dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore jejuniorum et quadragesimae.*

[4]) S. Alph. n. 1008.

[5]) Sic quoad viatores Gury n. 487. 5.

4. — His subjungimus varia responsa s. Poenitentiariae super abstinentia extra jejunium et in jejunio.

1. „An Patresfamilias, tum cum in ipsa sua familia adest aliqua persona dispensata super usu carnium, possint extendere dispensationem indiscriminatim ad omnes personas ejusdem familiae."

Resp. *Infirmitatem et aliud quodcumque rationale impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus.*

2. „An in Quadragesima, cum Patrifamilias facultas sit edendi carnes, et idem non possit, vel nolit duo parare prandia alterum carnium, et alterum juxta abstinentiae legem (italice dicebatur *di magro*), filiifamilias, ceterique ejusdem servitio addicti possint carnes edere."

S. Poenitentiaria 19. Jan. 1834. respondit: *Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis; et de unica comestione in die iis, qui jejunare tenentur.*

3. „An vi responsionis S. Poenitentiariae hisce verbis conceptae-*Personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis etc.* — dispensato Patrefamilias, intelligi debeant dispensati etiam ceteri ejusdem familiae."

Resp. *S. Poenitentiaria nunquam declaravit dispensationes concessas capiti familiae extendi ad totam familiam; sed tantum dedit directiones pro confessariis in actu practico circa eos, qui sub potestate sunt, et debent vesci cibis a parentibus datis.* [1])

4. „An ratio, propter quam filii familias uti possunt cibis vetitis a Patrefamilias exhibitis, sit eorum impotentia physica sive moralis observandi praeceptum; seu potius indultum, quo gaudet Paterfamilias."

Resp. *Ratio permissionis, de qua in quaesitu proposito sermo, non est indultum patrisfamilias; sed impotentia, in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum.*

5. „Possuntne filiifamilias edere carnes tempore vetito, praesupposita ejusmodi facultate in ipsis parentibus, vel in horum uno; et in casu affirmativo, possuntne filii edere carnes sine offensione conscientiae, cum reperiantur in circumstantia duo prandia parandi?"

Responsum est die 20. Aprilis 1865: *Negative: loquendo speculative, practice vero Confessarius dijudicare tenetur.*

6. „An illi, qui dispensantur super observantia jejunii, ob exercitium laboriosae artis in Quadragesima, cum indultum concessum est vescendi carnibus, et lacticiniis (pro unica comestione), possint uti carnibus et lacticiniis quoties per diem edunt, sicut diebus dominicis, quibus jejunium non praecipitur."

S. Poenitentiaria de mandato felicis recordationis Pii Papae VII, respondit: *Fideles, qui, ratione aetatis vel laboris, jejunare tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus, aut lacticiniis per idem indultum permissis, quoties per diem edunt.* Datum Romae in S. Poenitentiaria die 16. Jan. 1834.

---

[1]) Responsa quae dantur a S. Poenitentiaria plerumque solent esse quaedam normae, quibus uti debent Confessarii, eas applicando casibus, secundum circumstantiarum varietatem.

§. 168.

Praeclara Concilii Provinciae Viennensis (1858.) commonitio. [1])

„Nostris temporibus dispensationibus indulgenter concessis antiquior jejuniorum vigor ita temperatus est, ut ex pia corporis afflictione parum remaneat. Attamen vel in minimis jucundi aut commodi quidpiam Dei intuitu sibi negare animum confirmat, et ad patriam, quam in coelis habemus, erigit; nihil tamen exile haberi, a quo Dei intuitu abstinere nimium non videatur, fidei emortuae documentum est. Igitur praecepto Ecclesiae meritum obedientiae ac sui abnegationis populo christiano lucrandum proponitur; attamen majorem quoque dignitatem temporum ratio jejunii ecclesiastici observantiae addit; *fidei catholicae professio est,* cui se subducere nemo tutum censeat memor Domini dicentis: „Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est." [2]) Haec parochi et confessarii fidelibus opportunis commonitionibus ante oculos ponant, ut eos pudeat, escam corruptibilem animae suae saluti et Dei honori anteponere."

§. 169.

De gula.

1. — *Gula* a d. Thoma definitur *appetitus inordinatus edendi et bibendi.* [3]) Excessus in edendo dicitur *commessatio,* quae adversatur abstinentiae; excessus in bibendo rationem perturbans est *ebrietas,* quae sobrietati repugnat. [4]) Utrumque severe prohibet Apostolus dicens: „*Sicut in die honeste ambulemus, non in commessationibus et ebrietatibus* — —." Rom. 13. 13.

Gulae vitium quinque modis committitur. Nimirum excessus seu inordinatio in cibo potuque capiendo contingere potest: 1) quoad *quantitatem* cibi et potus, plus sumendo, quam conveniat; — 2) quoad *qualitatem,* cibum vel potum nimis exquisitum vel pretiosiorem appetendo, quam status et conditio personae permittat; — 3) quoad *tempus,* saepius quam expedit, vel tempore non competente sine rationabili causa edendo vel bibendo; — 4) quoad *modum* sumendi, dum nimis ardenter et praepropere cibus potusve capitur; — et

---

[1]) Tit. IV. cap. 11.

[2]) Matth. 10. 32.

[3]) 2. 2. q. 148. a. 1.

[4]) S. Thomas: „*Ebrietas continetur sub gula, sicut species sub genere. Dividitur enim gula in commessationem et ebrietatem, quae prohibet Apostolus Rom. 13.*" 2. 2. q. 150. a. 1. c.

5) quoad *finem*, edendo vel bibendo solius delectationis causa. Licet quidem *cum* voluptate, sed non *ob solam* voluptatem edere et bibere, quia voluptas cibo et potui ab auctore naturae indita est non ut finis, sed tamquam medium, ut nimirum homo ad ea sumenda alliceretur vitamque suam sustentaret; quapropter ob voluptatem tamquam finem cibum potumve sumere, est invertere naturae ordinem. Idem pariter docent ss. Patres.[1] Merito igitur ab Innocentio XI. damnata est haec n. 8. propositio: *comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus uti.* Cf. Lib. I. §. 101. n. 5.

2. — Tametsi gula inter capitalia vitia numeretur (Lib. I. §. 134. n. 5.), *per se* tamen non est nisi veniale peccatum, quia versatur circa res per se indifferentes et honeste appetibiles. Mortale tamen peccatum censetur 1. si gulae causa graviter violentur praecepta Ecclesiae de abstinentia vel jejunio, 2. si per eam valetudini grave inferatur detrimentum, 3. si grave scandalum exinde sequatur, 4. si ineptitudo ad officia gravia implenda dehinc proveniat, et 5. si finis ultimus in cibi potusque delectatione ponatur, ita, ut venter pro Deo habeatur (Phil. 3. 19.), et non Christo Domino, sed ventri serviatur.[2] Sic s. Alphonsus[3] et alii communiter docent cum d. Thoma.[4]

3. — Quod specialiter *ebrietatem* attinet, haec sane mortalis censeri debet, ubi *perfecta* est, nempe pertingens usque ad totalem

---

[1]) S. Augustinus scribit: „Alimentorum sustentaculis indigemus; si suavia non sunt, quae sumuntur, nec sumi possunt, et nauseando saepe respuuntur: non solum ergo cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas nostri corporis: non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem. Cum ergo natura quodammodo poscit supplementa, quae desunt, non vocatur libido, sed fames aut sitis, cum vero suppleta necessitate amor edendi animum sollicitat, jam libido est, jam malum est, cui cedendum non est, sed resistendum.“ Contra Julian. L. IV. c. 14. n. 6. 7. S. Gregorius M. ait: „Ea quaerenda sunt, quae naturae necessitas quaerit, non quae edendi libido suggerit. Sed magnus discretionis labor est, huic exactori aliquid impendere, et aliquid denegare. Plerumque contingit, ut refectionem corporis, quam salutis causa cepimus, causa voluptatis expleamus.“ Lib. 35. Moral. c. 20. n. 49.

[2]) De hujusmodi hominibus non inepte dicit Tertullianus: „quorum Deus venter est, quorum fides in culina calet, charitas in olla fervet, et tota spes in ferculis jacet.“ S. Joa. Chrysost. ait: „Non vita est propter cibum et potum, sed propter vitam cibus et potus. Ne ergo invertamus ordinem, neque sic ventri et carnis voluptatibus serviamus, quasi eam ob causam facti simus.“ Homil. 22. in c. 6. Genes. n. 7.

[3]) L. II. n. 73.

[4]) 2. 2. q. 148. a. 2.

rationis perturbationem.[1] Constat 1. ex s. scriptura „*Neque ebriosi — regnum Dei possidebunt.*“ 1. Cor. 6. 10. Vide etiam Gal. 5. 21. Isai. 5. 11. Constat 2. ex ratione; nam homo sic graviter violat ordinem ad semetipsum et ultro se projicit ad brutorum conditionem.[2] — Probabilius autem est veniale tantum peccatum ebrietas *imperfecta*, quando nimirum homo per eam usu rationis non penitus destituitur. Ita communiter docent cum s. Alphonso.[3]

4. — Quaeritur I. *An unquam liceat semetipsum inebriare?*

Resp. 1. *Directe* intendere ebrietatem, prorsus illicitum est, utpote intrinsece malum.[4] Hinc tibi non liceret voluntarie inebriari, quamvis mortem quis tibi minaretur, nisi bibere velles ad ebrietatem. Nec cuidam licet se inebriare ad sopiendos sensus, ne dolores morbi vel operationis chirurgicae sentiat. Attamen damnanda non est praxis medicorum, qui *opium* exhibent graviter aegrotis sensus sopiendi causa. Opium enim naturam medicaminis et finem intrinsecum sensus sopiendi habet; quare si adhibeatur in aegrotis ex causa rationabili ad finem praedictum, ad quem per se est ordinatum, ejus usus illicitus non est. Idemque secundum plures dicendum videtur *de aethere aspiratione hausto*, cujus tamen usus periculis non vacat, quapropter promiscue admitti nequit. Sed vini finis non est sopire sensus atque inebriare: „*vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem, ab initio.*“ Eccl. 31. 35, adeoque vinum ad sensus sopiendos directe et per se adhiberi nequit.

2. Licitum autem est, ad morbum depellendum sumere potum, quamquam ebrietas ex eo secutura praevideatur; quia tunc rationis perturbatio per accidens et *indirecte* evenit, et ideo gravi existente

---

[1]) Signa perfectae ebrietatis indicantur apud s. Alphonsum L. II. n. 78. 7° et 8°.

[2]) S. Joa. Chrysostomus dicit: „Ebrietas caedis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiae magistra; qui hanc habet, *se non habet;* hanc qui habet, *homo non est.* — Ebrietas est daemon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, illecebra honestatis, pudoris injuria; hanc nullus noverit Christianus, ne auditu quidem sacerdos attingat, ne qui est forma virtutum, vitiorum inveniatur exemplum.“ Serm. 26. S. Ambrosius: „Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentivum insaniae, ebrietas venenum insipientiae. Haec sensus hominum mutat et formas, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes.“ Lib. de Elia et jejunio cap. 16. n. 59. Stultitiam bibulorum (quasi de nostratibus loquens) eleganter exponit op. c. cap. 12. n. 42.

[3]) L. II. n. 75.

[4]) Jam s. Augustinus ait: „*Et hanc* (sc. ebrietatem) *lex aeterna condemnat: quia cibum et potum ad ordinem naturalem non nisi gratia conservandae salutis admittit.*“ Contra Faustum L. 21. c. 44.

causa licite permitti potest. Ita *probabilius* s. Alphonsus [1]) aliique communiter.

Quaeritur II. *An sint imputabilia omnia mala, in ebrietate patrata?*

Resp. 1. *Neg.*, si nullo modo, ne in confuso quidem, fuerint praevisa, quia tunc non sunt voluntaria. Talis erat nuditas Noë, ex inculpata ebrietate consecuta. [2])

2. *Aff.*, si praevisa fuerint saltem in confuso, ob rationem oppositam. Ea autem mala reputantur praevisa, quae ebrii ordinarie committere solent, vel quae ipse ebrius alias jam expertus est in ebrietate a se fuisse commissa, nec non illa etiam, ad quae se novit propensum, si quidem in ebrietate facile in ea vitia prorumpet, ad quae valde propendet. [3])

5. — *Filiae gulae* secundum s. Gregorium M. [4]) sunt sequentes 1. Hebetudo mentis ad intelligenda vel praestanda ea, quae scire vel facere tenetur; 2. Inepta laetitia, movens ad turpes cantus, actus etc., 3. multiloquium, 4. scurrilitas in verbis et gestibus, et 5. immunditia cujuslibet generis. [5])

* S. Basilius: Homilia 14. (de ebrietate) S. Joan. Chrysostomus: Homilia contra ebriosos, Homilia de Resurrectione festo Paschatis, Homilia 1. de Statuis n. 4—5. (contra idem vitium). S. Ambrosius: De Elia et jejunio cap. 12—18. (de gula, potissime autem de ebrietate). S. Petrus Chrysologus: Serm. 26. (de ebrietate). S. Thomas Aquinas: Summa Theologica 2. 2. q. 148. (de gula); q. 150. (de ebrietate). S. Alphonsus: Theologia moralis lib. 2. n. 73—74. (de gula), n. 75—78. (de ebrietate). Leon. Lessius: De justitia ceterisque virtutibus cardinalibus Lib. 3. Cap. 3. Dub. 1. et 2. (de gula), Dub. 3. et 4. (de ebrietate). Scavini: Theologia moralis universa Par. I. Tract. IV. Disp. 2. cap. 4. Kenrick: Theol. mor. Tom. I. Tract. VII. cap. 4. n. 70—83.

§. 170.

De castitate.

1. — Castitas secundum s. Thomam [6]) dicitur a castigatione, nempe concupiscentiae, atque duplici modo, metaphorice et proprie, accipitur.

Metaphorico sensu castitas est virtus generalis consistens in

[1]) L. II. n. 76. Quaer. 1.

[2]) Vid. d. Thom.: 2. 2. q. 150. a. 4. S. Bonaventura in 2. Dist. 22. a. 2. q. 3. ad ultimum.

[3]) S. Alphons.: H. A. Tr. 8. n. 8.

[4]) Lib. 31. Moral. cap. 45. n. 88.

[5]) De conveniente earum assignatione vid. d. Thom.: 2. 2. q. 148. a. 6.

[6]) 2. 2. q. 151. a. 1. c. et a. 2. ad 2.

animi puritate ab omni dilectione et delectatione inordinata creaturarum: quo modo s. Paulus dicit: *„Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.“* 2. Cor. 11. 2., et s. Augustinus: *„Castitas animi est amor ordinatus, non subdens majora minoribus.“* [1]) Proprio sensu castitas est virtus specialis, *qua delectationes venereae refraenantur*. Ita s. Thomas. [2])

2. — Triplex castitas distinguitur: conjugalis, vidualis et virginalis.

Conjugalis est, quae abstinet a voluptatibus carnis illicitis, et secundum rectam rationem utitur licitis in matrimonio. *Vidualis* est, quae matrimonio soluto ab omni delectatione venerea abstinet. *Virginalis* est, quae ab omnibus delectationibus carnis perpetuo abstinere proponit. Virginitas quippe *formaliter* consistit in proposito, abstinendi ab omni venerea voluptate, *materialiter* in corporis integritate, „in quantum scilicet per hoc, quod quis ex proposito voluntatis abstinet a delectatione venerea, remanet integritas corporis.“ Ita Angelicus Doctor. [3]) Quae cum ita sint, per stuprum virginitatis praerogativa haudquaquam aufertur, ut etiam s. Augustinus,[4]) d. Thomas [5]) aliique omnes tradunt; sed amittitur per peccatum turpe mortale. [6])

3. — Castitas vocatur *pudicitia*, quatenus excludit impudicos aspectus, tactus, oscula, gestus, sermones. [7])

[1]) De mendacio cap. 20.

[2]) 2. 2. q. 151. a. 1. 2. et 3.

[3]) 2. 2. q. 152. a. 1. c. — „Dicendum, quod sicut supra dictum est (art. 1.), in virginitate est sicut *formale* et completivum, propositum abstinendi a delectatione venerea: quod quidem propositum laudabile redditur ex fine, in quantum scilicet hoc fit ad vacandum rebus divinis. *Materiale* autem in virginitate est integritas carnis, absque omni experimento venereae delectationis.“ 2. 2. q. 152. a. 3. c.

[4]) De civitate Dei Lib. I. cap. 18. „Quis sana mente putaverit, se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa, vel oppressa carne sua exerceatur et expleatur libido non sua; si enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi non erit, nec pertinebit ad ea bona, quibus recte vivitur, sed in bonis corporis numerabitur, qualia sunt vires, pulchritudo, etc.“

[5]) 2. 2. q. 151. a. 1. ad 2.; q. 152. a. 1. ad 3., ubi dicit: „— si contingat, quod per alium modum (quam peccatum) aliquo casu membri integritas corrumpatur, non magis praejudicat virginitati, quam si corrumpatur manus aut pes.“

[6]) S. Thomas: „Virginitas, secundum quod est virtus, numquam amittitur nisi per peccatum.“ 2. 2. q. 152. a. 3. ad 4. Lessius: De Justitia ceterisque virtutibus cardin. Lib. IV. cap. 2. Dub. XVI. n. 112.

[7]) Vide s. Thom. 2. 2. q. 151. a. 4.

PROPOSITIO I.

Bona est castitas conjugalis, melior continentia vidualis; sed optima perfectio virginalis. [1])

4. — Sic Catholici omnes. S. Cyprianus dicit: „*Pudicitia primum locum in virginibus tenet, secundum in continentibus, tertium in matrimoniis.*“ [2]) S. Hieronymus in cap. 13. Matth. scribit: „*Centesimum fructum virginibus, sexagesimum viduis, trigesimum casto matrimonio deputamus.*“ [3]) Ratio in promptu est. Etenim virginitas est perpetua immunitas ab omnibus carnis voluptatibus; viduitas est immunitas ab omnibus hujusmodi voluptatibus demum matrimonio soluto; castitas conjugalis est tantum abstinentia ab illicitis carnis delectationibus. [4])

5. — Divina fide tenendum est, statum virginitatis et coelibatum conjugio esse praeferendum; quod jam Lib. I. §. 44., ubi de praestantia consiliorum evangelicorum disseruimus, firmiter probatum est. Dictis sequentia ex Lessio [5]) addimus. *Primo:* Id est melius et Deo gratius, per quod homo magis avocatur a voluptatibus carnis et curis hujus saeculi: sed virginitas est talis juxta Apostoli doctrinam 1. Cor. 7, 32—34. *Secundo:* Id est melius et Deo carius, quod maxime praebet facultatem orandi et Deo serviendi: atqui virginitas talem facultatem praebet, et matrimonium eam impedit, ut expresse docet Apostolus: „— *hoc ad utilitatem vestram dico — ad id — quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi.*“ 1. Cor. 7. 35. [6]) *Tertio:* Id est melius, quod Dominus noster exemplo suo praetulit, ipse autem „virgo, virginis filius, virginumque sponsus,“ [1]) quod porro B. Maria elegit, ipsa autem est Virgo virginum et „illibatam Deo corporis simul et spiritus sanctimoniam vovit“; [2]) quod denique Apostoli amplexi sunt, illi vero vel virgines vel post nuptias continentes fuerunt.

[1]) Sunt verba Bedae Venerabilis apud Benedictum XIV. De Servorum Dei Beatificatione etc. Lib. III. cap. 24. n. 56.

[2]) De bono pudicitiae.

[3]) Similiter dicit s. Augustinus: „— *virginalis vita in centeno fructu sit, in sexageno vidualis, in triceno autem conjugalis.*“ Alias tamen etiam interpretationes commemorat. De sancta Virginitate cap. 45. n. 46.

[4]) Cf. s. Thom. 2. 2. q. 152. a. 3. ad 5.

[5]) Lib. IV. cap. 2. Dubit. 15. n. 108.

[6]) Angelicus Doctor dicit: „Virginitas ordinatur ad bonum animae secundum vitam contemplativam, quod est cogitare ea, quae sunt Dei: conjugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani, et pertinet ad vitam activam, quia vir et mulier in matrimonio viventes necesse habent cogitare, quae sunt mundi.“ Jam vero bonum animae praefertur bono corporis, et bonum contemplativae vitae praefertur bono activae. „Unde indubitanter virginitas praeferenda est continentiae conjugali.“ 2. 2. q. 152. a. 4. c. Pulchre s. Augustinus: „— *ipsa pia integritas carnis ad fecunditatem pertinet mentis.*“ Serm. 191. In Nativ. Serm. 8. n. 4.

PROPOSITIO II.

Quamvis pulchra sit omnis virtus, excellenter tamen castitati, et excellentissime virginitati pulchritudo convenit.

6. — Vera haec et certa doctrina facile sic probatur: Virtus aliqua eo pulchrior, quo turpius illud est, quod ipsa excludit. Atqui castitas, maximeque virginitas id repellit, quod est turpissimum et indecentissimum homini, videlicet carnales et brutas voluptates. [3]) Ideo castitas ab Apostolo signanter vocatur *sanctificatio* 1. Thess. 4. 3., atque pulchritudo illi specialiter attribuitur in libro Sapientiae 4. 1., ubi dicitur: „*Quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.*“

Virginitas plane est *angelica virtus*, angelis enim similes reddit homines, qui in carne viventes, non secundum carnem, sed secundum spiritum vivunt; et qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei. Matth. 22. 30. „*Statim ut filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in coelo, haberet Angelos et in terris.*“ Ita egregie s. Hieronymus. [4]) Quantus igitur hujus decor virtutis! Sunt homines pudici quasi angeli terrestres, homines coelestes, imo quodammodo etiam superiores angelis, cum quod angeli natura sunt, illi virtute fieri student. S. Joannes Chrysostomus dicit: „*Videsne virginitatis praestantiam, quomodo terrarum incolas sic afficiat, ut qui corpore vestiti sunt, eos incorporeis spiritibus exaequet?*“ [5]) Eleganter s. Bernardus ait: „*Quid castitate decorius, quae mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate, non virtute; sed etsi hujus castitas felicior, illius tamen fortior esse cognoscitur.*“ [6])

[1]) S. Bern.: In Cant. Serm. 38. n. 10.

[2]) Idem in Dominica infra Oct. Assumpt. B. V. M. n. 9.

[3]) Vid. s. Thom.: 2. 2. q. 141. a. 2. ad 3., q. 145. a. 4., q. 152. a. 5. c. Benedictus XIV. De Servorum Dei beatif. etc. Lib. III. cap. 24. n. 40.

[4]) Epist. 22. ad Eustoch. n. 21.

[5]) Libr. de virgin.

[6]) Epist. 42. seu Tractatus de moribus et officio episcoporum cap. III. n. 8.

Talis tantaque virginitatis pulchritudo, ut propter eam s. Maria mater Dei esse mereretur, s. Josephus nutritius Christi eligeretur, s. Joannes Apostolus ampliori dilectione dignus a Domino haberetur, qui etiam moriens matrem virginem virgini commendavit.

* S. Cyprianus: Liber de habitu Virginum. Epistola de disciplina et bono pudicitiae. S. Joannes Chrysostomus: Liber de virginitate. Libri II ad viduam. S. Gregorius Nazianzenus: Poëmatum Libr. I. Sect. II. carm. 1. Epigramma 24. S. Ambrosius: Libri III de Virginibus ad Marcellinam (sororem suam). In quo opere, ut s. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium n. 22. dicit, *tanto se effudit eloquio, ut quidquid ad laudes virginum pertinet, exquisierit, expresserit, ordinarit.* Liber de Virginitate. Liber de institutione virginis et de S. Mariae virginitate perpetua. Exhortatio virginitatis, liber unus. Liber de Viduis. S. Hieronymus: Libri II adversus Jovinianum. S. Augustinus: Serm. 132. 148. 161. 343. 354. Liber de continentia. Liber de bono conjugali. Liber de bono viduitatis. Liber de sancta Virginitate. S. Anselmus: Lib. Medit., Med. 3. (Deploratio amissae virginitatis). S. Bernardus: Epist. 113. ad Sophiam virginem (de virginitatis praerogativa et decore). S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 151. et 152. S. Bonaventura: Pharetra Lib. I. cap. 38—41. De virginibus, viduis et conjugatis (multa ex ss. Patribus).

§. 171.

De luxuria.

1. — *Luxuria est inordinatus appetitus rei venereae.* Alia est *directe* volita, alia *indirecte* causata. Prior habetur, quando voluptas carnalis praecise in se intenditur, posterior vero, quando aliquid fit, ex quo delectatio venerea suboritur, ut contingit in aspectibus vel lectionibus minus castis ex curiositate aliove fine habitis.

2. — Luxuria cujusvis speciei *directe* volita est grave peccatum ex toto genere suo, ita ut omnis delectatio venerea cum plena advertentia et consensione capta mortale peccatum sit. Apostolus aperte declarat, luxuriosos a regno Dei excludi Gal. 5. 19. Alexander VII. damnavit propositionem 40., quae dicebat, *non esse mortale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur.* [1])

Luxuria *indirecte* volita admittit parvitatem materiae, videlicet vel gravis vel levis est, prouti actio, ex qua praevidetur delectatio carnalis secutura, vel proxime et graviter, vel tantum remote et leviter in illam influit.

3. — Percurremus 1. peccata luxuriae non consummata, 2. peccata luxuriae consummata.

A.

De peccatis luxuriae non consummatis.

4. — Oscula, tactus et amplexus inter solutos propter delectationem carnalem, quae ex eis oritur, per se sunt peccata gravia; item, si objectum hujusmodi actuum sit valde turpe, etiam secluso affectu venereo, ob gravem indecentiam et libidinis periculum.

[1]) S. Alph.: Th. m. Lib. III. n. 415. et 416. H. A. Tr. IX. n. 2.

Sed oscula et amplexus, si non fiant causa delectationis, sed ut signa amicitiae et urbanitatis secundum patriae morem modo honesto, peccata non sunt. Huc spectat communis sententia, quod sponsis aliquando manus apprehensio, amplexus, oscula, si pudice fiant, in benevolentiae ostensionem non ad delectationem sensibilem captandam, juxta patriae morem et usum honestum permitti possunt. [1]) Cavendum tamen omne periculum peccati. Itaque necesse est, ut sponsi non tantum ab illis benevolentiae signis, quibus libido facile excitari potest, abstineant, sed ut etiam honesta amoris indicia rarius sibi invicem exhibeant; praeterea exigendum, ut numquam solus cum sola praesertim in secreto loco versetur.

5. — Turpia loqui, canere, scribere, legere, audire ob veneream delectationem, vel cum probabili periculo consentiendi in illam, sunt peccata mortalia. Si vero absit prava intentio et periculum libidinosi consensus, simulque interveniat legitima causa turpia legendi aut proferendi, nullum erit periculum, ut patet in iis, qui ad finem administrandi Sacramenti legunt vel audiunt turpissimos casus. Denique, si quis unum alterumve verbum non graviter obscoenum proferat, audiat, ex sola levitate, per se loquendo tantum venialiter peccat, secluso scandalo. Hinc communiter non sunt gravia dicteria turpia, quae proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, quia ad jocum ordinarie dicuntur et audiuntur. [2])

B.

De peccatis luxuriae consummatis.

Haec sunt duplicis generis, *alia* intra naturam, *alia* contra naturam.

I. De peccatis consummatis intra naturam.

Haec sunt fornicatio, adulterium, incestus, sacrilegium, stuprum et raptus.

6. — *Fornicatio* est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu. Est graviter prohibita in s. scriptura: „*Neque fornicarii regnum Dei possidebunt.*" 1. Cor. 6. 9. „*Omnis fornicator aut immundus non habet haereditatem in regno Christi.*" Eph. 5. 5. — Ad fornicationem refertur concubinatus et meretricium, quae per se speciem peccati non mutant, attamen in confessione explicanda sunt, ut status et genus occasionis turpis manifestetur. [3])

7. — *Adulterium* est copula cum alterius conjuge. Duplex peccatum includit, unum contra castitatem, alterum contra justitiam. Et adulterium inter duos conjugatos duplex est, ac proinde circumstantia haec in confessione adaperienda est. [4])

8. — *Incestus* est copula carnalis cum consanguineis aut affinibus intra gradus ab Ecclesiae pro matrimonio prohibitos. Id peccatum est eo gravius, quo gradus est propinquior; [5]) et specie differt ab aliis luxuriae peccatis, quia graviter repugnat reverentiae, quam debemus cognatione nobis conjunctis. [6])

9. — *Sacrilegium*, quatenus est luxuriae species, est violatio personae vel rei sacrae vel loci sacri per actum venereum. Grande peccatum est: dictat enim recta ratio, sancta sancte tractanda esse; et duplicem malitiam continet, nempe contra castitatem et contra religionem.

Et a) circa *personam* fit, si quis peccat obstrictus voto castitatis vel cum habente votum castitatis. Hinc sacerdos peccans cum persona sacrata duplex committit sacrilegium.

[1]) S. Alph.: Lib. VI. n. 854.
[2]) Idem: Lib. IV. n. 426.
[3]) Idem: Lib. IV. n. 432. Gury: P. I. n. 421.
[4]) S. Alph.: Lib. IV. n. 445.
[5]) Idem n. 448.
[6]) S. Thom.: 2. 2. q. 154. a. 9. c.

b) Circa *locum* committit sacrilegium, qui fornicatur vel voluntarie se polluit in loco sacro, nempe intra ecclesiam, aut coemeterium. Probabilius omnes actus externi impudici, nempe tactus, aspectus, verba, in ecclesia, sunt sacrilegia, quia his actibus ecclesiae irrogatur irreverentia. Actus vero interni sive cogitationes non sunt sacrilegia, nisi sint de peccando externe in ecclesia.

c) Circa *rem* demum committit sacrilegium, qui abutitur rebus sacris ad turpia. Idem dicendum de sacerdote, qui turpiter peccat indutus ad Missam, aut gestando Eucharistiam, aut statim post Communionem e. g. infra mediam horam. [1])

10. — *Stuprum* est defloratio virginis ipsa invita, et ideo praeter fornicationis malitiam involvit etiam injustitiae labem. [2])

Raptus est abductio alicujus personae causa libidinis per vim vel fraudem illatam sive abductae sive eis, quorum potestati subest. In raptu est duplex peccatum, nempe luxuriae et injustitiae. [3])

II. De peccatis consummatis contra naturam.

Sodomia, pollutio, onanismus et bestialitas sunt haec flagitia nefaria.

11. — *Sodomia*, quando est *perfecta*, dicitur concubitus alicujus cum persona ejusdem sexus, nempe masculi cum masculo, vel foeminae cum foemina, quamvis inter foeminas non possit dari copula perfecta. Vera sodomia est quaecunque corporum conjunctio habita cum persona ejusdem sexus, sive in vaso praepostero sive in alia parte. Sodomia *imperfecta* est concubitus cum persona diversi sexus, nempe masculi cum foemina, extra vas naturale. [4])

Sodomia suum nomen accepit ab urbe Sodoma, quae in tanti criminis poenam igne e coelo delapso tota cum incolis suis fuit consumpta. Ex tali autem poena criminis atrocitatem facile colligere est. Ipsa natura istud flagitium vehementissime refugit, et graviter illud insectatur Apostolus Rom. 1. 26. 27.

12. — *Pollutio* est humani seminis effusio sine congressu cum alio. Pollutio dividitur in *voluntariam*, tum in se, tum in causa, prout intenditur directe, vel in aliquo voluntarie posito, quod ipsam causat; et in *involuntariam*, si nempe absque cooperatione voluntatis contingat, ex causis mere physicis v. g. ex superfluitate naturae, ex imbecillitate organorum. De hac porro nulla quaestio, cum peccaminosa non sit.

De pollutione voluntaria sequentia praeprimis tradenda sunt:

1. Pollutio *directe* et perfecte voluntaria est peccatum mortale, et in nullo casu eam procurare licet. Apostolus ait: „*Neque molles — regnum Dei possidebunt.*" 1. Cor. 6. 10. Repugnat ipsi legi naturali, quia seminis effusio unice ordinata est ad generationem; hinc ab Innocentio XI. damnata est haec n. 4. propositio: *Mollities jure naturae prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona.*

2. Pollutio *indirecte* seu in causa tantum voluntaria tunc est peccatum, quando nulla datur causa necessitatis vel utilitatis, actionem ponendi, ex qua praevidetur secutura pollutio, quia rationalem naturam dedecet sine justa causa talem foeditatem etiam indirecte admittere. Et quidem est grave peccatum, quoties actio est causa proxima seu directa pollutionis, ut e. g. lectio vel auditio rerum valde turpium,

[1]) S. Alph.: H. A. Tr. IX. n. 20—23.

[2]) Idem: Th. mor. Lib. IV. n. 443.

[3]) Idem op. c. n. 444.

[4]) S. Thom.: 2. 2. q. 154. a. 11. c., s. Alph.: Th. m. Lib. IV. n. 466. et alii communius. — Sodomia *perfecta* in archidioecesi Viennensi est casus episcopo reservatus.

voluntarius aspectus rerum obscoenarum, colloquia inhonesta, tactus turpes etc. Veniale peccatum est, quando actio, ex qua praevidetur pollutio, est causa remota tantum pollutionis, seu talis, ut ipsi periculum per accidens vel raro adjungatur. [1])

3. Pollutio indirecte voluntaria omni culpa vacat, si habeatur ratio sufficiens causam ejus ponendi, dummodo a) pollutio ab agente nullo modo intendatur, et b) excludatur periculum in eam consentiendi. Ratio est, quia ubi sequuntur duo effectus ex eadem causa indifferenti per se, unus malus, alter bonus, licitum est actionem ponere effectum bonum intendendo et malum permittendo. Vid. Lib. I. §. 100. n. 2. Hinc peccatum non est, per se, equitare rationabilis recreationis causa, certo situ in lecto cubare, temperate sumere cibos calefactivos, ex honesta causa loqui cum persona alterius sexus, artem chirurgicam exercere, confessiones fidelium audire, et similia; quamvis praevideatur per accidens secutura pollutio, modo non intendatur et firmum adsit propositum ei non assentiendi, si accidat; denique procul sit proximum consensus periculum. [2])

4. Pollutio habita in somno non est peccatum, nisi a) fuerit antea directe seu formaliter intenta et causa non retractata, v. c. ideo calidum potum sumendo vel certo situ cubando, et nisi b) post somnum placuerit et approbata fuerit ob delectationem veneream. [3]) — Non est obligatio impediendi pollutionem de se evenientem, puta si incoeperit in somno, et in vigilia consummetur, modo absit consensus in delectationem vel proximum ejus periculum (quod ex praeterita experientia facile poterit judicari), tum quia difficillimum est illam cohibere, cum jam incoepta sit; tum quia non tenetur homo eam cohibere cum periculo morbi. Sed tunc ille, qui pollutionem patitur, omnino curare debet, ut se muniat signo crucis, mentem a delectatione avertat, et nomina sanctissima Jesu et Mariae devote et fiducialiter invocet. [4])

13. — *Onanismus* est luxuriae peccatum, quo vir post incoeptam copulam semen extra effundit, ut generationem impediat. Nomen suum sortitur ab *Onan*, secundo filio Patriarchae Judae, qui hoc nefandum crimen commisit. Gen. 38. 9. 10.

Onanismus est peccatum mortale ex toto genere suo, quia absolute repugnat primario matrimonii fini et ad societatis extinctionem per se tendit. Insuper gravissima ejusdem foeditas exinde patet, quod *Deus percussit Onan, quod rem detestabilem faceret.* Gen. 38. 10.

Ideo nullo praetextu sive prolis numerosae sive partus periculosi hanc foeditatem exercere licet. Et graviter peccat tum vir onanista, tum uxor, quae maritum ad matrimonio abutendum quocunque modo inducit, vel dum monendo a perversa agendi ratione illum avertere posset, id non facit. Vide infra n. 15.

Uxor tamen marito licite potest debitum reddere, si per admonitiones vel preces maritum a tali culpa avertere nequeat, et ex denegatione debiti grave incommodum sibi timeat; quia in hoc casu uxor viri sui peccato non cooperatur, sed illud simpliciter permittit, idque ex gravi causa, quae absque dubio eam excusat; quoniam charitas, qua peccatum mariti impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat. Ita s. Alphonsus [5]), cujus sententia pluribus S. Poenitentiariae responsis confirmatur. Vid. infra n. 14.

An vero uxor licite potest debitum petere a marito onanista? Potest, si

[1]) S. Alph. n. 484. Sed advertendum, quod actiones, quae *per se* remote tantum in pollutionem influunt, relate ad peculiarem alicujus dispositionem, proxime in pollutionem influere possunt.

[2]) Idem n. 483.

[3]) Idem H. A. Tract. IX. n. 34.

[4]) S. Alph. H. A. Tr. IX. n. 32.

[5]) Lib. IV. n. 947.

ipsa in periculo incontinentiae versetur. Etenim hoc etiam in casu minime censetur viri sui peccato cooperari, cum ipsa tunc debitum petens jure suo utatur atque utatur quidem ex justa causa, ne videlicet in peccatum incontinentiae labendo grave malum animae suae conciscat. Haec est sententia s. Alphonsi [1]), cui consentiebat major poenitentiarius Romae die 15. Nov. 1816. in resp. ad hujusmodi quaesitum.

* S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 153. et 154. S. Alphonsus: Theol. mor. Lib. IV. n. 412—485. Lib. VI. n. 947.

Decisiones S. Poenitentiariae circa onanismum.

14. — Quaesitum. Bertha virum habet, quem constanti experientia cognoscit esse onanistam. In vanum omnia tentavit media, ut illum a tam nefando crimine retraheret. Quinimo gravissima aut saltem gravia mala ei imminent nunc probabiliter, ita ut vel haec mala incurrere debeat vel fugere e domo mariti, nisi permittat saltem aliquando abusum matrimonii etc.

Responsio. „*Cum in proposito casu mulier a sua parte nihil contra naturam agat, detque operam rei licitae, tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit; ideoque, si mulier post debitas admonitiones nihil proficiat, vir autem instet, minando verbera aut mortem aut alia gravissima mala, poterit ipsa (ut probati Theologi docent) citra peccatum permissive se habere; cum in his rerum adjunctis ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa, quae eam excusat; quoniam caritas, qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat. Datum Romae, in S. Poenitent., die 1. Febr. 1823.*"

Eadem S. Poenitentiaria ad idem quaesitum: „*Probati castigatique morales theologi in hoc consentiunt, ut praefato in casu liceat uxori debitum reddere, si ex ejus denegatione male habenda sit a viro suo, et grave inde incommodum sibi timere possit: neque enim ajunt, hoc in casu censetur uxor viri sui peccato formaliter cooperari, sed illud tantummodo ex justa et rationabili causa permittere. Moneat tamen orator hujusmodi uxorem, ut non cesset prudenter commonere virum suum, ut ab hac turpitudine desistat. Datum Romae in S. Poenit., die 15. Novemb., 1816.*"

Dantur etiam aliae responsiones S. Poenitentiariae, quae praecedentibus omnino consonant.

15. — Dubium: 1. An possit absolvi mulier, quae pateretur equidem virum, si recte ageret in copula conjugali, vehementer autem desiderat, ut se retrahat vir, quia mulier illa prolem habere formidat. 2. An possit absolvi mulier, quae in copula conjugali posset suis blanditiis obtinere a viro, quod non se retraheret, et non facit, quia illa copula sibi displicet.

Responsum. S. Poenitentiaria perpensis dubiis respondit. Negative. Datum Romae, in S. Poenitent., die 27. Martii 1847.

§. 172.

Verba exhortatoria s. Augustini ad pudicitiam.

„Hoc monuerim Caritatem Vestram, Fratres, ut ante omnia concupiscentiis carnalibus et gaudiis saecularibus et vanae pompae

[1]) Lib. VI. n. 947.

et volaticae, vaporique vitae hujus praesentis praeponatis decus et pulchritudinem sapientiae, praeponatis dulcedinem suavitatemque sapientiae, praeponatis decus pudicitiae, pulchritudinem castitatis. Haec omnia abscondita sunt in thesauro coelesti, nudae coram oculis Dei gemmae sunt istae pretiosae, multum lucent; si oculos habetis, videtis. Diversis ergo et illicitis delectationibus ista praeponite, et si tentatio usque accesserit, ut etiam molestiam patiamini, Fratres mei, quis non patiatur propter sacculum suum, quis non patiatur pro agro suo, pro uno lapide limitis agri sui? Si pro his rebus patiamini, quas non habetis in potestate, quamdiu vultis, retinere, et quibus vultis, dimittere; sed saepe amittuntur, cum vivimus, saepe post mortem nostram ab eis, quos odimus, possidentur; si pro his bonis (si tamen dicenda sunt bona, quae non faciunt bonos) tanta mala homines aequo animo patiuntur: pro fide quare pigri sumus, pro thesauro coelesti quare timidi sunt? pro illis divitiis, quas nec naufragia nobis possunt auferre?

Si in labore subdeficimus, adjutorium imploremus. Adjuvat certantem, qui certamen indixit. Non enim sic te Deus exspectat certantem, ut populus aurigam: clamare novit, adjuvare non novit. Nam Deus quando exspectat certatores suos, adjuvat eos invocatus: nam ejus athletae vox est in Psalmo, *Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me.* Non ergo simus pigri, Fratres mei: petamus, quaeramus, pulsemus. *Omnis enim, qui petit, accipit, et quaerens inveniet, et pulsanti aperietur.* [1])

Qui conjugati estis, fidem thori servate uxoribus vestris. Qui vero vovistis, corpus arctius castigate, et concupiscentiae frenos nec ad ipsa, quae permissa sunt, patiamini relaxare; ut non solum a concubitu illicito divertatis, sed etiam licitum contemnatis adspectum. Quicunque impudici estis, corrigite vos, dum vivitis. Ego enim verbum Dei loqui possum, impudicos autem in nequitia perseverantes, de judicio et damnatione Dei liberare non possum." [2])

B. De virtutibus temperantiae adnexis.

Ad temperantiam referuntur mansuetudo, clementia, modestia, studiositas, et eutrapelia.

[1]) Serm. 344. n. 9. et 10.
[2]) Serm. 132. (al. 46. de verbis Domini) n. 2—4.

§. 173.

De mansuetudine.

1. — *Mansuetudo est virtus moralis, quae iram secundum rectam rationem moderatur.* [1]) Differt a patientia in eo, quod iram, patientia tristitiam compescit coll. §. 161. n. 1.

Ira non est affectus per se malus, sed indifferens, ita ut justa et injusta esse possit. Justa est, quando secundum rationem rectam frenatur, ita nimirum, ut a) non praevaleat, sed bene subdita sit rationi, et ut b) non in personas, sed in vitia dirigatur; secus injusta est. Hinc per Psalmistam dicitur: „*Irascimini, et nolite peccare*" Ps. 4. 5. Idem tradunt ss. Doctores. [2]) Mansuetudo igitur non necessario omnem vehementiorem affectum excludit, quo quidem opus quandoque esse potest ad vitia efficacius corripienda, ad justitiam robustius propugnandam. Id exempla satis multa, quae in utroque Testamento commendantur, optime confirmant. Sed cavendum summopere est, ne dimisso rationis freno ex solo irae impetu agamus, vel dum vitia prosequimur, personas ipsas oderimus. [3])

---

[1]) S. Thomas: 2. 2. q. 157. a. 1. c.; a. 2. c. S. Ambrosius dicit: „Qui sunt mansueti, nisi quos nullus stimulus dissensionis exagitat, non ira perturbat, non saevitia exasperat, non rabies crudelitatis inflammat?" In Psalm. 36. n. 22. S. Augustinus: „Mites sunt, qui cedunt improbitatibus, et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum." De Sermone Domini in monte Lib. I. cap. 2. n. 4.

[2]) S. Gregorius M. ait: „Alia est ira, quam impatientia excitat, alia, quam zelus format: illa ex vitio, haec ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, divinae animadversionis impetum Phinees per gladium non placasset. Hanc iram, quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernae ultionis excitavit. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eo contra illum districtio aeterni rectoris exarsit. De hac per Psalmistam dicitur: *Irascimini, et nolite peccare.* Quod nimirum non recte intelligunt, qui irasci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos ut nos amare praecipimur, restat, ut sic eorum erratibus, sicut nostris vitiis irascamur." In Job Lib. V. c. 33. n. 82. S. Bernardus scribit: „Nimirum affectio naturalis ira hominum est: sed abutentibus bono naturae gravis perditio est, et miseranda pernicies. Occupemus illam, Fratres, in quibus expedit, ne forte ad inutilia, illicitaque prorumpat." In Psalm. *Qui habitat* Serm. 13. n. 5. Idem tradit et accurate ostendit s. Thomas: 2. 2. q. 158. a. 1. et 2.

[3]) S. Augustinus ait: „Fratres mei, exercete vos, quantum potestis ad exhibendam mansuetudinem etiam erga inimicos vestros. Frenate iram, quae vos stimulat ad vindictam. Ira enim scorpio est." Serm. 315. In solemn. s. Stephani 2. n. 9. S. Gregorius M.: „Cum per zelum animus movetur, curandum summopere est, nec haec eadem, quae *instrumento virtutis* assumitur, menti ira dominetur, *nec quasi domina praeeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo numquam recedat. Tunc enim robustius contra vitia erigitur, cum subdita rationi famuletur.*" Lib. 5. Moral. in Job. cap. 45. n. 83.

2. — Magna virtus est mansuetudo, in libris divinis crebro celebrata et commendata; nimirum 1) hominem maxime sui compotem facit, quia iram mitigat, quae maxime impedit animum, ne libere judicet veritatem; [1]) unde dicitur: „*Fili, in mansuetudine serva animam tuam.*" Eccli. 10. 31.; — porro 2) praeparat animam ad doctrinas veritatis rite percipiendas et ad easdem sine contradictione suscipiendas; [2]) unde dicitur: „*Esto mansuetus ad audiendum*" Eccli. 5. 13. „*In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.*" Jac. 1. 21.; — praeterea 3) nos maxime similes reddit Christo Domino, qui venit nobis „*rex mansuetus*" Matth. 21. 5., quique erat „*quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*" Jer. 11. 19., „*quasi agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum*" Isai. 53. 7.; unde Apostolus ad Corinthios scribit: „*Obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi*" 2. Cor. 10. 1.; — amplius 4) reddit nos Deo acceptos: „*beneplacitum enim est illi, fides et mansuetudo.*" Eccli. 1. 35. et idcirco „*docebit mites vias suas*" Psalm. 24. 9., „*mansuetis dabit gratiam*" Prov. 3. 34., et „*exaltabit mansuetos in salutem.*" Psalm. 149. 4.; — insuper 5) hominibus quoque nos gratos facit, unde dicitur: „*Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super gloriam hominum diligeris*" Eccli. 3. 19.; — denique 6) praestat magnam tranquillitatem et pacem in terra, et stabilem aeternamque meretur requiem in patria: „*Mansueti — haereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis*" Psalm. 36. 11. „*Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris*" Matth. 11. 29. „*Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*" Matth. 5. 4.

3. — Mansuetudo praecipitur a lege naturae; namque ordo naturalis postulat, ut passio irae, sicut quaelibet alia passio, imperio rationis subjiciatur; praecipitur etiam a lege positiva divina, quod patet ex eloquiis sacrorum librorum supra adductis.

Inprimis autem sacerdotes mansuetudini studeant oportet. Christus enim discipulis suis dixit: „*Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.*" Matth. 10. 16.; ergo nos mansuetos esse vult, quamvis cum adversariis, qui ferociam et necem protendunt, nobis sit colluctandum. Et Paulus Apostolus discipulum suum Timotheum singulariter ad hanc virtutem sectandam adhortatur 1. Tim. 6. 11.

---

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 157. a. 4. c. S. Bernard.: Lib. 2. de considerat. c. 11.

[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 157. a. 4. ad 1.

Haecque virtus s. Augustino monente etiam in zelando contra haereticos firmiter est retinenda. [1])

Ex triplici autem ratione sacerdotes Dei mansuetudini solerti studio incumbere debent: 1. quia Christi personam repraesentant, ergo ipsius cordi mitissimo cor suum conformare tenentur; — 2. quia mansuetudine facilius homines allicient ad doctrinam veritatis amplectendam et ad justitiam sectandam, ut s. Ambrosius advertit; [2]) — et 3. quia Jesus Christus non lupis, sed ovibus auxilium suum promisit, ut perbene s. Joannes Chrysostomus observat. [3])

4. — Mansuetudini adversatur per defectum *ignavia* in vitiis corripiendis et compescendis; [4]) est vel gravis vel levis, prouti vel grave vel leve damnum exinde sequitur. Per excessum illi virtuti opponitur *ira* quatenus coll. n. 1. est *inordinata* excandescentia animi, vel potius *iracundia*, quae est habitus irae. Haec ex genere suo venialis est; quodsi autem crescat ad inordinatum studium vindictae, ex genere suo mortalis est.

5. — Ira post s. Gregorium Magnum ab omnibus accensetur vitiis capitalibus. Illius filiae sunt: 1. *indignatio*, id est, commotio animi contra alium, a quo quis reputat se indigne tractari; est peccatum veniale, et si ex justo rationis judicio procedat, nullum peccatum; — 2. *tumor mentis* seu motus animi vindictae vias excogi-

---

[1]) Dicit enim: „Carissimi, exhortor charitatem vestram, ut exhibeatis illis (Donatistis) *christianam et catholicam mansuetudinem*. Nunc curandis instatur. In furore sunt oculi sanctorum, caute curandi, leniterque tractandi sunt. Nemo suscipiat cum aliquo litem, nemo velit nunc vel ipsam suam fidem altercando defendere, ne de lite scintilla nascatur, ne quaerentibus occasionem occasio praebeatur. Prorsus convicium audis, tolera, dissimula, praeteri. Memento curandum. Videte, quam blandi sunt medici eis, quos etiam mordaciter curant. Audiunt convicium, praebent medicamentum, nec reddunt convicium convicio.“ Serm. 357. (al. 35. ex Sirm.) n. 4.

[2]) De officiis lib. 2. cap. 7. n. 29. Huc etiam spectant verba s. Joannis Chrysostomi: „Mansuetus sibi ipsi dulcis, et utilis aliis. Iracundus vero et sibi insuavis, et aliis damnosus.“ Homil. 6. in Act. Apost.

[3]) Homil. 34. in Matthaeum: „*Quamdiu oves fuerimus, vincimus: etiamsi mille circumstent lupi, superamus, et victores sumus; quod si lupi fuerimus, vincimur. Tunc enim a nobis pastoris auxilium recedit, qui non lupos, sed oves pascit.*“ In eandem rem faciunt verba s. Augustini: „*Hos autem inimicos* (diabolum et angelos ejus) *Ecclesia debellat. Et quomodo debellat? Mansuetudine. Mansuetudine enim ipse Rex noster vicit diabolum. Saeviebat ille, iste sufferebat. Victus est, qui saeviebat; vicit, qui sufferebat. In ista mansuetudine corpus Christi, quod est Ecclesia, vicit inimicos.*“ Enarr. in Ps. 131. n. 3.

[4]) Legatur s. Gregor. M.: Reg. past. P. III. cap. 16. S. Bernardus: Epist. 69. n. 1.

tantis; pro qualitate vindictae vel gravis est vel levis; — 3. *clamor*, quo multa inordinate effunduntur; est per se veniale; — 4. *blasphemia*, de qua §. 77.; — 5. *contumelia*, de qua §. 133.; — 6. *maledictio*, quae tunc est mortale peccatum, quando grave malum cum plena deliberatione proximo optatur.

* S. Basilius: Homilia 10. adversus iratos. S. Gregorius Nazianzenus: Poëmatum Lib. I. Sect. 2. carm. 25. S. Cyrillus Alexandrinus: Homilia 11. de iracundia. S. Ambrosius: De officiis ministrorum Lib. I. cap. 21. n. 90—97. de iracundia et mansuetudine. S. Augustinus: Serm. 58. et 63. de iracundia et vindictae studio. S. Gregorius Magnus: Lib. V. Moralium cap. 45. n. 78—83. de ira. S. Petrus Damiani: Opusc. 40. (de fraenanda ira). S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 157. (de clementia et mansuetudine simul) q. 158. (de ira). S. Franciscus Sales: Philothea. P. III. c. 8. et 9. S. Alphonsus: Uebung der Liebe zu Jesus Christus. c. 6. (de mansuetudine). Theologia moralis Lib. II. n. 79—83. (de ira).

§. 174.

De clementia.

1. — *Clementia est virtus moralis superiorem inclinans ad poenam debitam mitigandam vel remittendam, in quantum recta ratio permittit.* Sicut mansuetudo passionem irae temperat, ita clementia exteriores punitiones moderatur. [1]) Praeexigit mansuetudinem, quia poenae diminutio impeditur per impetum irae, ut d. Thomas observat. [2]) Enimvero „*turbatus prae ira oculus, clementer nihil intuetur,*“ ut s. Bernardus animadvertit. [3])

Clementia valde affinis est benignitati. Sicuti namque ad benignitatem pertinet, potius ultra, quam infra meritum praemia largiri: ita clementiae est, potius infra, quam supra demeritum poenas infligere. [4])

2. — Admonentur autem rectores humani ad clementiam exercendam exemplo praecelsissimo Rectoris supremi divini: qui *clemens* est atque misericors Dominus (2. Esd. 9. 17. Jon. 4. 2.), *cui proprium est misereri semper et parcere,* [5]) *qui omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestat,* [6]) *in cujusque operibus*

---

[1]) S. Thomas: „Clementia est diminutiva poenarum, mansuetudo vero est mitigativa irae.“ 2. 2. q. 157. a. 3. c. Item a. 1. et 2.

[2]) S. Thom. 2. 2. q. 157. a. 1. c. et ad 2.

[3]) De Consideratione lib. II. cap. 11 n. 20.

[4]) Laymann: Theol. mor. l. III. Sect. 4. n. 22.

[5]) Collecta in Litaniis.

[6]) Collecta in Dominica X. post Pentec.

atque judiciis nihil vacat a veritate justitiae, nihil a miseratione clementiae. [1])

3. — Clementiae per defectum opponitur *crudelitas,* qua quis ex animi austeritate exigit poenam ultra demeritum; et est mortalis ex genere suo. Eidem per excessum opponitur *nimia lenitas,* qua poena remittitur vel mitigatur, ubi ex rectae rationis praescripto severitate utendum esset, ad corrigendum delinquentem, ad disciplinam servandam etc. Est vel levis vel gravis culpa pro ratione damni vel scandali inde provenientis. Sapienter in hanc rem infert s. Augustinus: „*Sicut est aliquando misericordia puniens, ita et crudelitas parcens. Nam, ut exempli gratia aliquid ponam, quis non crudelem verius dixerit eum, qui puero pepercerit volenti obstinatissime de serpentibus ludere? quis autem non misericordem, quia talia prohibens contemptorem verborum etiam verberibus emendaverit?*" [2])

* S. Ambrosius: Epist. 25. et 26., ubi judicibus clementiam inculcat. S. Augustinus: Epist. 133. (al. 159.), et Epist. 139. (al. 158.), ubi Marcellinum tribunum movere studet, ut Donatistas atrociora facinora confessos citra capitis supplicium punire velit, „uti congruit Ecclesiae mansuetudini." S. Petrus Damiani: Opusc. 57. de principis officio in coërcendis impiis. S. Bernardus: De consideratione Lib. II. c. 11. n. 20. de clementia zelo discrete conjungenda. S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 157. (de clementia cum mansuetudine), q. 159. (de crudelitate). S. Bonaventura: Pharetra Lib. II. cap. 40. (de clementia). — Lessius: De justitia etc. Lib. IV. cap. 4. Dub. 5. (de clementia et oppositis vitiis). Billuart: Tract. de temperantia, Diss. VII. a. 3.

§. 175.
De studiositate.

1. — *Studiositas est virtus, quae appetitum sciendi et studium ipsum secundum rectam rationem moderatur.* Unde ejus est, refraenare affectum inordinatum cognoscendi, incitare ad diligenter addiscendas res conditioni cujusvis convenientes, referre studium scientiamque ad debitum finem, videlicet ad propriam vel alienam utilitatem, atque ad Dei gloriam et honorem juxta monitum s. scripturae: „*In doctrinis glorificate Dominum.*" Isai. 24. 15.; unde s. Thomas infert: „*Quidquid habes, sive scientiam, sive sapientiam, — totum debes referre et uti ad gloriam Dei.*" [3])

[1]) S. Leo Serm. 1. de jejunio decimi mensis.

[2]) Epist. 153. (al. 54.) n. 17.

[3]) In expositione Symboli Apost.

2. — Instanter divini libri excitant adolescentes ad suscipiendam sapientum instructionem et doctrinam: „*Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam: quasi is, qui arat et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius.*" Eccli. 6. 18, 19. Prov. 27. 11. Praeprimis clerici ut in scientiam sacram sibi comparandam studio indefesso nitantur necesse est. Id quippe ipsius officii ratio postulat. Quomodo enim edocebunt alios, quod ipsi nesciunt? et quomodo scient, quod non didicerunt? Hinc Deus: „*quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*" Osee 4. Addit s. Alphonsus: „*qui studii non est amator, numquam idoneus erit Ecclesiae, imo necessario erit pravus, nam (ut dici solet) otium est pater vitiorum.*" [1]) Ideoque etiam sacerdotes, ne otio vitioso torpescant, nec cum maxima animarum pernicie ignorent, quae in ministerio sacro scienda continuo occurrunt, studium continuum ordinatumque in doctrinam sacram impendere debent.

3. — Studiositati per defectum negligentia, per excessum curiositas adversatur.

Negligentia, id est, voluntaria studii omissio ad ea discenda, quae quis scire potest et scire tenetur, grave vel leve peccatum est pro ratione eorum, quae quis scire debet. „Talis negligentia facit, ut ipsa ignorantia sit voluntaria et peccatum," Doctor Angelicus dicit. [2]) Vid. Lib. I. §. 92. n. 2.

Curiositas est inordinatus appetitus sciendi, sive a) ex parte objecti, cum quis cupit scire ea, quae ad ipsum non pertinent, [3]) sive b) ex parte modi, ut si quis illa, quae ad se pertinent, velit addiscere tempore non congruente, vel laboribus immodicis, vel non referat ad debitum finem. Curiositas per se est veniale peccatum, sed mortale fit, si alii simul virtuti graviter repugnet, ut e. g. si quis ex curiositate legat libros ab Ecclesia prohibitos, si velit ab alio scire, quod sine peccato mortali non potest manifestare, immoderato studio graviter noceat valetudini.

Illicitum est (et per se peccatum curiositatis), alterius literas seu scripturas quascunque aperire et legere, nisi consensus habeatur saltem praesumptus illius, ad quem mittuntur, aut ejus, a quo exa-

[1]) H. A. Tr. VII. n. 52.

[2]) 1. 2. q. 76. a. 3.

[3]) S. Augustinus monet: „*Quod nescire nos Dominus voluit, libenter nesciamus.*" Enarr. in Ps. 6. n. 2.

ratae sunt. Quod qui facit, graviter tunc peccat, si proximus inde graviter offenditur. Licitum autem est principibus et eorum ministris aperire literas adversariorum ad damnum publicum avertendum. Item superiores religiosi licite aperire possunt epistolas subditorum vel aliorum ad hos missas, si ordinis statutum aut usus id fieri sinit; exceptis epistolis, quae a subditis ad superiores majores (v. c. Generalem), vel ab his ad subditos datae sunt. [1])

Qui secreta alterius scripta furtive legit, peccat curiositate, imo et injustitia, quia quisque jus habet secreti in suis scriptis, quae aliis non vult esse communia. [2])

Si literas ab alio dilaceratas et in publicum locum projectas colligis et legis, nullam ei injuriam facis, quia dominus juri suo cessisse videtur, facile autem curiositate peccabis. Scripturas autem minutim laceratas vel in occultum locum disjectas sine domini injuria non potes legere, quia sic agendo significavit, se nolle illas legi. [3])

* S. Basilius: Homil. 22., in qua de speciali studiositatis themate: de legendis gentilium libris, sapienter disseritur. S. Augustinus: Epist. 101. (al. 131.) de recto studio disciplinarum liberalium; Epist. 118. (al. 56.) et 218. (al. 208.) de vera philosophia et fine studii literarum. Confess. Lib. X. c. 35. n. 54—57. de curiositatis vitio. S. Petrus Damiani: Opusc. 45. de sancta simplicitate. Opusc. 58. de vera felicitate et sapientia. S. Bernardus: In Cant. Serm. 36. de utilitate scientiarum, deque recto modo eas sibi comparandi. S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 166. (de studiositate), q. 167. (de curiositate). — Lessius: De justitia etc. Lib. IV. cap. 4. Dub. 11.

S. Bernardus de recto sciendi modo.

„Est, quod in se est, omnia scientia bona, quae tamen veritate subnixa sit: sed tu qui cum timore et tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire prius, ampliusque curato, quae senseris viciniora saluti. Nonne medici corporum medicinae portionem definiunt eligere in sumendis cibis, quid prius, quid posterius, et ad quem modum quidque sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos, quos Deus creavit; tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum et ordinem non observes, reddis plane non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite et de scientiis. Sed melius mitto vos ad Magistrum. Non est enim nostra ista sententia, sed illius; immo et nostra, quoniam Veritatis. *Qui se,* inquit, *putat aliquid scire, nondum scit, quomodo oporteat eum scire.* (1. Cor. 8. 2.) Vides, quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit. Vides, inquam, quomodo fructum et utilitatem scientiae in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? quid? nisi ut scias, quo ordine, quo studio, quo fine quaeque nosse oporteat? *Quo ordine;* ut id prius, quod maturius ad salutem: *quo studio,* ut id ardentius, quod vehementius ad amorem: *quo fine,* ut non ad inanem gloriam aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad aedificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant: et turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi: et turpis vanitas est. Et sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa, pro pecunia, pro honoribus: et turpis quaestus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut aedificent: et charitas est. Et item qui scire volunt, ut aedificentur: et prudentia est.“ [1])

[1]) S. Alph.: H. A. Tr. XI. n. 5. et 6.

[2]) Idem: Th. mor. Lib. II. n. 70.

[3]) Idem l. c.

§. 176.

De modestia.

1. — *Modestia est virtus in eis, quae ad exteriorem hominem pertinent, decorum servans.* Alia est, quae in motibus et gestibus corporis, alia, quae in cultu corporis et rerum externarum apparatu decorum servat. Decorum dicitur, quod homini congruit secundum status sui conditionem. [2])

Modestia est indicium quoddam et speculum animi bene compositi, ut s. Chrysostomus recte notat; et proxime ex humilitate procedit.

2. — *Nihil tam idoneum homini, nihil tam congruum christiano, maximeque clericum nihil adeo, ut modestia, decet.* [3]) Dico 1. *Nihil tam idoneum homini,* quia modestia conducit ad aliorum existimationem sibi comparandam, ad proximum aedificandum, ad vitam communem pacifice gerendam. — 2. *Nihil tam congruum christiano,* quid enim dicit s. Bernardus, [4]) quid magis congruum, quam ut moderate agat homo conscius propriae infirmitatis, quandoquidem apparuit inter homines modestus Dominus majestatis? Hinc Apo-

[1]) In Cant. Serm. 36. n. 2. et 3.

[2]) S. Augustinus ait: *„Modestia utique dicta est a modo.“* Lib. de beata vita n. 32. Modus autem est vel modus sciendi, quid deceat hominem, ut s. Ambros. de offic. l. I. c. 18. n. 78. arbitratur, vel modus nostris motibus imponendus, ut aliis placet.

[3]) Cf. s. Bernard.: In Dom. infra Oct. Assumpt. B. V. M. Serm. n. 11.

[4]) In Vig. Nativ. Dom. Serm. 4. n. 10.

stolus: *„Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti viscera misericordiae, — — modestiam* etc.“ Coloss. 3. 12. Rursus: *„Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.“* Phil. 4. 5. — 3. *Maximeque clericum nihil adeo decet,* quia clericus praeprimis debet imaginem Christi referre; quare Apostolus vult ecclesiasticos esse *ornatos et modestos* 1. Tim. 3. 2. 3., nempe in vultu, incessu, sermone ac toto corporis habitu bene decenterque compositos.

3. — Modestiae per defectum opponitur morum ruditas seu *rusticitas;* per excessum a) *petulantia* et *insolentia,* ut si quis incessum insolentem observat, in risum praeter modum se effundit [1]) etc., per se venialis est; b) *luxus,* quo modus consuetus et conditioni conveniens in vestibus, conviviis etc. exceditur. Hic vel gravis vel levis est pro ratione excessus, affectus et effectus mali.

Non peccat mulier, quae se ornat pro status sui decentia et juxta patriae morem, vel ut placeat viro suo aut sponsum inveniat.[2]) Leviter peccat foemina se ornans ex levitate aut vanitate; mortaliter, si intendat viros allicere ad peccatum. [3])

Fuco vultum pingere propter lasciviam est peccatum grave, ex vanitate, peccatum leve, ad tegendum defectum naturalem, nullum peccatum. [4])

* S. Ambrosius: De officiis Lib. I. cap. 18. et 18. (n. 67—84.). S. Joan. Chrysostomus: Homiliae duae in Psalm. 48. (divitiarum vanitas et luxus perstringitur). S. Gregorius Naz.: Lib. I. Sect. 2. carm. 29. (contra nimium mulierum ornatum et luxum). S. Augustinus: Epist. 245. (al. 73.) de ornamentis auri et vestis, et de fucis. S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 168. a. 1.; q. 169. tota. S. Bonaventura: Pharetra, Lib. II. cap. 41. S. Francisc. Sales.: Philothea P. III. cap. 25. — Lessius: De justitia etc. Lib. IV. cap. 4. Dub. 12. et 14. Billuart: Tract. de temperantia, Diss. VII. a. 4. §§. 4—6.

---

[1]) S. Chrysost.: „Quid malum, inquit, est risus? non malum est risus, sed malum est id, quod est praeter modum, id quod est intempestivum.“ Hom. 15. in ep. ad Hebr. De variis petulantiae modis s. Ambrosius: De offic. Lib. I. c. 18. n. 73—75., c. 49. n. 84.

[2]) Sapienter s. Augustinus Possidio sacerdoti scripsit: „Nolo tamen de ornamentis auri vel vestis praeproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque conjugati neque conjugari cupientes cogitare debent, quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant, quae sunt mundi, quomodo placeant vel viri uxoribus, vel mulieres maritis.“ Epist. 245. (al. 73) n. 1.

[3]) S. Thom.: 2. 2. q. 169. a. 2. S. Alph.: Lib. IV. 425.

[4]) S. Thom. l. c. ad 2.

§. 177.

De eutrapelia.

1. — *Eutrapelia* seu urbana jucunditas *est virtus modum et decorem observans in dictis et factis ad animi recreationem institutis.* [1])

Contra hanc virtutem peccatur 1. per excessum, si genus ludendi vel jocandi sit illicitum, e. g. petulans, obscoenum, injuriosum, vel si lusus et jocus adhibeatur, ubi, quando, coram quibus non decet, vel affecto immodico; [2]) — 2. per defectum, si quis ex animi morositate omnem honestam animi recreationem repudiet vel in aliis impedire nitatur.

Hic autem specialiter de choreis et spectaculis quaestio incidit.

2. — I. Choreae seu saltationes per se non sunt illicitae, modo fiant a personis saecularibus et modo honesto. Dico 1. *per se non sunt illicitae,* siquidem aliquam speciem exhilarationis per se indifferentis constituunt. Addo 2. *si fiant a personis saecularibus;* clerici enim „a choreis abstinere jubentur.“ Subdo 3. si fiant *modo honesto,* videlicet omni gestu et actu impudico remoto.

Saltationes autem, prouti fieri solent, plerumque saltem periculosae sunt; quapropter parochi et confessarii, quoad possunt, fideles ab eis avertere adlaborent. [3]) Prudentia tamen suadet, ut concionatores indirecte tantum in choreas invehantur, directe in peccata, quae in eis committi solent, ut Gury [4]) recte observat.

3. — II. De spectaculis idem fere dicendum ac de choreis. Per se non sunt mala, [5]) attamen prouti nunc temporis et apud nos habentur, maxime sunt noxia, tum ob res turpes et religioni adversas, quae solent repraesentari, tum ob incentivum libidinis, quod

---

[1]) Derivatur ab *ευ* bene, et *τρεπω* se convertere, quia nimirum bene convertit dicta et facta ad animi solamen. S. Thom.: 2. 2. q 168. a. 2.

[2]) S. Ambrosius ait: *„Caveamus, ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum.“* De offic. Lib. I. cap. 20.

[3]) Meminerint eorum, quae de choreis s. Franc. Sales. docet. Imprimis tunc solum saltationes admittit, ubi prudentia et pia discretio suadent, ut votis aliorum satis fiat; dein vero monet, ut id raro tantum, ex honesta semper ratione et cum viva Dei praesentis vel novissimorum memoria fiat; postremo generatim asseverat, choreas quascunque fungis non absimiles esse, qui utcunque scite cocti, plus nocent, quam prosunt, praesertim nisi parce admodum et in stomachum sat validum transmittantur. Philothea P. III. c. 34.

[4]) P. I. n. 245. q. 6.

[5]) S. Thom.: 2. 2. q. 168. a. 3.

spectatores sibi ipsi praebere consueverunt. Itaque tunc tantum potest permitti, ut quis spectaculis intersit, quando gravis causa extat, et periculum proximum peccati abest, quocirca e. g. ancillae excusari possunt, quae dominas suas in theatra comitari jubentur, et gravem indignationem dominarum, imo et dimissionem paterentur, si renuerent obedire; dummodo sint timoratae conscientiae, et contra perversionis pericula salutaribus praesidiis sese communiant.

Sectio IV.

De prudentia et vitiis oppositis.

§. 178.

De prudentia.

1. — Prudentia *sensu generali* accepta est cognitio veri, praesertim quod ad recte vivendum spectat. *Sensu speciali* prudentia est *virtus, quae dirigit actus aliarum omnium virtutum, ut excessum et defectum vitantes plene conformes fiant legi divinae.* [1])

Prudentiae igitur est, dirigere actus, ut fiant honeste et virtuose. [2]) Ad hoc autem praevie requiritur *bene consultare* (seu inquirere) et *recte judicare* (seu decernere), quid spectatis circumstantiis sit prosequendum aut vitandum, ut actus fiat honeste, e. g. quo loco, tempore, modo sit restituendum. Ad hos porro actus, qui prudentiae conjunguntur, faciunt tres virtutes, quae prudentiae dicuntur adnexae: Eubulia, Synesis et Gnome. Videlicet *Eubulia* juvat consultationem, *Synesis* et *Gnome* juvant rectum judicium ferendum, id et sic esse in his circumstantiis agendum, ut agatur honeste. Synesis juxta regulas communes, Gnome per Epikiam judicat. [3])

Prudentia dividitur in *personalem,* qua quis semetipsum, et *gubernatricem,* qua quis alios recte dirigit, et haec est vel domestica vel pastoralis vel civilis.

---

[1]) S. Thomas post Aristotelem dicit: *prudentia est recta ratio agibilium,* quod idem est ac intelligentia seu perspicacitas, qua recte seu legi divinae conformiter dirigantur operationes humanae. S. Basilius: „Prudentia vera est eorum, quae agenda et non agenda sunt." Homil. 12. in princ. Prov. S. Augustinus: „Ad prudentiam dignoscentia pertinet appetendorum, et vitandorum." De morib. Eccl. cath. Lib. I. c. 24. n. 45. „Prudentia est rerum appetendarum et fugiendarum scientia," Lib. I. de lib. arb. cap. 13.

[2]) S. Thom. docet: „*Prudentia est directiva omnium virtuosorum actuum,*" 2. 2. q. 56. a. 1. c. „*Prudentia et directiva omnium moralium virtutum.*" 3. q. 85. a. 3. ad 4.

[3]) Doctor Angelicus has appellat *partes potentiales prudentiae*, quas explanat 2. 2. q. 51. Ita illae virtutes prudentiae subserviunt, ut iisdem seclusis ipsa tollatur prudentia.

2. — Prudentia, quatenus est virtutum moralium forma coll. Lib. I. §. 111.) cunctis praestat virtutibus moralibus. [1]) Egregie s. Bernardus: „*Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit et decorem, etiam et perpetuitatem. Est ergo discretio non tam virtus, quam quaedam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, et morum doctrix. Tolle hunc, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturae.*" [2]) Hinc patet, quam sit necessaria virtus. „*Oculi tui videant recta*" Prov. 4. 25. „*Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.*" Matth. 10. 16. „*Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quae sit voluntas Dei.*" Eph. 5. 17. Cf. 1. Petr. 4. 7.

Dotes prudentiae sunt: 1. *Providentia,* quae (quasi procul videns) finem considerat, ad quem opus est dirigendum; 2. *circumspectio,* quae rerum adjuncta expendit, ut opus per se conveniens fini, etiam secundum circumstantias fiat bene; 3. *cautio,* quae „cavet ab eis, per quae opus virtutis impediri potest."

* S. Ambrosius: De officiis ministorum Lib. I. cap. 25. et 26. S. Petrus Damiani: Opusc. 58. B. Albertus M.: Paradisus animae cap. 34. S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 47—51. S. Bonaventura: Pharetra, Lib. II. cap. 27. (prudentia effatis ss. Patrum explicatur). Diaeta salutis cap. 5. (prudentia comparatur assessori judicis, astutiae serpentis etc.). — Lessius: De justitia etc. Lib. I. cap. 1. integr. et cap. 2. Dub. 1—3. Laymann: Theol. mor. Lib. III. Sect. 2. Billuart: Summa d. Thomae hodiernis Academ. moribus accomodata, Tract. de prudentia Diss. 1. et 2. Collet: Tract. de universa Theol. mor. Tom. 1. cap. 2. a. 1. 2. et 3.

§. 179.

De vitiis prudentiae oppositis.

1. — Per defectum prudentiae opposita est *imprudentia,* ad quam praeprimis spectat inconsideratio, quae judicat, omissa diligenti inquisitione, et praecipitatio, quae adgreditur opus, sufficienti deliberatione neglecta. Haec mortalia non sunt, nisi quis se exponat periculo graviter impingendi contra alias virtutes, aut aliquam reipsa graviter violet.

---

[1]) S. Thomas: „*Prudentia est nobilior virtutibus moralibus, et movet eas.*" 2. 2. q. 47. a. 6. ad 3. Idem repetit 2, 2. q. 56. a. 1. ad 1.

[2]) In Cant. Serm. 49. n. 5.

2. — Peccata contra prudentiam per excessum vel potius sub quadam falsa prudentiae specie sunt: 1. *prudentia carnis,* quae excogitat idonea media ad explendos naturae motus inordinatos; est mortalis ex genere suo, nam *„prudentia carnis mors est."* Rom. 8. 6. — 2. *Astutia,* quae est ars fallendi proximum; mortalis vel venialis est pro ratione affectus, cui subest, et damni, quod proximo evenit. Ad hanc revocantur *dolus* et *fraus,* quae in eo inter se differunt, quod dolus sit astutiae executio tum verbis, tum factis; fraus autem solis factis. 3. *Nimia sollicitudo* temporalia acquirendi vel conservandi; quae tunc mortalis est, quando violatur gravis obligatio, vel in re creata ultimus finis ponitur.

* S. Thomas: Summa Theol. 2. 2. q. 53—55. Lessius: De justitia etc. Lib. I. cap. 2. Dub. 4. Billuart: Tract. de prudentia Diss. 3. Reiffenstuel: Theol. mor., Tom. III. Tr. VII. Quaest. 2. n. 11—20. Collet: Tract. de universa Theol. mor. Tom. I. cap. 2. a. 4. Card. Bona: Manuductio ad coelum, cap. 22.

Officium prudentiae a B. Alberto M. recensitum.

„Officium prudentiae est ordinare cogitationes cordis, ne extra Deum vagentur: affectiones mentis, ne circa creaturas occupentur: voluntates, ne a Deo avertantur: intentiones, ne misceantur, sed purificentur: judicia et suspiciones, ut ad melius convertantur. Similiter omnia verba, facta et incessus ordinare debet, ut ad debitum finem omnia fiant, pro communi utilitate et omnium emendatione. Nam, teste Salomone, sapientia hominis lucet in vultu ejus (Eccl. 8. 1.), hoc est, in conversatione exteriori. Qui sic ordinatus est, habet argumentum verae sapientiae. Item de hoc dicit d. Bernardus: Quotidiana discussione examina vitam tuam. Attende diligenter, quantum profeceris, quantum defeceris: qualis sis in moribus, qualis in affectibus: quam similis et dissimilis Deo. Stude diligentissime teipsum cognoscere; quia multo melior es, si teipsum cognoveris, quam si te neglecto cursus siderum et vires herbarum cognoveris." [1])

---

[1]) Paradisus animae cap. 8. n. 4.

TITULUS II.

De virtutibus, quatenus pertinent ad peculiares hominum status.

§. 180.

Ordo dicendorum.

Postquam disputatae sunt virtutes, quatenus ad omnes Christifideles pertinent; modo juxta divisionem materiae §. 1. praemissam considerandae sunt virtutes specialiter applicatae certis hominum statibus, seu quatenus ad illas homines diversorum statuum peculiariter obligati existunt.

Varii autem status vitae christianae respectu ethico adaequate dividuntur in status vitae communis, et status perfectionis. Etenim quilibet vitae christianae status vel pro fine habet perfectionem peculiarem acquirendam et exercendam, vel non. Si prius, hoc ipso statibus perfectionis erit adnumerandus. Si posterius, inter vitae communis status recenseri debebit.

Hinc propositum nobis est, exponere 1. obligationes eorum, qui in statu perfectionis versantur, et 2. obligationes eorum, qui in statu vitae communis versantur.

Tractatus I.

De obligationibus eorum, qui in statu perfectionis versantur.

§. 181.

Obligatio communis et specialis tendendi ad perfectionem.

1. — Perfectio vitae christianae essentialiter in charitate consistit, ut Lib. I. §. 118. n. 3. probatum est.

Est quaedam obligatio omnibus communis tendendi ad perfectionem. Quod 1. constat ex s. scriptura. Nam Christus Dominus dicit: *„Estote perfecti, sicut pater vester coelestis perfectus est."* Matth. 5. 48. Apostolus Paulus monet: *„Estote perfecti."* 2. Cor. 13. 11. Apostolus Petrus: *„Ipsi in omni conversatione sancti sitis."* 1. Petr. 1. 5. Vid. Ephes. 1. 4., 6. 3. Jac. 1. 4. — Constat 2. ex ss. Patribus, inter quos s. Augustinus clamat: *„Sic audiamus praecepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem caritatis."* [1]) Ecclesiae Patribus concordant Theologi, quorum praecipuus, d. Thomas tradit: *„Omnes, tam religiosi quam saeculares tenentur aliqualiter facere, quidquid boni possunt: omnibus enim communiter dicitur Eccli. 9. Quodcunque potest manus tua, instanter operare."* [2]) — Constat 3. ex ipsa perfectionis essentia. Haec quippe in charitate consistit. Atqui ex stricto praecepto jubemur Deum diligere super omnia ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus.

Porro perfectio, ad quam omnes omnino obligantur, consistit in eo, quod Deum diligere debemus appretiative super omnia (v. §. 22. n. 3.), ita, ut nihil supra Deum, aut contra Deum, aut aequaliter Deo a nobis ametur. A quo gradu perfectionis qui deficit, nullo modo implet praeceptum perfectionis. Ita Angelicus Doctor.[3]) Hinc perfectio haec complectitur omnia praecepta, omnesque obligationes cuique statui adnexas, imo et consilia respicit, ita ut non modo praecepta custodire debeamus, sed consilia quoque observare parati simus, quando necessitas salutis id requirit. Videlicet secundum d. Thomam [4]) „nullus est actus perfectionis sub consilio cadens, qui in aliquo eventu non cadat sub praecepto, quasi de necessitate salutis existens; sicut s. August. dicit in lib. de adulterinis conjugiis cap. 13., quod aliquis incidit in necessitatem continentiae servandae propter absentiam aut infirmitatem uxoris." [3]) Et qui ad hanc perfectionem communem obligantur, in *statu vitae communis* versari dicuntur. [5])

2. — Specialis obligatio studendi perfectioni religiosis et sacerdotibus et episcopis vi et ratione status sui incumbit; quatenus non tantum praecepta, sed etiam consilia statui ipsorum correspondentia custodire tenentur. Illi igitur ad peculiaria quaedam perfectionis opera exercenda obstringuntur, ad quae alii obligationem non habent; atque in *statu perfectionis* vivere dicuntur, quatenus ipse status, quem amplexi sunt, peculiarem perfectionem ab ipsis requirit, sed diverso modo.

---

[1]) De perfectione justitiae cap. 8. n. 19.

[2]) 2. 2. q. 186. a. 2. ad 2.

[3]) 2. 2. q. 184. a. 3. ad 2.

[4]) 2. 2. q. 124. a. 3. ad 1.

[5]) Vid. Schram O. B.: Instit. Theol. myst., Tom. I. P. I. cap. 1. §. 19. et 20. Ed. nova Parisiis 1868.

Nimirum duplex distinguitur status perfectionis: 1. *status perfectionis acquisitae et exercendae*, qui est status sacerdotalis; quia sacerdotes vi dignitatis suae tenentur quaedam perfectionis opera exercere, quum supponantur jam antequam sacerdotes facti sint, aliquam perfectionem sibi acquisivisse. 2. *Status perfectionis acquirendae*, qui est status religiosorum, qui non sunt sacerdotes; nimirum in Ordine suo „tamquam in schola docentur modum acquirendae et obtinendae perfectionis."

Hinc quum propositum nobis sit, exponere obligationes eorum, qui in statu perfectionis versantur: convenienter divisim agemus 1. de obligationibus clericorum, et 2. de obligationibus religiosorum.

Sectio I.

De obligationibus clericorum.

Obligationes, quae clericis incumbunt implendae, sunt duplicis classis, aliae communes, aliae peculiares.

Caput I.

De obligationibus communibus clericorum.

Communes clericorum obligationes sunt partim positivae, partim negativae.

A.

De obligationibus positivis clericorum.

§. 182.

De clericorum sanctitate.

PROPOSITIO.

Clerici peculiariter tenentur ad vitae perfectionem et sanctitatem.

1. — Doctrina proposita adeo manifesta et evidens est lumine fidei, ut paucis eam ostendisse satis erit.

Probatur 1. ex sacerdotii idea seu natura. Enimvero status sacerdotalis excellentissimus et sanctissimus est. Sacerdos quippe sanctissima mysteria peragit, Jesu Christo intime conjungitur, pro Christo legatione fungitur (Eph. 6. 20.), minister Christi est (1. Cor. 4. 1.), Jesum Christum repraesentat. Dum annuntiat verbum divinum, quasi Deus exhortatur et loquitur per ipsum. (2. Cor. 5. 20.) Dum consecrat panem et vinum, poenitentem a peccatis absolvit, aliaque Sacramenta administrat: Christus facit omnia; „sacerdos et manus et linguam praebet", „instrumentum est principalis agentis", s. Thomas dicit. Tanta vero status sanctitas certo vitae sanctitatem requirit. — Porro sacerdotes sunt *sal terrae,* mentes fidelium condire debent non tantum doctrina, sed etiam vita evangelica, *lux mundi,* praefulgere debent fidelibus exemplo omnium virtutum, juxta Apostoli monitum: *„in omnibus praebe te ipsum exemplum bonorum operum"* Tit. 2. 7. Ergo necesse est, ut vitae sanctitate excellant ad populi aedificationem.

2. Ex lege divina. De sacerdotibus antiquae legis ajebat Dominus: *„Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus."* Lev. 21. 6. Jam vero, observat Bellarminus, [1]) si tanta vitae sanctitas requirebatur in illis, qui sacrificabant boves et oves, quid requirendum erit in iis, qui ipsum divinum Agnum sacrificant? Porro Apostolus in ep. ad Titum et Timotheum totus in eo est, ut ad virtutum et sanctitatis studium sacerdotes instiget.

3. Ex doctrina ss. Patrum, qui quidem hanc clericorum obligationem frequentissime eloquuntur et graviter inculcant. Sic s. Joa. Chrysostomus monet: *„Sacerdos debet vitam habere immaculatam, ut omnes in illum, veluti in aliquod exemplum excellens, intueantur; idcirco enim nos elegit Deus, ut simus quasi luminaria et magistri ceterorum, ac veluti Angeli versemur in terris."* [2]) Porro d. Thomas dicit: *„Ad idoneam executionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscunque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis."* [3]) Imo docet, in sacerdote majorem sanctitatem requiri, quam in simplici religioso. [4])

4. Ex decretis Conciliorum. Sufficiet multis, quae adduci possint, praetermissis, Tridentinum referre, cujus hoc est decretum ab omnibus alta mente tenendum: *„Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum prae se ferant."* Sess. 22. cap. 1. de Ref.

[1]) Com. in Psalm. 18. v. 9.
[2]) Homil. 10. in ep. ad Tim.
[3]) Suppl. q. 35. a. 4.
[4]) 2. 2. q. 184. a. 8.; 189. a. 1. ad 3.

Corollaria.

2. — I. Non sufficit, ut sacerdotio initiandus *non sit positive malus* seu immunis a peccato mortali, sed requiritur, ut sit *positive bonus,* scilicet, ut vitam spiritualem, et praeprimis continentem agat. Unde ajebat s. Bernardus: *Nos in monasteriis omnes recipimus spe meliorandi; in Clero autem viros probatos deligi oportet, non probandos.* Et Concilium Tridentinum postulat, ut ii tantum assumantur ad sacros Ordines, *quorum probata vita senectus sit,* [1]) nempe qui sint senes in virtute.

Huc spectat doctrina communis, quam eximium Ecclesiae lumen, sanctus Alphonsus, singulari eruditione et sapientia comprobat, *clericum habituatum in vitio turpi, qui statim ad sacros Ordines ascendere velit, absolvi non posse,* etiamsi contritus sit; quia ad sacros Ordines suscipiendos non sufficit immunitas a peccato mortali, sed requiritur bonitas specialis, quam cum ille clericus non habet, non est dispositus ad suscipiendum Sacramentum Ordinis, adeoque non dispositus ad suscipiendum Sacramentum Poenitentiae, si quidem indigne suscipere volens sacrum Ordinem, graviter peccat. [2]) Excipit praelaudatus s. Ecclesiae Doctor tantum casum, quo talis clericus „a Deo donaretur tam extraordinaria compunctione, quae ipsum liberaret ab antiqua fragilitate, nam, ut ait Angelicus, quandoque tanta commotione Deus cor hominis convertit, ut subito perfecte consequatur sanctitatem specialem." Sed subdit, raras esse hujusmodi conversiones, et praesertim in Ordinandis. [3])

Quod dicitur de vitio turpi, idem servata proportione tenendum est de aliis vitiis sanctitati clericali oppositis; quia et per alia

[1]) Sess. 23. cap. 12.
[2]) Lib. VI. n. 63. et sq.
[3]) S. Leonardus ad probationem requirit *unius anni, vel duorum spatium;* Bouvier: Tr. de Ordine cap. 6. Punct. 3. in eo, qui in secretas incontinentias secum ipso quandoque relabitur, etiamsi antea non adeo inveteratam relabendi consuetudinem habuerit, arbitratur *spatium duorum annorum perfectae continentiae communius nimium non esse.* Et S. Alphonsus ait, clericum habituatum ad Ordinem ascendere non posse, nisi post plurium saltem mensium probationem.

vitia, e. g. ebrietatem, superbiam, inobedientiam, acediam, excluditur bonitas illa positiva, quae ad Ordines sacros rite suscipiendos exigitur.

II. Sacerdotes, qui supponuntur perfectionem aliquam ante sacrum Ordinem sibi acquisivisse, eandem sedulo exercere atque in sui status virtutibus continuo proficere tenentur. Praeclare dicit Concil. Prov. Vienn. Tit. V. c. 1. *„Sacerdos Dei ita vivat, prout eos, qui quotidie communicandi desiderium ei panderent, ipse vivere juberet. Neminem fugere potest, justissimam hanc legem esse, et ex suo ipsius ore judicandum, qui eam sequi nolit.“*

* S. Ephrem: Libell. de sacerdotio. S. Hieronymus: Epist. 52. (al. 2.) ad Nepotianum. S. Gregorius M.: In Evang. Lib. I. Homil. 17. S. Petrus Damiani: Opusc. 25. et 26. (de dignitate et sanctitate sacerdotis). S. Bernardus: Lib. de conversione. ad clericos. S. Alphonsus: Dissertatio de clerico habituato in vitio turpi, cupienti statim initiari sacris, in Theol. mor. Lib. VI. n. 63—77. H. A. Tract. ult. n. 16. et 17. — J. B. Bouvier: Institutiones Theologicae, Tract. de Ordine cap. 6. Punctum 3. (Ed. 12. Tom. IV.). Scavini: Theologia moralis universa Tom. I. Tract. III. Disp. 1. cap. 2. a. 2. q. 4. Schram O. B.: Institutiones Theologiae mysticae, Tom. I. cap. 1. §. 23. Ed nova. Parisiis 1868.

De vocatione divina ad statum sacerdotalem.

3. — Qui ad statum sacerdotalem evehi cupit, ad eundem a Deo vocatus esse debet. Ab hac quippe vocatione aeterna salus tam ordinandorum quam populi christiani pendet: *„Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est et latro.“* Joa. 10. 1. Quam necessaria haec vocatio sit, non tantum edocent ss. Patres, sed ipsa attestatur divina scriptura. Etenim Christus sic allocutus est Apostolos: *„non vos me elegistis, sed ego elegi vos.“* Joa. 15. 16. Rursus praecepit: *„Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.“* Luc. 10. 2. Apostolus dicit: *„Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu.“* Hebr. 5. 4. 5. Unde et Apostoli, ut in locum Judae alium subrogarent, sic Deum deprecati sunt: *„Tu Domine, ostende, quem elegeris.“* Act. 1. 24. Illi igitur, qui non vocati a Deo in sacrum ministerium se intrudunt, ipsi sunt, de quibus conqueritur Dominus: *„Non mittebam prophetas, et ipsi currebant.“* Jer. 23. 21. [1])

[1]) S. Alph.: Lib. VI. n. 802.

4. — Signa praecipua vocationis divinae ad sacerdotium sunt sequentia: 1. *Singularis quaedam ad statum hunc inclinatio et propensio;* haec enim, si constans (praesertim a teneris annis ad maturam usque aetatem perseverans), si fortis et suavis sit, a Deo repeti debet, qui quippe fortiter et suaviter disponit omnia (Sap. 8. 1.), ac proinde hominis voluntatem eodem modo ad statum sacerdotalem capessendum excitare solet. 2. *Pius animi sensus,* castitatis, humilitatis, obedientiae, aliarumque virtutum, quas status hic sanctissimus exquirit, amor et studium. 3. *Recta intentio,* videlicet desiderium sincerum vacandi gloriae divinae et saluti animarum, non autem, sine curis vivendi, cum ad curas pervenerit, adipiscendi honorem, complacendi parentibus, qui ad hunc statum eum impellunt etc.

Ut quis dignoscat, utrum ad sacerdotium sit vocatus, necne, sequentia observet: 1. Frequenter et ferventer Deum, Patrem luminum, exoret, ut doceat ipsum facere voluntatem suam, et intercessionem B. V. Mariae fiducia filiali imploret. 2. Mature et aequo animo semetipsum disquirat et examinet, proponendo sibi signa et argumenta divinae vocationis prius enumerata. 3. Expetat consilium a peritis, deque Dei atque Ecclesiae gloria pie sollicitis viris, praeprimis a conscientiae directore in vita spirituali bene versato.

5. — Qui sine vocatione divina in sacerdotium se intrudit, non potest excusari a gravi praesumptione. [1]) Quare aliud non restat, quam ut de admissa culpa sincere poenitens Dei misericordiam et gratiam imploret, illudque sancti Augustini sibi dictum putet: *Si non es vocatus, fac ut voceris.*

§. 183.

De coelibatu.

1. — In Ecclesia latina clerici omnes a Subdiaconatu tenentur gravissimo praecepto servare perpetuam continentiam, ita ut nec licite nec valide inire possint matrimonium. Concilium Tridentinum declaravit: *„Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit.“* Sess. 24. can. 9. Obligatio coelibatus non tantum ex lege ecclesiastica, sed ex voto simul procedit, quod videlicet implicite adnectitur ipsi facto Ordinationis. [2])

[1]) S. Alph.: Lib. VI. n. 803.

[2]) S. Alph.: Lib. VI. n. 808. ait,

In graeca Ecclesia conjugati ante diaconatum possunt ad Ordines ulteriores provehi, et postea cum uxoribus suis conversari. Excipiuntur episcopi, qui perfectam castitatem constanter servare debent. Clericis non conjugatis in susceptione diaconatus praeceptum castitatis imponitur.

2. — Vigilantius, Jovinianus, Wicleffus et reformatores insano furore sacrum coelibatum insectati sunt. [1]) His accesserunt pseudopolitici ac libertini praetexentes, illam legem hominis naturae et bono societatis adversari.

PROPOSITIO.

Lex coelibatus antiquissima, imo Apostolica, et statui clericali convenientissima est.

3. — Pars I. *Lex coelibatus antiquissima, Apostolica est.* Probatur 1. ex s. scriptura. Apostolus ad Titum scribit: „*Oportet episcopum* (quo nomine etiam presbyterum comprehendit) *esse — continentem*" Tit. 1. 8., quod s. Hieronymus exponit: ab uxoris amplexibus. Accedit exemplum Apostolorum, etenim s. Hieronymus scribit: „*Christus virgo, virgo Maria utriusque sexus virginitatis dedicavere principia; Apostoli vel virgines vel post nuptias continentes.*" [2])

2. Ex testimoniis Conciliorum antiquorum totius Ecclesiae, ut Concilii Ancyrani, Carthaginensis II., Arelatensis II., Turonensis I. Signanter Concilium Carthaginense II. can. 2.: „*Omnibus placet,* inquit, *ut episcopi, presbyteri, diaconi, vel qui Sacramenta contrectent, pudicitiae custodes etiam ab uxoribus se abstineant.*" Et ratio ibi redditur: „*Ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.*"

3. Ex testimoniis veterum Pontificum, inter quos s. Siricius (qui anno 385. floruit) ejusdem legis meminit tamquam *ab Apostolo institutae,* ejusque observantiam urget, atque in transgressores ut in violatae legis reos animadvertit.

4. Ex testimoniis ss. Patrum, quae plane abundant, et videri possunt penes Bellarminum. [3]) Unum tantum s. Epiphanium adducere volumus, qui sic quidem scribit: „*Sed adhuc viventem et liberos*

hanc obligationem non oriri immediate ex lege Ecclesiae, sed ex voto. Bened. XIV.: De Syn. Lib. XIII. c. 12. n. 13.

[1]) Inter novatores contra coelibatum scripserunt: Calvinus: Lib. IV. Inst. cap. 12. Sect. 23. Melanchthon: In Apol. confess. Aug. art. 23., et in ipsa confess. Kemnitius prolixe in examine Conc. Trid. can. 9. Sess. 24. Lutherus: Lib. de abrog. Missa privata, Centuriones ubique in singulis centuriis.

[2]) In Apologet. pro libris contra Jovinian. (seu epist. 48.) n. 21.

[3]) De clericis cap. 19.

gignentem unius uxoris virum Ecclesia non suscipit, sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum et Presbyterum, et Episcopum et Hypodiaconum: maxime ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros et Diaconos et Hypodiaconos: At hoc non est juxta canonem, sed juxta hominum mentem, quae per tempus elanguit." [1])

4. — Pars II. *Lex coelibatus statui clericali adprime convenit.* Etenim 1. status sacerdotalis sanctissimus est, quocirca, ut superius probavimus, clerici prae ceteris perfectioni studere debent. Atqui huic studio optime congruit continentia perpetua, quae quippe melior est, quam matrimonium. — In antiqua lege cautum fuit, ut ii ab uxoribus se continerent, qui res minus sanctas, quam sunt mysteria novae legis, tractaturi essent. Nonne igitur convenientissime cautum est lege ecclesiastica, ut sacri ministri N. T. perpetuam continentiam servent, utpote qui ministerio sacratissimo perpetuo debent incumbere?

2. Coelibatus arcet impedimenta, quae ex consuetudine conjugali oriuntur et obstant, quominus omnino expedite sacri ministri officiis suis fungantur. Etenim sacerdotis est, diligentius vacare orationi et contemplationi rerum divinarum, sacrificare, Sacramenta administrare, docere et exhortari, infirmorum et pauperum curam gerere. Jam vero consuetudo conjugalis his omnibus officiis non mediocri impedimento est.

Obstat multum orationi, quia distrahit animum, teste Apostolo, qui *omnes cupiebat sicut seipsum, ut facultas,* inquit, *sit absque impedimento Dominum obsecrandi.* 1. Cor. 7. 35.

Obstat ministerio, quod exhibetur Domino in Sacrificio. Nam omnino decet, ut qui Agni immaculati ministri sunt, insigni cordis corporisque munditia niteant, qui Angelorum panem in manus accipiunt, Angelicis moribus vivant.

Obstat administrationi Sacramentorum; etenim ad reverentiam, quae in populo erga Sacramenta requiritur, maxime expedit, ut sit magnum discrimen inter eos, qui Sacramenta administraturi sunt, et populum, cui sunt administranda. Populus christianus sacerdotes continentes ceu homines altioris ordinis suspicit, et conscientiae suae arcana majori cum fiducia eis aperit.

Obstat officio docendi et exhortandi, quia sacerdos conjugatus

[1]) Haeres. 59.

non potest efficacia et auctoritate necessaria virgines et viduas aliosque, qui nondum matrimonio juncti sunt, ad continentiam exhortari, ut jam s. Ambrosius observavit. [1]) Et quid demum monendo proficiet casu, quo uxor ipsius vel soboles communitati publica scandala praebeat? Praeterea sacerdos coelebs maxime exemplo suo conjuges inducere poterit ad omnem foeditatem vitandam.

Obstat curae infirmorum, si facile quidem detinebit sacerdotem ab aegrotis invisendis, praesertim eis, qui morbo contagioso laborant.

Obstat curae pauperum, quia sacerdos conjugatus mulieris ac liberorum sustentationi providere, prolium educationi et institutioni prospicere, ipsarumque futurae sorti consulere tenetur.

Quibus omnibus addendum, quod fere solus coelebs pronus aptusque existit ad munus missionarii apud barbaras gentes obeundum.

Paucis, sacerdotii decor, auctoritas et optata activitas potissime a coelibatus observantia pendet.

* S. Petrus Damiani: Opusc. 17. et 18. — Clitoveus: Lib. de coelibatu sacerdotum. Michaël Medina: Lib. V. de coelibatu sacerdotum. Sotus: Libr. VII. de justitia et jure, q. 5. et 6. Bellarmin: De membris Ecclesiae militantis, Lib. I. de clericis cap. 18—22. Gregorius de Valentia: De coelibatu, Liber unus. Lud. Thomassinus: Vetus et nova Ecclesiae disciplina, P. I. Lib. II. cap. 60—66. (historice). Perrone: Praelectiones Theolog. Ed. Ratisb. 1855. Tom. IX. pag. 80—119. Möhler: Kleinere Schriften I. B. Beleuchtung der Denkschrift über die Aufhebung des Coelibates. G. Phillips: Vermischte Schriften II. B. De Coelibat. Wien 1856. Anonymus: Der Coelibat. Regensburg. 1841.: Hefele: Die Entwicklung des Coelibates und die kirchliche Gesetzgebung über denselben, sowohl bei den Griechen als Lateinern. (Beiträge zur Kirchengeschichte etc. I. B. S. 122—140.). Lupellus: Tractatus de castitate. Parisiis 1858. Aug. de Roskovány, episc. Nitriensis: Coelibatus et Breviarium. Tom. I.—IV. Pestini 1861. (Coelibatus lex e monumentis omnium saeculorum demonstratur, et accedit completa literatura.) Palasthy: Theologia morum catholica, P. II. Sect. I. pag. 430—436. Ratisb. 1861. Ephem. *Der Katholik.* Ueber das Alter des Gesetzes, welches die Geistlichen zur Ehelosigkeit verpflichtet 1866. S. 528—551.

Objectiones.

Quae contra coelibatus legem ejusdem osores obmovere solent, ad tria capita reduci possunt. Blaterant nimirum, hanc legem 1. adversari juri divino, 2. adversari juri naturali, et 3. adversari societatis bono.

5. — Objiciunt I., *Continentiae legem adversari juri divino.* Nam 1. Deus matrimonium imperavit Gen. 1. 28. dicens: „*Crescite et multiplicamini, et replete terram.*" 2. Apostolus ait, homines impios fore, prohibentes nubere 1. Tim. 4. 1.; porro 3. vult, ut propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat 1. Cor. 7. 2., cujus jussionis rationem reddit subjungens: „*Melius est enim nubere, quam uri;*" 4. speciatim vero 1. Tim. 3. 2. et Tit. 1. 6. constituit, ut episcopus sit *unius uxoris vir.*

[1]) De offic. Lib. I. cap. 50. n. 257.

Resp. ad 1. Verba allegata tantum benedictionem et foecunditatem hominibus collatam significant. Porro, si ponamus, quod nubendi praeceptum edicant, hoc praeceptum non ad omnes spectare posset, secus enim Christus et Apostoli consilium continentiae perpetuae nequaquam dedissent. [1])

R. ad 2. Apostolus de iis loquitur, qui damnaturi sunt nuptias ut simpliciter malas. An haec vero Ecclesiae mens est, dum coelibatus legem ministris suis imponit?

R. ad 3. Apostolum verbis citatis nequaquam praecipere omnibus ut uxores habeant, colligitur ex iis, quae v. 7. statim subdit: „*Volo enim omnes vos esse, sicut meipsum* (continentes), *sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.*" Igitur Paulus tantum monet, ut qui donum continentiae non habet, nec a Deo impetrandum curat, uxorem ducat, propter fornicationem, id est, ne in fornicationis coenum labatur. *Melius est enim nubere, quam uri,* quia etsi continentia melior sit matrimonio, fornicationi tamen matrimonium praeferendum est. — Unde deduces, quod illi, quibus continentiae donum et studium deest, sacerdotio se intrudere vetantur. Quod idem inculcat Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 13. de Ref., dicens: „*Subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium et in minoribus ordinibus probati, — qui sperant, Deo auctore se continere posse.*"

R. ad 4. Apostolus praecipiens, ut episcopus sit unius uxoris vir, vult, ne sit bigamus seu ne conjuge mortua aliam duxerit. Permittebatur nimirum pro tempore, ut in episcopum eligeretur, qui uxorem haberet, propter paucitatem eorum, qui et coelibes et ad episcopatum idonei essent. Sed non aliter uxoratus ad episcopatum assumebatur, quam si pari consensu cum uxore continentiam servaret.

6. — Instant: 1. Deus coelibatum liberum reliquit Matth. 19. 1. Cor. 7. 7.; hinc Ecclesia clericos adigere nequit, ut coelibes maneant. 2. Nec possunt clerici hanc legem in se suscipere, continentiamque polliceri, cum nemo possit promittere, quod non est in ipsius potestate servandi, qualis est continentia perpetua.

Resp. ad 1. Ecclesia nullum cogit ad coelibatum in se suscipiendum, quandoquidem unicuique liberum est, ordines suscipere vel non suscipere. Igitur clerici ipsi scientes et volentes coelibatus obligationem sibi injiciunt, qui cum probe norint, quae altaris ministro adnexa sit conditio, ordines sacros suscipiendo sponte sua nubendi facultate sese abdicant.

R. ad 2. Clerici legem continentiae observare possunt auxilio gratiae divinae; et profecto nemini petenti Deus benignissimus donum continentiae perpetuae denegabit. Quibus dedit velle, dabit etiam perficere, si ipsi velint. Nonne etiam conjux saepe cogitur, vel propter absentiam vel propter aegritudinem longiorem alterius conjugis, abstinere ab usu conjugii? et tamen debent, et possunt gratia Dei adjuti se continere.

7. — Objiciunt II., *legem coelibatus adversari juri naturali.* Namque 1. natura hominem ad matrimonium inclinat, cumque in finem sexuum diversitas datur; et 2. instinctus, quo a natura unusquisque in matrimonium fertur, prorsus invincibilis est.

[1]) Cf. s. Thom.: Contra Gent. Lib. III. cap. 136. ad 2.

Resp. ad 1. Natura hominem ad matrimonium inclinat, ut *possit*, si velit, non autem, ut *debeat* matrimonium inire. Aliud est idoneitas, aliud officium. [1])

Resp. ad 2. Hujus assertionis falsitatem arguunt innumeri coelibes utriusque sexus, qui intemeratam servarunt et servant castitatem. Non audiendi homines profani et impudici, qui omnes alios ex se metientes, nullos putant esse castos. Verum est, quod nemo potest esse continens, nisi Deus det Sap. 8. 21.; ideo vero debemus Dominum adire ipsum deprecantes, ut det auxilium ad aestum libidinis vincendum.

8. — Objiciunt III., *legem coelibatus adversari societatis bono.* Nimirum 1. coelibes viri innumeris prope civibus respublicas defraudant; 2. continentiae lex, si universalis fieret, destrueret societatem; 3. per coelibatum ecclesiastici quodammodo extranei fiunt societati.

Resp. ad 1. Reipublicae fundamentum et prosperitas non in numero, sed in probitate et religiositate civium consistit, quam coelibes ecclesiastici mirifice promovent et sustentant. Ipsi pariunt filios spirituales ad reipublicae non minus, quam Ecclesiae sospitatem. Porro si objectio ista absurda premeretur, etiam coelibatus militum, aliorumque, quibus non licet vel non possibile est nubere, pariter esset eliminandus.

R. ad 2. Qui nimium probat, nihil probat. Pari ratione eliminandae essent e societate scientiae, quia si omnes studiis vacarent, agricultura et opificia perirent. Continentiae lex non est, nec fieri potest universalis, quia non omnes habent donum continentiae: ergo inanis timor. [2])

R. ad 3. Illi objectioni id veri subest, quod ecclesiastici viri per coelibatum evadunt magis independentes a regimine civili, et quasi universales, ita ut sine obstaculis possint universas terras religionis causa peragrare. Haec vero maxime coelibatum colendum suadent. Ingeniose cl. Palasty: „Sacerdos coelebs amaras sensibus veritates et irato principi, et ad furorem concitatae plebi annunciat, tamquam Moyses Aegyptiis, Elisaeus avaris, Petrus mentientibus, Paulus blasphemantibus, et negotiantibus Christus. Habeat sacerdos uxorem, habeat proles; jacebit evangelium ad fores furiosi parlamenti vel potentis Caesaris; non erit, qui veritatem loquatur ad populum non credentem, et contradicentem.“ [3])

§. 184.

De horis canonicis.

1. — Horae canonicae dicuntur collectio precum et lectionum, quae juxta Ecclesiae praescriptum recitandae sunt a personis ad id deputatis. — *Horarum* vocabulum designat, illas preces et lectiones juxta Ecclesiae canones certis horis esse recitandas. *Breviarii* etiam appellatione insigniuntur, quia s. scripturam utriusque Testamenti, ss. Patrum eloquia et Sanctorum vitas breviter exhibent; et quia per Gregorium VII. ad breviorem formam redactae sunt. [4]) Appellantur etiam *Officium divinum*, quia in Dei cultum et honorem institutae sunt, *officium ecclesiasticum*, quia nomine Ecclesiae persolvuntur.

[1]) Cf. s. Thom.: Contra Gent. Lib. III. cap. 136. ad 2.

[2]) Cf. s. Thom.: Contra Gentes Lib. III. cap. 136. ad 3.

[3]) Theol. morum cath. P. II. Sect. I. pag. 431. 432.

[4]) Suarez: Lib. IV. de horis canonicis cap. 6. n. 14.

Officium divinum in septem horas dispescitur, scilicet *Matutinum cum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas* et *Completorium.*

2. — Origo horarum canonicarum quoad substantiam (ut sunt preces quaedam diversis diei horis recitandae) ab ipsis Apostolis repetenda est. Etenim s. Lucas narrat, discipulos omnes ad orationem *tertia* diei hora convenisse, Petrum circa horam *sextam,* ipsumque Petrum atque Joannem ascendisse in templum ad horam orationis *nonam*, Paulum et Silam ab his, qui etiam erant in custodia, auditos fuisse *media nocte* Deum precibus laudare. Hinc Tertullianus *Tertiam, Sextam* et *Nonam* dicit tamquam solemniores horas in scripturis inveniri, atque hisce horis nec non *„ingressu lucis et solis“* orationes esse peragendas. [1]) Porro *apostolicas* vocat Horas ab Ecclesia Officio designatas. [2]) Eadem mentio de officio divino apud Athanasium, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, aliosque Patres occurrit. In Constitutionibus Apostolicis statis horis orare jubentur Christiani: *„Precationes facite mane, tertia, sexta, et hora diei nona, vespere, atque ad galli cantum.“* Initio igitur populus cum clero statutis horis in domo Dei preces peregit; serius obligatio persolvendi divinum officium ad solos clericos restricta est.

Officium divinum temporis decursu variam formam induit. Concilium Tridentinum Sess. 25. novam reformationem Breviarii fieri jussit. S. Pius V. illud emendavit, additionibus nonnullis auxit, atque per Bullam: *Quod a nobis,* die 7. Julii 1568. omnia alia Breviaria, quae ab institutione seu legitima consuetudine non superabant 200 annos, prohibuit, simul atque declaravit, omnes ad Horas obligatos non satis facturos officio suo, si alio Breviario utantur; permisit insuper, ut etiam ducentis annis antiquiora in Breviarium Romanum immutari possint, si Episcopus et universum Capitulum consentiant. [3])

3. — Exponendum est, quis, quando, quomodo ad horas canonicas recitandas teneatur, et quaenam sint causae excusantes.

[1]) De oratione.

[2]) De jejunio cap. 10.

[3]) Praeterea non prohibitae, sed laudabiles existimatae sunt reformationes peculiares Breviariorum ducentis annis antiquiorum juxta Romanum, sed accedente S. Sedis revisione et confirmatione. Vid. ephem. *Acta S. Sedis*, Vol. IV. pag. 497. et seq.

A. Quinam horas canonicas recitare tenentur?

4. — Ad horas canonicas quotidie recitandas obligantur:

1. Clerici in ordinibus majoribus constituti, etiam suspensi et excommunicati. Constat ex variis locis juris canon.; ex Conc. Later. IV., ex Bulla Pii V.: *Quod a nobis.* — Obligatio haec incipit a puncto Subdiaconatus suscepti, et quidem ab Hora respondente horae, qua Subdiaconatus collatus est, unde si Ordo confertur hora 9. matutina, obligatio incipit a Tertia. — Subdiaconus, si ante recitaverit, non censetur satisfecisse; quia nemo potest obligationem legitime implere, quae nondum contracta est. Cf. Lib. I. 61. n. 3.

2. Beneficiati, qui Officium culpabiliter omiserunt, fructus Beneficii restituere debent, post sex menses obtento beneficio, pro rata omissionis, ut dicitur in Concilio Lateranensi V. Sect. 9., et in Bulla s. Pii: *Ex proximo.* Quare qui primis sex mensibus a beneficii possessione Officium negligit, peccat quidem graviter contra religionem, non tamen contra justitiam, nec tenetur restituere. Qui vero post admonitionem pergit recitationem Officii omittere, etiam beneficio privari potest. Deinde sanctus Pius V. in Constit.: *Ex proximo* decrevit, ut qui omittit Matutinum, restituat dimidiam partem fructuum correspondentium illi diei; qui ceteras Horas, aliam dimidiam; qui vero unam tantum ex parvis, sextam partem. Et idem dicendum, si quis per plures leves omissiones inter Officium diei ad gravem materiam pertingit. Qui hodie supplere vellet Officium heri omissum, minime liberatur a restitutione. Haecque restitutio fieri debet ante omnem sententiam, quia conditio recitationis est absolute necessaria ad lucrandos fructus.[1])

Restitutio facienda est pauperibus (cujuscunque loci), vel erogari debet in fabricam ecclesiae vel beneficii. Potest quoque fieri in refectionem alterius egentis ecclesiae, si propria non egeat, etiam applicari potest in Missis pro defunctis; imo potest beneficiatus eam sibi ipsi applicare, si vere pauper sit, modo non agat in fraudem.[2]) — Haec restitutio nullo modo suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit, quod constat ex propositione 33. ab Alexandro VII. damnata. Si quis autem post omissionem dederit eleemosynas, immemor vel forte inscius restitutionis faciendae, probabiliter potest eas compu-

---

[1]) S. Alph.: H. A. Append. III. n. 61.

[2]) Idem l. c. n. 62. Th. m. Lib. V. n. 672.

tare.[1]) Porro dicunt, ex benigna interpretatione beneficiatos non teneri omnes fructus beneficii restituere, si aliis oneribus satisfecerint.[2])

Qui Officii recitationem sine culpa omittit, ad restitutionem non tenetur, quia ab Ecclesia in poenam imposita est, poena vero culpam supponit.[3])

3. Obligantur religiosi utriusque sexus professi, et ad chorum destinati; ut constat ex consuetudine, quam Gregorius X. confirmavit.[4]) Non tamen graviter peccat religiosus, qui Officium recitat privatim, dum facile choro interesse possit, dummodo chorus non tollatur, ad quem sufficiunt quatuor expediti seu validi et liberi ad chorum sustinendum.[5]) Qui vero justa de causa choro non interveniunt, sub gravi tenentur Officium privatim recitare.[6])

5. — Obligatio horas canonicas recitandi omnino gravissima est, ita ut fateantur omnes, mortaliter eum peccare, qui totum Officium vel notabilem ejus partem absque legitima causa omittit, quia violat praeceptum Ecclesiae in re gravi pertinente ad virtutem religionis. Et theologi quidem communissime docent, omissionem unius parvae Horae vel partis Officii eidem aequivalentis, esse materiam peccati mortalis.[7])

Ubi adhuc sequentia notanda:

1. Extat obligatio, et quidem gravis, recitandi Officium defunctorum in die Commemorationis omnium defunctorum. Datur quoque obligatio, recitandi Litanias die festo s. Marci et triduo Rogationum. An vero haec obligatio sit gravis vel levis, non omnes conveniunt.[8])

2. Nulla datur obligatio recitandi Psalmos Graduales, Psalmos Poenitentiales, et Officium Defunctorum (praeter diem Commemorationis omnium defunctorum), iis diebus, quibus illae preces juxta Rubricas in Directorio solent notari, nec pro clericis, qui Officium privatim recitant, neque pro recitantibus Officium in choro, nisi quoad posteriores adest consuetudo a tempore s. Pii V., Officia praedicta in choro recitandi. Sic S. Congregatio Rituum declaravit die 11. Junii 1629., 2. Sept. 1741., 4. Sept. 1745.

---

[1]) Idem: Lib. V. n. 700. Quaer. 11.

[2]) Idem n. 675.

[3]) Idem n. 665.

[4]) Idem n. 142.

[5]) S. Alph.: Lib. V. n. 143. H. A. l. c. n. 61.

[6]) Idem Lib. V. n. 142.

[7]) Idem Lib. V. n. 146. et 147.

[8]) Vid. s. Alph.: Lib. V. n. 161.

Quamvis autem non sit obligatio, s. Pontifex Pius V. tamen hortatur, ut eadem recitentur, propositis indulgentiis dierum centum recitantibus Officium parvum B. M. V. et defunctorum, quinquaginta recitantibus Psalmos Poenitentiales et Graduales, quando Rubricae ea praescribunt; ut videre licet in ejusdem Bulla: *Quod a nobis* 1568.

Idem s. Pontifex omnibus fidelibus quacunque die Officium parvum et Officium defunctorum ex devotione recitantibus indulgentias 50 dierum, porro Psalmos Poenitentiales et Graduales ex devotione recitantibus indulgentias 40 dierum concessit, ut liquet ex Bulla: *Superni omnipotentis Dei*, 5. April. 1571.

B. Quo tempore Horae canonicae recitandae sunt?

6. — Antiquis temporibus sic Horae recitabantur: Matutinum post mediam noctem, Laudes sub auroram, Prima post solis ortum, Tertia ad horam nonam matutinam, Sexta circa meridiem, Nona ad horam tertiam pomeridianam, Vesperae ad solis occasum, Completorium sub noctis crepusculum. Nostris temporibus in usu communi non est haec Horarum accurata distinctio.

Obligatio Horarum incipit a media nocte, et terminatur ad mediam noctem sequentem. Omnes Horae parvae licite recitantur a tempore aurorae, imo jam a media nocte usque ad meridiem. Nona vero, et juxta alios etiam Sexta, dici possunt post meridiem. Vesperae et Completorium a meridie usque ad mediam noctem recitari possunt. [1])

Matutinum et Laudes ex privilegio a consuetudine introducto et ab Ecclesia adprobato pridie recitari possunt hora vesperarum, id est, ea hora, quae media est inter meridiem et solis occasum; tunc enim incipit dies ecclesiasticus. Non tamen obligatio est anticipandi Matutinum, quia nemo tenetur privilegio uti. [2]) Porro etiam Matutinum Officii defunctorum pridie recitari potest, saltem extra chorum; quod constat ex universali consuetudine, necnon ex Rubricis. [3]) Sed Litaniae pro festo s. Marci et diebus Rogationum non possunt pridie vespere recitari, ut S. C. R. die 28. Martii 1778. declaravit.

7. — Sacerdotes Matutinum cum Laudibus jam ante Missae celebrationem recitare tenentur. Constat ex Rubrica Missalis Tit. I. de praeparat., ubi legitur: *Sacerdos celebraturus Missam, saltem Matutino cum Laudibus absoluto*, etc., atque omissio inter defectus numeratur; ea vero, quae inter defectus computantur, non amplius possunt esse de consilio, et ideo nequeunt ab aliqua culpa esse immunia. [1])

Haec tamen obligatio non urget sub gravi, et ab ea excusare potest quaelibet causa rationabilis, v. gr. si quis stipendium offerens postulet, ut Missa statim celebretur; si exspectet populus aut aliqua persona gravis; si superior praecipiat; si poenitens aliquis antea fuerit audiendus etc. [2])

C. Quo ordine horae canonicae recitari debent?

Considerari debet ordo officiorum, et ordo Horarum.

8. — Quod I. ordinem officiorum attinet, recitari debet, regulariter loquendo, Officium currentis diei ad praescriptum Calendarii propriae dioeceseos.

Clerici ad horas canonicas obligati, qui extra dioecesim vel locum domicilii versantur, 1. si sint Canonici et beneficiarii, semper tenentur ad Officium propriae ecclesiae, a qua absunt. S. R. C. 10. Julii 1677. et 12. Nov. 1831., — 2. si alii sint sacerdotes et clerici saeculares, qui alibi domicilium figunt, aut pergunt animo figendi domicilium, tenentur sequi Calendarium dioecesis, ad quam divertunt, cum ejusdem subditi fiant. S. R. C. 14. Maji 1672. Si extra patriam aut dioecesim versantur animo ad propriam dioecesim redeundi, Officio loci ubi morantur, generaliter conformari possunt, sed non debent. S. C. R. 12. Nov. 1831. Attamen certo melius suum Officium retinebunt, quia secus facile confusio et perturbatio oriretur. [3])

9. — Quaeritur 1. *An praecepto satisfaciat, qui ex errore vel inadvertentia aliud Officium pro Officio diei recitat?*

R. *Aff.*, quia non praesumitur Ecclesia velle aliquem uno die bis ad hoc onus obligari. Consilium vero est, non obligatio, subjungere propria Officii omissi. Sed in casu, quo Officium ex errore recitatum esset notabiliter brevius, v. c. Officium Sancti loco domi-

---

[1]) S. Alph.: Lib. V. n. 173. H. A. App. 3. n. 74.

In Quadragesima tamen a prima Dominica vesperae ante prandium recitari possunt in memoriam antiquae disciplinae, juxta quam jejunium ante Vesperarum recitationem non frangebatur. Dominica tamen Vesperae anticipari non possunt, quia jejunium hac die non servatur.

[2]) S. Alph.: Lib. V. n. 174. et 155.

[3]) Idem n. 174. q. 2.

[1]) S. Alph.: Lib. VI. n. 347. Eandem sententiam amplectitur Benedictus XIV.: De Sacrificio Missae Lib. XIII. cap. 13.

[2]) S. Alph. l. c.

[3]) DeHerdt: Sacrae Liturgiae Praxis, Tom. II. n. 231., ubi et alia ad rem spectantia invenies.

nicae, fieri debet compensatio recitando novem Psalmos ex primo Nocturno. [1])

Si autem advertas te errasse, postquam partem tantum Officii indebiti e. g. Matutinum, dixeras: tunc potes vel prosequi, vel reliqua recitare de Officio praescripto. Sed melius est, reliqua de Officio debito recitare, nam *error corrigitur, ubi deprehenditur.* [2])

Si oblitus es aliquam partem horae, sufficit illam recitare, quin aliud repetas. [3])

Quaeritur 2. *An qui hodie ex errore recitavit Officium indebitum, possit dicere Officium omissum die, qua occurret Officium jam recitatum?*

Resp. *Neg.*, ut patet ex Decreto S. Cong. R. die 17. Junii 1674. Videlicet omnino recitandum est Officium diei currentis.

10. — Quod II. ordinem Horarum attinet, eum *sine rationabili causa* immutare non licet; quod si fiat, secluso contemptu, peccatum veniale erit. [4])

Porro causae rationabiles ordinem Horarum invertendi, esse possunt: 1. si venias ad Chorum, in quo Hora posterior cantatur, potes cum choro in hac Hora pergere, et postea recitare priorem nondum persolutam; 2. si non habeas Breviarium ad manus, nec commode possis exspectare, tunc tibi licet ex Diurnali, quod habes, recitare Horas diurnas, postea Matutinum recitaturus; 3. si inviteris ab amico ad aliquam Horam cum ipso recitandam, tu vero Horam praecedentem nondum oraveris, poteris ipsi te conjungere, et Horam relictam postea recitare. [5])

D. Quo modo Horae canonicae recitari debent?

11. — Modum, quo Officium divinum persolvendum est, Concilium Lateranense IV. indicat dicens: *„Districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent et devote."* Vocabulum *studiose* pertinet ad munus oris, nempe pronuntiationem; vocabulum *devote* pertinet ad munus cordis, et significat religiosam attentionem.

12. — Requiritur I. *pronuntiatio* vocalis et continuata. 1. *Vocalis,* id est, singula distincta voce recitari debent; non autem necesse est, ut recitans semetipsum audiat. [1])

[1]) S. Alph.: Lib. V. n. 161. Quaer. 3.
[2]) Idem n. 161. Quaer. 5.
[3]) Idem l. c.
[4]) S. Alph. n. 169. et 170.
[5]) Idem n. 170. La Croix n. 1309. et 1311.

2. *Continuata,* scilicet sine interruptione in aliqua Hora, nisi causa rationabilis excuset, qualis esse potest, si excipienda sit confessio alicujus, qui non libenter exspectaret, si velis aliquid adnotare, ne obliviscaris (modo non frequenter fiat), si ab aliquo visiteris, cum quo agendum charitatis vel urbanitatis causa. — Interruptio Horae absque rationabili causa peccatum veniale non excedit. Neque ideo, quod interruptio facta est, tota Hora repeti debet, quia singuli Psalmi et singuli versus completam habent significationem, et satis uniuntur vel per intentionem continuandi, vel per ipsam recitationem adjunctam. [2])

Matutinum etiam sine causa a Laudibus separari potest; tunc autem finito Matutino dicendum est *Pater noster,* ut fieri debet post quamlibet Horam. Pariter tres Nocturni separari possunt, saltem per tres horas, quamvis nulla causa specialis adsit; atque justa causa interveniente intervallum illud pro ratione causae etiam protrahi potest. [3])

13. — Requiritur II. *Attentio,* quae duplex est, externa et interna. 1. *Externa* in eo consistit, quod nihil fiat cum recitatione incompossibile, ut esset fabulari etc. 2. *Interna* in applicatione mentis ad recitationem sita est. Et haec rursus triplex esse potest, scilicet a) ad verba tantum, ut rite proferantur, b) ad sensum verborum, et c) ad Deum ipsum.

Certum et per se patens est, Officium divinum *attentione externa* esse persolvendum, sine hac quippe nec recitatio haberi potest.

Certum pariter est, *attentionem internam* ex lege *naturali* requiri, cum recitatio Horarum sit oratio, quae attente fieri debet. Hinc voluntarie distractus in Horis perorandis saltem venialiter peccat. An vero attentio interna *ex Ecclesiae praecepto* requiratur *sub gravi,* Theologi non conveniunt. Communior sententia docet, illam sub gravi ex Ecclesiae praescripto requiri. Praecipua ratio est, quia Officium divinum est quaedam oratio, et oratio ex natura sua est elevatio mentis ad Deum; quare Ecclesia praecipiens recitationem Officii, non potest non attentionem praecipere. Verum

[1]) S. Alph. n. 163.
[2]) S. Alph. n. 168.
[3]) Idem n. 167.

enimvero cum non satis constet, adesse tale praeceptum de attentione interna in recitatione Officii divini, sanctus Alphonsus dicit, se non audere ad restitutionem damnare beneficiarium, qui bona fide Officium recitasset cum distractione voluntaria, et bona fide pariter fructus percepisset. [1]) Qui vero externe voluntarie distrahitur, certe non satisfacit officio, et tenetur restituere, ut idem s. Ecclesiae Doctor subjungit. [2])

Remedia autem ad repellendas distractiones sunt: 1. sub initio efformare intentionem Deum laudandi, 2. renovare intentionem ad *Gloria Patri* vel in principio cujuslibet Psalmi, 3. mysterium aliquod passionis sibi repraesentare, 4. sensus sedulo custodire. [3]) — Sed plurimum attentionem nec non utilitatem recitationis juvabit recta intelligentia Psalmorum et aliorum, quae in Breviario continentur; quare summopere commendandum, ut juvenibus in sortem Domini vocatis Psalmi juxta sensum tam mysticum quam literalem in Seminariis explicentur. [4]) Demum maxime quoque proderit recitanti, si voces vel sententias, in quibus recitandis lumina et pios animi motus a Deo perceperat, lineolâ aliove signo in Breviario suo notaverit.

14. — Ex communi interpretatione Rubrica, quae praescribit quasdam preces genibus flexis recitandas, signum crucis formandum, solum chorum respicit, quamvis laudabiliter in privata recitatione observetur. Porro in choro talis omissio peccatum veniale numquam excedit. [5])

Officium divinum in quovis loco decenti persolvi potest, sive domi, sive in via deambulando, sive in curru iter agendo, — imo ex rationabili causa (e. g. infirmitatis, defatigationis) decumbendo in lecto. [6])

---

[1]) Lib. V. 177. Lib. IV. n. 669.

[2]) Lib. IV. n. 669.

[3]) S. Alph.: Lib. V. n. 177.

[4]) In quem finem commendari meretur opus s. Alphonsi: Traduzione dei Salmi e de' Cantici, che si contengono nell' Officio divino. Die Psalmen und Lobgesänge, übersetzt und erklärt nach der Ordnung des Römischen Breviers. Regensburg 1844. Qui *Commentarius* in Decreto S. R. C. pro concessione Tituli Doctoris ejusdem Sancti die 11. Martii 1871. dicitur *saluberrimus ad clericorum pietatem fovendam et mentem erudiendam.* Aliud utile opus: Erklärung der Psalmen mit besonderer Rücksicht auf deren liturgischen Gebrauch im Brevier, von Valent. Thalhofer. Regensburg 1857.

[5]) S. Alph. n. 179.

[6]) Idem n. 176. et 179.

E. Quaenam causae a recitatione horarum excusant?

Causae hujusmodi sunt 1. impossibilitas, 2. charitas, 3. dispensatio.

15. — I. *Impossibilitas* sive physica sive moralis excusat, quia ad impossibilia nemo tenetur. Recole dicta Lib. I. §. 63. n. 3. Hinc excusantur, qui gravi morbo laborant; item reconvalescentes ex gravi morbo excusantur per aliquot dies ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur, idque admittendum, etiamsi isti Missam celebrarent. In dubio, an infirmitas sufficiat ad excusationem, potest infirmus se committere judicio medici, aut acquiescere judicio superioris, aut stare proprio judicio prudenti. [1]) Qui ob infirmitatem non potest totum officium recitare, et dubitat, an possit partem, ex mente s. Alphonsi [2]) et aliorum a toto officio excusatur, ne valde scrupulis angatur nesciens, quousque possit et debeat recitare. Si non valeas solus Horas recitare, teneris socium adhibere, si facile aliquem invenias, et commode eum adhibere possis. [3])

16. — II. *Charitas* excusat a recitatione Officii, quia praeceptum naturale charitatis praevalet legi ecclesiasticae. Hinc excusatur sive totaliter sive partialiter sacerdos, si tota die occupetur in excipiendis confessionibus, quae differi non possunt, si sub nocte Officium recitaturus advocetur statim ad moribundum, nec ad Officii obligationem implendam tempus ipsi suppetat etc. At vero, si sacerdos sine magna difficultate possit Horas anticipare, ad id utique tenetur (Lib. I. §. 64. n. 5.); quocirca rarissime eveniet casus, quo sacerdos ob officia religionis et charitatis Breviarium sine culpa omittere poterit. [4]) Ubi tantum notandum, quod ille, qui non potest recitare Matutinum die sequenti, valde probabiliter non tenetur die praecedenti anticipare, ut dictum est n. 6. cum s. Alphonso.

17. — III. *Dispensatio* a legitimo superiore concessa eximit ab hac obligatione. Summus Pontifex hanc dispensationem concedere potest valide etiam sine causa. Episcopus nonnisi ex justa causa valide dispensare potest, cum aliquo particulari, nec non ad breve tempus, scilicet, si dubitetur de morali impotentia clerici, si difficilis sit recursus ad Papam, si dispensatio petatur ob causam, quae frequenter recurrit, v. g. ob infirmitatem. Recole dicta Lib. I. §. 66. n. 5.

---

[1]) Idem n. 154. Notand. III.

[2]) Idem l. c. Notand. IV.

[3]) Idem n. 158.

[4]) S. Alph. n. 156.

Episcopi in Austria et Germania vi facultatum quinquennalium sub n. 18. gaudent potestate, clericis concedendi, ut recitent Rosarium, vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valent.

* S. Petrus Damiani: Opusc. 10. de horis canonicis. Opusc. 11. Liber qui appellatur *Dominus vobiscum*. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. V. n. 140—179. — Card. Bona: De divina Psalmodia, ejus causis, mysteriis et disciplina. Mich. Wittmann: De Horarum canonicarum utilitate morali. Aug. Vindel. 1801. Quod opusculum eximium etiam in linguam germanicam versum est: Ueber den moralischen Nutzen des Breviergebetes. Landshut. 1834. Stöger S. J.: Der göttliche Beruf zum Breviergebete. Gratz 1844. Allioli: Ueber die inneren Motive der canonischen Horen und ihren Zusammenhang. Eine liturgische Abhandlung. Augsburg 1847. Probst: Brevier und Breviergebet. Tübingen 1854. Die Heiligung des Priesters durch die sorgfältige Verrichtung des Breviergebetes. Aus dem Italien. übersetzt von einem Priester des Bisthums Breslau. Regensburg 1856. Augustin. de Roskovany: Coelibatus et Breviarium. Tom. V. (Monumenta et Literaturam de Breviario complectens.) Pestini 1861.

§. 185.

Incitamenta nonnulla fervoris in Officio divino persolvendo.

I. Omnia in Breviario contenta ita sunt comparata, ut non possint non maximam utilitatem spiritualem iis parere, qui naviter student, ut Officium divinum pie devoteque persolvant. In eo quippe *Psalmi* proponuntur, in quibus omnes pii animi sensus, et indigentiae cordis omnes magnifice exprimuntur. Optime s. Augustinus: „*Certe illud meminimus saepe vos audisse, quod dicimus: Vix est ut in Psalmis invenias voces, nisi Christi et Ecclesiae, aut Christi tantum, aut Ecclesiae tantum, quod utique ex parte et nos sumus. Ac per hoc, quando voces nostras agnoscimus, sine affectu agnoscere non possumus; et tanto magis delectamur, quando in iisdem nos esse sentimus.*“ [1]) Hinc: „*Si orat Psalmus, orate; et si gemit, gemite; et si gratulatur, gaudete; et si sperat, sperate; et si timet, timete. Omnia enim quae hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt.* [2]) Occurrunt *Hymni*, qui dum nitida moduli simplicitate placent, altissima veritatum sublimitate mentem ad superna consideranda arripiunt, devotionem excitant, pietatem accendunt. Insertae sunt *Lectiones* s. scripturae; omnis autem scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus

[1]) Enarr. in Psalm. 59. n. 1. [2]) Enarr. in Psalm. 30. Serm. III. n. 1.

2. Tim. 3. 16. 17. Deprehendis *biographias Sanctorum*, quibus excitatur infirmitas nostra ad terendum salutis viam, et Sanctorum vestigia fideliter prosequenda. Quae porro ex *Homiliis* et *Sermonibus* ss. Patrum in Breviarium sunt derivata, ad divinas veritates rite percipiendas, sibique salubriter applicandas orantem maxime juvant. Quid denique dicam de *Orationibus* Ecclesiae, quas quidem nervosa brevitate et simplicitate, mira vi, gravitate et sublimitate maxime conspici nemo ignorat. — Quis igitur non studeat officio perfungi, quo, dum Deus dignissime colitur, orantis simul spiritus delectabili ferculorum varietate pascitur et saginatur? — Pessime vero agunt, qui Breviarium tamquam fabulis refertum traducunt. Quae in illo proponuntur ex s. scripturis desumpta, fidem divinam exigunt; quae ex ss. Patrum Homiliis et Sermonibus, omnem reverentiam, minorem tamen ea, quae est debita verbo divino in canonicis libris scripto; quae ex historiis Sanctorum excerpta reperiuntur, humanam duntaxat fidem per se exigere possunt, ita vero, ut, quamdiu gravis momenti ratio non urget, excipienda sint omnis obsequii significatione, iisque sine fundamento repugnare, temeritatis notae sit obnoxium; attamen vetitum non est, difficultates, quae forte in factis historicis occurrunt, debita cum modestia rationibus additis, judicio Sedis Apostolicae deferre, ut earum robur perpendat. Sic P. M. Benedictus XIV. in op.: De Servorum Dei Beatif. Lib. IV. P. II. cap. 13. n. 8.

II. Preces, quas Officium divinum complectitur, Deo sunt gratissimae, et impetrandis gratiis maxime idoneae. Etenim a) per illas preces Deus verbis suis colitur, laudatur, exoratur; [1]) — b) sacerdos Horas canonicas recitans, non solus est, sed aliis eodem sacro munere fungentibus spiritu saltem unitus; ipse pro omnibus, omnes pro ipso Deum deprecantur, hinc etiam dicit: *Dominus vobiscum*, et subinde ipse respondet: *Et cum spiritu tuo*, rursumque benedictionem petit et reddit; — c) non privato, sed Ecclesiae, sponsae Jesu Christi, nomine illas preces persolvit. Ad rem s. Alphonsus: „Centum orationes, quas solus quis peragit, nullatenus tantum pretium habere possunt, quantum unica oratio Officii divini includit, quia haec Domino totius Ecclesiae nomine et verbis Dei ipsius offer-

[1]) S. Alph.: „Das Brevier ist nichts anderes, als eine Bittschrift, die Gott selbst aufgesetzt hat, damit Er unsere Bitten um so leichter erhöre.“ Die Nachlässigkeit im Breviergebet.

tur. Ideo s. Magdalena de Pazzis dicebat, ad Breviarium comparatam omnem aliam orationem vel devotionem minoris esse meriti, minorisque efficaciae coram Deo. Firmiter nobis persuasum habeamus, post ss. Missae Sacrificium nullum pretiosiorem in Ecclesia thesaurum reperiri Officio divino, ex quo quippe quotidie flumina gratiarum haurire possumus.“ [1])

III. Horarum canonicarum recitatione unitas Ecclesiae per orbem terrarum dispersae perpulchre repraesentatur, quatenus ubique iisdem precibus, eodem modo, ab innumeris Deus colitur. Haud inepte huc referri possunt, quae s. Athanasius[2]) de festorum celebratione pulchre suggerit: „Si eodem modo ab omnibus, qui ubique sunt, laudes ac preces ad Deum, misericordissimum et clementissimum Patrem, ascendunt, si tota Ecclesia catholica, quae ubique est, gaudio exultans simul uno eodemque modo Dei adorationem peragit, — quanta voluptas, fratres mei!“ — Imo et Ecclesiae militantis cum triumphante unio et communio per Officii divini recitationem magnifice ostenditur; quandoquidem in laudibus Omnipotenti reddendis angelicis consociamur choris; [3]) porro Sanctos Angelosque colimus et invocamus, dum vicissim Sancti et Angeli preces nostras Deo offerunt, atque pro nobis intercedunt. S. Andreas Avellinus, cum Officium divinum persolveret, audiebat, ut ipse testatur, Angelos secum Dei laudes celebrantes. S. Maria Magdalena de Pazzis, quando signum ad Breviarium recitandum audiebat, gaudio suffusa in chorum properavit, hoc enim signo se invitari sentiebat ad perfungendum munere Angelorum, qui continuo Deum laudant.

IV. Verba movent, exempla trahunt. Jam vero omnes sancti et pii sacerdotes impenso hujus orationis studio enituerunt. *S. Carolus Borromaeus* multique alii matutinarum et diurnarum precum Officium semper nixi in genua persolvebant. *S. Josephus Calasantius*, qui festo s. Bartholomaei obiit, adhuc primas Vesperas hujus festi graviter infirmus recitavit. *Beatus Joannes Sarcander*, parochus Holleschoviensis in Moravia, Martyr († 17. Martii 1620.), Olomucii in carcere inclusus, per totum corpus adustus, dirissimis cruciatus doloribus, quamdiu in vivis erat, Horas canonicas dicere numquam destitit. Cumque manibus, per tormenta quippe distortis, folia Breviarii vertere non valeret, lingua sua eum in finem usus est. Tribus

[1]) Op. cit.
[2]) Epist. festalis 11.
[3]) Concil. Prov. Vienn. Tit. V. cap. 5.

Carthusianis, qui cum ipso in carcere erant detenti, amice monentibus, ut viribus fractus ab Officio divino persolvendo se temperaret, protinus reposuit: „*Psallam Deo meo, quamdiu fuero: ad Dominum cum tribulor, clamabo et exaudiet me — educet animam meam de lacu miseriae, lingua mea tota die meditabitur justitiam ejus, et non tacebit laudem ejus. Amantissimi Patres, magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.*“ [1]) S. P. Pius IX. anno 1848. Roma fugere coactus, cum capellano legati Bavariae in curru Horas canonicas in Dei laudes persolvit.

§. 186.

De habitu et tonsura clericali.

Clerici omnes ex jure canonico communi tenentur *tonsuram* et *habitum clericalem* deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant, ut Concilium Tridentinum edicit Sess. XIV. cap. 6. de Ref.

Idem Concilium episcoporum judicio statuendum permisit, quaenam vestis personarum ecclesiasticarum ordini et dignitati congruat. Hinc standum est particularibus locorum statutis.

Graviter peccant clerici in sacris ordinibus constituti, qui per notabile tempus omittunt vestem clericalem vel tonsuram deferre; imo ex Concilio Tridentino l. c. suspendi possunt, qui graviter ab episcopo admoniti habitum honestum ab eo praescriptum non deferunt. — Potest tamen ex gravi causa habitus clericalis, prout etiam tonsura totaliter relinqui, v. g. si immineret persecutio, vel si per loca impiorum hominum necessario esset transeundum.

B.

De obligationibus negativis clericorum.

§. 187.

Artes et officia clericis prohibita.

1. — Clerici in sacris constituti et monachi vetantur exercere artem medicam et chirurgicam, excepto casu necessitatis; attamen aliis praesto esse possunt optimis artis salutaris consiliis.

[1]) Das Leben und Leiden des seligen Märtyrers Johannes Sarkander, Weltpriesters, Pfarrers in Holleschau. Bearbeitet von Monsig. Franc. Liverani. Aus dem Ital. übersetzt von Gust. Grafen von Belrupt-Tissak. Olmütz, 1860. S. 64. 65.

Porro omnibus clericis jure canonico prohibetur ars quaelibet, quae statum clericalem dedecet, ut ars tabernaria, macellaria etc.

2. — Quoad officia clericis interdicitur: 1. ne agant judicem in causa sanguinis, vel advocatum vel procuratorem vel notarium in pactis saecularibus; — 2. ne agant tutorem, curatorem minorum, si obligatio adsit reddendi rationes de bonis administratis, excepto casu, quo pupilli seu minores sint proximi clericorum propinqui.

§. 188.

Actiones clericis interdictae.

I. De habitatione cum mulieribus.

1. — Ut castitas sacerdotis a suspicione et periculo immunis servetur, Concilium Nicaenum I. (325.) can. 3. vetuit, ne ullus clericorum habeat sub eodem tecto mulierem, praeterquam matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quae omnem suspicionem effugiunt. Idem repetiit Concilium Lateran. I. c. 3. Hinc in omnibus fere dioecesibus statutum est, ut clericis cum iis tantum mulieribus cohabitare liceret, quae primo aut secundo consanguinitatis aut affinitatis vinculo junctae sunt, nec permissum est, ab ipsis admitti ancillas, nisi provectioris aetatis et compertae probitatis forent.

Attamen necesse est, ut sacerdotes etiam a mulieribus absque rationabili causa invisendis vel colloquendis caveant. *In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et a mulieribus iniquitas viri.* Eccli 42. 12. Nec quis in castitate praeterita confidat; testatur ipse s. Augustinus: *Magnos praelatos Ecclesiae sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis praesumebam, quam Hieronymi et Ambrosii.* Servanda porro decentia clericalis. S. Ambrosius, s. Augustinus, s. Chrysostomus, s. Martinus, s. Franciscus Sales., s. Carolus Borrom., plurimique alii numquam cum mulieribus, nisi aliis praesentibus loqui voluerunt.

Sapienter Concilium Provinc. Viennense 1858. Tit V. cap. 6. sanxit: „Sacerdotem non tantum malum, sed etiam mali speciem fugere decet. A frequentiori consortio mulierum etiam earum, quae pietatis et modestiae laude non immerito potiuntur, penitus abstineat. Ancillae, quibus ad res domesticas procurandas indiget, maturioris sint aetatis et integerrimae famae, castae, sobriae, subditae, ut, qui ex adverso est, revereatur nihil habens dicere malum; ut sumtuosius vestiantur vel choreas frequentent, non toleret. Quidquid familiarius commercium redolet, id longe absit. Ancillam commensalem non habeat, neque cum ea deambulet, vel aliorum domus adeat, aut eodem vehiculo, nisi forsitan publico, vehatur. Ut rebus, quae ad eam non pertinent, se immisceat, vel dominatricis partes sibi arroget, minime patiatur. Actum est de auctoritate Parochi, quem sui a mulieris imperiosa voluntate pendere autumant. Neque foeminis consanguineis aliquid indulgendum, quod domum sacerdotalem dedeceat, aut negotiorum ecclesiasticorum ordinem perturbet."

II. De ludo et venatione.

2. — Prohibiti sunt clericis in majoribus ordinibus constitutis ludi alearum, ut constat ex Concilio Later. IV. can. 16., et ex Concilio Trid. Sess. 22. cap. 1. de Ref. Sub *ludis alearum* intelliguntur ludi sortis, qui non ex arte, sed omnino a casu pendent; et hujusmodi sunt ludi talorum, non vero omnes lusus chartarum, sed illi tantum, qui sunt merae sortis et fortunae. [1]) Porro in praesentiarum excusantur ab omni peccato clerici etiam aleis ludentes, si raro et recreationis causa ludunt in loco, ubi praefata lex in desuetudinem abiit. [2])

Concilium Provinciae Viennensis Tit. V. cap. 7. sequentia monet: „*Si clericus cartis pictis ludere amet, modum in omnibus servet; Dominicis vero festisque diebus ante officium vespertinum in ecclesia persolutum ludo non indulgeat, nec eum sub ullo praetextu in multam noctem protrahat.*"

3. — Prohibita est per canones, praesertim Conc. Later. IV. can. 15., clericis venatio, sed tantum clamorosa, seu quae fit cum canibus et armorum strepitu: quieta, quae laqueis et retibus sine strepitu fit, eisdem permittitur. Sed hac de re statuta dioecesana inspicienda sunt.

Concilium nostrum Provinciale Tit. V. cap. 7. interdicit sacerdotibus et clericis omnibus, ne venationibus intersint, quae confluente hominum turba instituuntur; non autem arguit sacerdotem, quem vel solum vel cum uno alterove amico ambulantem delectat, avem feramve ictu appetere, dummodo intra debitae moderationis limites consistat, et dominicis festisque diebus ab omni venatione abstineat.

III. De choreis et spectaculis, deque ingressu in cauponas.

4. — Choreis tam publicis quam privatis, et theatrorum publicorum spectaculis interesse clericos passim sub obedientiae praecepto prohibent post Tridentinum Synodi omnes, ut notat Benedictus XIV., (etiam Viennensis Synodus) tum propter status clericalis dedecus, quod inde solet exoriri, tum ob periculum, cui exponitur clericalis vitae sanctitas.

---

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 900. [2]) Idem n. 899.

Ingressus in tabernas sive cauponas extra necessitatem clericis omnino vetatur, ad consulendum clericali modestiae et gravitati. Sic jam Concilium Later. IV. edixit: *Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis itinere constituti.* Ita etiam Synodus Prov. Viennensis Tit. V. cap. 7.

Caput II.

De obligationibus clericorum specialibus.

§. 189.

De obligationibus episcoporum.

1. — Si clerici omnes, maxime episcopi tenentur perfectioni vitae studere, tum ob praecelsam Ordinis dignitatem, tum ob eximium virtutum exemplum, quo omni populo et clero praeire debent, *forma facti gregis ex animo*, (1. Petr. 5. 3.) ab episcopis praecipue salus dioecesis pendet. Praeclare Ecclesia de Pontifice quolibet sancto praedicat: *Fecit illum Dominus crescere in plebem suam;* [1]) nimirum episcopus sanctus spiritualiter procreat formatque plebem similem sibi, gentem sanctam, Deo gratam et acceptam. Episcopus debet esse in statu perfectionis exercendae et communicandae, s. Alphonsus [2]) cum aliis docet.

2. — Praeter generalem perfectionis obligationem episcopo multa incumbunt munia exequenda, [3]) quorum praecipua haec sunt:

1. Ante omnia curare debet, ut illos tantum sacris Ordinibus initiet, qui virtutibus acquisitis praediti debitaque scientia instructi sunt. Si peccat clericus, qui positiva bonitate destitutus sacros Ordines suscipere praesumit: eo magis episcopus peccat, qui hujusmodi clericum ad ss. Ordines admittit, atque reum se facit omnium peccatorum, quae subinde sacerdos improbus, aliique propter ejus improbitatem committent. [4]) S. Franciscus Salesius, de spiritu lenitatis maxime celebratus, paucos tantum, sed probatos ad sacrum altaris ministerium promovit. *Et melius profecto est, pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures, qui in*

---

[1]) In Com. Conf. Pontif., Antiph. ad Laudes.

[2]) Von den vorzügl. Amtspfl. eines Bischofes, cap. 2.

[3]) S. Bernardus: „— *sonet tibi Episcopi nomine non dominium, sed officium.*" De Consid. Lib. II. cap. 6. n. 13.

[4]) S. Petrus Damiani: Opusc. XXVI. cap. 4. S. Alph. H. A. Tr. VII. n. 51.

aedificationem corporis Christi, quae est Ecclesia, ne quidquam sint valituri. Ita P. M. Benedictus XIV. in encyc. *Ubi primum.*

Ut vero episcopus dioecesi per idoneos sacerdotes convenienter provideat, Seminarium clericorum, in quo ecclesiasticus spiritus viget, habendum curet. Conc. Trid. Sess. 23. cap. 18. de Ref.

2. Episcopi est, bonos eligere parochos, et digniores ceteris praeferre. §. 95. n. 2. Et s. Franciscus Salesius quidem tenendum censuit, quoad curam animarum sufficienter doctos praeferendos esse doctioribus, sed spiritu inferioribus.

Tenetur porro invigilare clero sibi subjecto, quia juxta s. Bernardum *insolentiae clericorum mater est negligentia episcoporum.* [1]) Debet sollicitam curam gerere, ut Rubricae et S. R. C. Decreta rite serventur, [2]) aliaque omnia Ecclesiae praecepta executioni mandentur.

3. Attendere debet universo gregi, custodiendo a lupis rapacibus, [3]) eumque verbo vitae pascere. Conc. Trid. Sess. V. cap. 2. de Ref. Rarius autem episcopus, quam parochus tenetur conciones habere, ut s. Alphonsus observat. [4])

Obligatur pariter, et strictius quidem quam parochus ad corrigendos perversos et ad occurrendum scandalis, quia est pastor principalis et majore auctoritate malis mederi valet.

4. Cum omnis sufficientia nostra ex Deo sit: episcopus fervidus et assiduus in oratione sit oportet, ad gratias divinas sibi, clero populoque efflagitandas; [5]) publicas preces in publicis necessitatibus indicere, et quaecunque ad Dei cultum spectant, diligenter curare tenetur.

Ipsi quoque Missam saltem diebus dominicis et festis pro dioecesi sua applicandi obligatio incumbit.

5. Episcopus dioecesim suam frequenter visitare debet, quod stricte praecipit Concil. Trid. Sess. 24. cap. 3. de Ref., atque ovium necessitatibus compertis, prouti oportet, prudenter et fideliter prospicere.

---

[1]) Epist. 152.

[2]) V. S. R. C. die 17. Sept. 1822. Conc. Trid. Sess. 22. Decr. de obs. in celebr. Missae. S. Alph. H. A. Tr. VII. n. 58.

[3]) S. Bernardus: „*Domabis lupos, sed ovibus non dominaberis.*" De Cons. Lib. II. cap. 6. n. 13.

[4]) Lib. IV. n. 269.

[5]) S. Bernardus: „*Pontifex — pontem utique se ipsum faciens inter Deum et proximum. — Offert Deo bonus mediator preces et vota populorum, reportans illis a Deo benedictionem et gratiam etc.*" De officio episcop., cap. 3. n. 10

Ita cleri populique curam gerat, ut veluti omnium pater et magister appareat, [1]) ideoque, ut s. Alphonsus [2]) notat, accessum ad se patentem assidue teneat subditis.

6. Ut gregi suo tamquam pastor bonus opportune providere possit, omnino tenetur in dioecesi sua residere. [3]) Conc. Trid. Sess. VI. cap. 1. de Ref.

* S. Joannes Chrysostomus: Lib. VI. de sacerdotio (ubi l. 3—5. exponit qualitates episcopo inprimis necessarias, l. 6. gravem rationem ab episcopo reddendam proponit). S. Isidorus Hispal.: Lib. II. de ecclesiasticis officiis. S. Bernardus: Tractatus seu epist. 42. de moribus et officio episcoporum ad Henricum Senonensem archiepiscopum. S. Bonaventura: Opusc. de sex alis Seraphim (in quo exponit, Ecclesiae Praelatos ad instar Seraphim quasi sex alis virtutum ornatos Domino assistere debere). S. Alphonsus: Homo Apostol., Tr. VII. Punct. 2. (de episcopi muneribus). Reflessioni a' Vescovi per la pratica di ben governare le loro chiese. Germ. sub titulo: Von den vorzüglichsten Amtspflichten eines Bischofes. (Moralth. Werke. 7. B. Regensb. 1844.). Venerab. Servus Dei Bartholomaeus a Martyribus: Stimulus pastorum (de vita et moribus episcop., aliorumque Praelatorum, ex sententiis ss. Patrum). Denuo ed. Jos. Fessler. Einsidlae 1863.

§. 190.

De obligationibus canonicorum.

Canonici praecipue obligantur 1. ad residentiam, 2. ad Missam conventualem, 3. ad officium chori, 4. ad assistentiam episcopi.

I. *Quoad residentiam* Concilium Trid. Sess. 24. cap. 12. de Ref. statuit: *„Non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.“* Non omnes canonici simul abesse possunt, quia vacationes quidem canonicis, non vero Capitulo conceduntur; cultus enim divinus, cui addicti sunt canonici, numquam vacare debet.

II. *Quoad Missam conventualem* constat ex Bulla Benedicti XIV. *Cum semper,* Missam unam quotidie esse celebrandam pro fundatoribus et Ecclesiae benefactoribus, et canonicos omnes Missae interesse debere.

III. *Quoad officium chori* edixit Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.: *„Omnes compellantur in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.“*

[1]) S. Hieronymus: Epist. 52. ad Nepotianum n. 7.

[2]) H. A. Tr. VII. n. 65.

[3]) Quam obligationem fuse explicat S. Alph. Lib. V. n. 125.

Porro canonici, qui sine justa causa non intersunt choro, distributiones lucrari non possunt, „quavis collusione aut remissione exclusa“, ut praefatum Concilium statuit. Tres a Bonifacio VIII. designatae sunt causae, quae a choro excusant: infirmitas, rationabilis corporis necessitas et Ecclesiae utilitas. [1])

IV. *Quoad assistentiam episcopi* Concil. Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref. de canonicis cathedralium sic statuit: *„Omnes compellantur Episcopo celebranti aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire.“* Consonat Caeremoniale Episcoporum et declarat, omnes canonicos teneri in habitu cononicali ad locum designatum convenire, et Episcopum ad ecclesiam progredientem Pontificalia exercendi causa ducere, et redeuntem pariter comitari.

§. 191.

De obligationibus parochorum.

Parochi praecipue tenentur 1. ad residentiam, 2. ad orationem, 3. ad fidelium institutionem, 4. ad Sacramentorum administrationem, 5. ad errantium correctionem, 6. ad aegrotorum et pauperum curam gerendam.

1. — *Quoad residentiam.* Parochi tenentur in parochia constanter habitare, idque ex jure divino, quia cum pastores ovibus suis invigilare et assistere debeant, consequenter ibi residere debent, ubi oves morantur. [2]) Juxta Concilii Tridentini decretum Sess. 23. c. 1. de Ref., parochi non possunt discedere a suis ecclesiis, nisi *causâ prius per episcopum cognita et probata vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant,* porro *discedendi licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant.*

Concilium Provinc. Vienn. Tit. II. cap. 2. praescripsit: *„Per notabilem diei partem nunquam domo absint, quin repentinis casibus provisum sit. Ultra biduum sine Decani praescitu et permissu ex parochia non discedant. Ut ultra sex dies abesse liceat, ab episcopo facultatem scriptis expressam obtineant.“*

Omnes pastores non residentes juxta Tridentinum Sess. 23. c. 1. praeter peccati mortalis reatum, pro rata absentiae tenentur ad fructus beneficii restituendos fabricae ecclesiae vel loci pauperibus. Quae restitutionis obligatio incurritur quoque a parochis, qui

[1]) Explicatio harum causarum videri potest penes s. Alphonsum: Lib. V. n. 130. et 131.

[2]) S. Alph.: Lib. V. n. 121.

quidem in parochia resident, sed inutiliter ac otiose; idque tum ex jure naturali, quia fructus dantur ob labores, tum ex jure canonico, quia Concilium expresse restringit fructus ad utilem residentiam, et Benedictus XIV. in Bulla: *Grave,* residentiam non veram esse dicit, nisi sit formalis seu utilis et debitis officiis incumbens. [1])

2. — *Quoad orationem.* Certum est, teneri parochos pro ovibus suis orare frequenter, ut sibi suisque coelestis gratiae et benedictionis effusionem implorent: *neque, qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus.* 1. Cor. 3. 7.

Porro vi juris divini parochi, non saeculares tantum, sed et regulares, tenentur pro populo Sacrificium Missae applicare: *„omnis namque pontifex — pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis."* Hebr. 5. Quae obligatio tenet omnibus diebus dominicis et festis, illis etiam, qui a Pio VI. et Pio VII. sunt suppressi. Sed hoc de argumento dicendum erit Lib. III., ubi de Missae Sacrificio.

3. — *Quoad fidelium institutionem.* Parochus aliique animarum curam gerentes *frequenter, diebus praesertim dominicis et festis,* verbum Dei populo *pro ipsius capacitate* annuntiare jubentur. Conc. Trid. Sess. 5. c. 2. de Ref. Moneat saepe fideles, quod ad emendationem non sufficit peccatum detestari, sed etiam oportet fugere proximam peccati occasionem. Exponat illis necessitatem contritionis et propositi in confessione. Hortetur auditores saepe, in omnibus tentationibus invocare nomina Jesu et Mariae etc. — Videtur parochus a peccato gravi non excusari, qui per tres menses per se vel per alios idoneos (si ipse legitime impeditus fuerit) plebem sibi commissam salutaribus verbis non pascat, cum in Trid. dicatur: Quodsi parochi ab episcopo moniti *trium mensium spatio* muneri suo defuerint, per censuras etc. cogantur, ut officium suum impleant. [2])

Pariter pueros instruere et catechizare parochi tenentur, aliique sacerdotes hac in re operam suam parochis commodare debent.

---

[1]) Communiter idcirco dicunt, quod parochus non reputatur residere, si *per se ipsum* non exerceat principaliora munera, nempe praedicationem verbi divini, administrationem Sacramentorum etc. Attamen parochus, qui non residet aut materialiter tantum, non videtur ad integram fructuum restitutionem teneri, si alia munia impleat; quia fructus non dantur pro sola residentia, sed etiam ob Horas etc. S. Alph. H. A. Tr. VII. n. 14. 15. Scavini et alii.

[2]) V. S. Alph. n. 269.

Hoc *opus sanctissimum* appellat s. Pius V. Const. *Ex debito,* et Benedictus XIV. Const. *Etsi nomine* vocat opus *maximi momenti, maxime necessarium,* requirens *omnem curam et diligentiam.*

4. — *Quoad sacramentorum administrationem.* Obligati existunt parochi ad Sacramenta ovibus suis administranda, quoties urget praeceptum illa suscipiendi, vel quando idipsum exigit privata alicujus necessitas vel utilitas, nisi sint legitime impediti; ideo enim parochi constituti sunt, ut saluti et profectui ovium prospiciant. Quocirca et ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae digne et frequenter suscipienda parochianos publicis et privatis monitis adurgeant.

Quoad correctionem. Tum ex officio, tum ex stipendio gravissima oritur parochorum obligatio corrigendi oves in peccato mortali vel proximo ejusdem periculo constitutas, etiamsi ipsis propriae vitae discrimen subeundum foret: non solum in extrema, sed in gravi quoque earum necessitate spirituali, si quae adsit spes emendationis. Cf. dicta §. 31. n. 4. Qui in hoc deficit parochus, reformidet Domini comminationem: *si non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 33. — Hinc parochus vi praecepti divini oves suas cognoscere debet. Numquid enim ovibus providere poterit, si earum indolem, statum, necessitatem ignoret?

Quoad aegrotorum et pauperum curam. Parochus etiam non accersitus infirmum adeat, imprimis si disponendus sit ad Sacramenta moribundorum suscipienda, porro tempestive Sacramentis eum muniat, crebro eum visitet, piisque monitis erigat et consoletur, morienti sedula cura assistat.

Parochi vi muneris, quo funguntur, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere tenentur, ut Concilium Trid. Sess. 23. c. 1. de Ref. edicit. Igitur paratissimi egenorum inopiam pro redituum conditione sublevent, miseros omnes officiis benigne prosequantur, consolatione reficiant. [1])

5. — Haec praecipua, non omnia sunt parochi officia. Innuere tantum volumus, quod ipsius est, decorem domus Dei et in omni ecclesiae suppellectili decentiam munditiamque impense curare, functiones sacras rite et devote peragere; quod porro cordi debet esse

---

[1]) Conc. Prov. Vienn. Tit. II. cap. 6.

parocho, pias sodalitates prudenti cura inducere et fovere, Missiones ad parochianorum mores reformandos accersere, [1]) cultum ss. Sacramenti et sacratissimi Cordis Jesu, nec non venerationem B. V. M. indefesse accendere et promovere. Vere dicit s. Alphonsus: „*A bonis parochis pendent boni mores et salus populorum. Si in regione bonus parochus adest, ibi videtur florere devotio, Sacramentorum frequentia, oratio mentalis et bonum exemplum; sin autem parochus erit pravus, tota regio vitiis et scandalis redundabit.*“ [2])

* S. Alphonsus: Homo Apostolicus Tr. VII. n. 14—45. — Frassinetti: Manuale pratico pel Parroco novello. Practisches Handbuch für den angehenden Pfarrer. Innsbruck 1870.

§. 192.

Cohortatio s. Gregorii M. ad animarum pastores.

„*Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Luc. 10. 2. — Ad messem multam operarii pauci sunt, quod sine gravi moerore loqui non possumus: quia etsi sunt, qui bona audiunt, desunt qui dicant. Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus. — Quid nos (quod tamen sine dolore dicere non possum) quid nos, o Pastores, agimus, qui et mercedem consequimur, et tamen operarii nequaquam sumus? Fructus quippe sanctae Ecclesiae in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro aeterna Ecclesia minime in praedicatione laboramus. Pensemus cujus damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblationibus fidelium vivimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? — Pensemus ergo, qui unquam per linguam nostram conversi; qui de perverso suo opere nostra increpatione correpti, poenitentiam egerunt: quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit? Pensemus, quod lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit: *Negotiamini dum venio.* Luc. 19. 13. Ecce jam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot ejus conspectui animarum manipulos de praedicationis nostrae segete illaturi sumus?“ — [3])

[1]) *Boni parochi*, dicit s. Alphonsus, *non praetermittunt, quarto aut quinto quoque anno missionem arcessere.* H. A. Tr. VII. n. 31.

[2]) l. c.

[3]) In Evang. Lib. I. Hom. XVII. n. 3. 8. 16.

Sectio II.

De obligationibus religiosorum.

Agemus breviter 1. de natura status religiosi, 2. de obligationibus religiosorum.

§. 193.

De natura status religiosi.

1. — Status religiosus est stabile vitae institutum ab Ecclesia approbatum pro fidelibus, qui certa sub regula tendere volunt ad perfectionem per tria vota paupertatis, castitatis et obedientiae.

Hinc ad essentiam religiosi status requiruntur:

1. *Approbatio Ecclesiae.* Etenim religiosorum familia, cum sacra sit quaedam communitas, a potestate spirituali institui debet. Olim quidem approbatio haec ab episcopo pro dioecesi sua concedebatur, sed Concilium Later. IV. statuit, ne ulla religio inducatur, nisi a Summo Pontifice fuerit approbata. — Hinc Congregationes virorum aut feminarum ab episcopo tantum approbatae Ordines stricte religiosos non constituunt.

2. *Vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae,* ubi vero notandum, quod ad essentiam religionis non requiruntur *solemnia* vota, sed sufficiunt vota *simplicia*, quia etiam per illa homo potest se Deo in perpetuum mancipare. Constat praeterea ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, in qua declaratur, esse veros religiosos in Societate Jesu etiam illos, qui vota simplicia emittunt. [1])

Pius IX. per s. Congreg. Reg. die 19. Martii 1857. decrevit, ut in omnibus virorum Ordinibus religiosis vota solemnia babentibus, in posterum Novitiatu expleto vota *simplicia* tantum emittantur saltem ad triennium, quo elapso taliter professi ad solemnia demum admittantur, si a superioribus suis digni habiti sint. Justis de causis professio solemnis diutius poterit differri, non tamen ultra aetatem annorum 25 expletorum. — Porro ex Declarationibus s. Congr. Reg. die 25. Febr. 1859. durante hoc spatio vota illa simplicia perpetua sunt ex parte voventis, quatenus tendunt ad emittenda vota solemnia, et eorum dispensatio Summo Pontifici reservata est; attamen eadem vota etiam ex parte Ordinis per dimissionem Professorum ex gravi causa solvi possunt, ita ut data dimissione Professi ab omni votorum vinculo liberi fiant. Nemo autem ob infirmitatem, quae post Professionem votorum simplicium exorta est, dimitti poterit. Professi horum votorum participes fiunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus Professi votorum solemnium in eodem Ordine fruuntur. — Deinceps Pius IX. per Breve die 7. Febr. 1862. decrevit, nullam irritamque esse Professionem votorum solemnium in quibusque virorum

[1]) Late id probat Bouix: De jure regularium, Vol. I. pag. 116—123. Parisiis 1857.

familiis factam, nisi novitii emiserint prius Professionem votorum simplicium, et in ea per integrum triennium permanserint.

3. Requiritur ad essentiam status religiosi *traditio sui ipsius Deo facta et per aliquem hominem nomine Dei acceptata.* Ita ss. Patres, d. Thomas et omnes post ipsum scholae doctores. [1])

4. *Ad essentiam status religiosi* (saltem ex jure ecclesiastico) *pertinet vita communis.* Etenim secundum praesentem Ecclesiae consuetudinem Sedes Apostolica non approbat nisi statum coenobiticum, seu in communi viventium sub uno capite seu praelato ecclesiastico, et sub una regula approbata ad christianam perfectionem tendentium. Igitur ut quis fiat religiosus, necesse est, ut fiat membrum talis communitatis, consequenter in communi vivat, vel saltem habeat communem praelatum et regulam, sub qua vivat. [2])

2. — Status religiosus assumitur per *professionem religiosam* ad cujus validitatem sequentes requiruntur conditiones: 1. *aptitudo* voventis, scilicet ut expleverit 16. aetatis annum, [3]) porro ut saltem annum integrum Novitiatus transegerit, [4]) nulloque ligetur impedimento, quod ordini substantialiter obstet; — 2. *libertas* voventis, vi et metu, fraude et dolo exclusis; — 3. *consensus* et acceptatio Praelati ordinis, vel capituli, ubi juxta statuta requiritur.

3. — Non vocatus sine gravi culpa statum religiosum suscipere nequit; quia contra voluntatem divinam se intrudit, et periculo salutis se exponit suscipiendo obligationes, quibus moraliter satisfacere non valet. Qui vero ad religionem se vocatum sentit et divinae vocationi non obsequitur, ab aliqua culpa excusari non poterit, ob periculum salutis, cui se committit, quia, ut s. Alphonsus ait, non habebit congrua gratiae auxilia, quae in religione ipsi Deus praeparavit. [5])

4. — Signa vocationis divinae ad statum religiosum sunt: 1. *aptitudo* seu idoneitas, quae sita est praesertim in animo humili, simplici, ad obediendum prono, dein in carentia defectuum, qui instituto eligendo repugnant; — 2. *inclinatio* constans ad vitam religiosam, quin tamen obstaret aliqua titubatio a daemone vel natura causata; — 3. *intentio recta,* videlicet saeculi pericula vitandi, salutem perfectionemque facilius consequendi, animarum salutem procurandi, vel etiam lapsus anteactae vitae emendandi.

---

[1]) Bouix op. c. pag. 49—52.
[2]) Idem pag. 54. 55.
[3]) In ditionibus Austriacis nemo ad professionem religiosam admitti potest, nisi 24. annum expleverit, aut anno 21. transacto tribus annis laudabiliter in ordine perseveraverit.
[4]) Interruptio Novitiatus obstat validitati professionis, ut e. g. si Novitius egrederetur e monasterio sine licentia, animo non revertendi, si absolute dimitteretur a superioribus, et dein iterum admitteretur.
[5]) Lib. V. n. 78.

§. 194.

De obligationibus religiosorum.

1. — Religiosi generatim obligantur ad studium perfectionis, siquidem status religiosus est status perfectionis acquirendae. [1]) Tenentur ad perfectionem primario tendere per tria vota, paupertatis, castitatis et obedientiae, secundario per regulas Ordini proprias. Graviter delinquit religiosus 1. si vota infringat in re gravi, 2. si regulas ex contemptu formali negligat, etiamsi per se non obligent sub culpa coll. Lib. I. §. 56. n. 5. Transgressio regulae, etiam ad nullam culpam obligantis, per accidens vix unquam a veniali excusabitur [2]) coll. Lib. I. §. 57. n. 2.

Quoad vota paupertatis, castitatis et obedientiae breviter sequentia notamus.

2. — I. *Votum paupertatis,* quando est *solemne,* efficit, ut eo ligatus omnino incapax sit dominii, directi et indirecti, quoad res temporales pretio aestimabiles. Votum paupertatis *simplex* efficit, ut eo ligatus dominium quidem directum bonorum habere, attamen nihil de his sine superioris licentia licite disponere possit. Votum igitur solemne quemlibet actum proprietatis non tantum illicitum, sed et invalidum reddit, votum simplex illum tantum illicitum, non invalidum facit. Recole dicta de votis §. 51. n. 2. De multis modis, quibus peccari potest contra votum paupertatis, legatur s. Alphonsus: Lib. V. n. 24—36. Sed attendendum etiam est ad constitutiones peculiares variorum Ordinum.

II. *Votum castitatis* obligat religiosum ad abstinendum ab omni delectatione venerea, tam interna, quam externa; atque hoc votum violans (etsi tantum interna delectatione), duplex peccatum committit, luxuriae et sacrilegii. [3]) Votum *solemne* castitatis matrimonium invalidum, *simplex* autem matrimonium illicitum, non invalidum efficit.

Ad majorem castitatis tutelam introducta est *clausura,* vi cujus

---

[1]) S. Thom.: 2. 2. q. 184. a. 5.; q. 186. a. 1. et 2. S. Alph. n. 10.
[2]) Alph. n. 10.
[3]) Idem n. 37.

moniales egredi non possunt e monasterio, nisi de licentia Pontificis aut episcopi, quae tantum in casibus extraordinariis dari potest; religiosi vero domo abesse nequeunt absque Praelati licentia. De clausura late tractat s. Alphonsus: Lib. VII. n. 221—243. Vi Constitutionis S. P. Pii IX. *Apostolicae Sedis* Art. VI. et VII. excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici reservatam incurrunt *violantes clausuram monialium, cujuscunque generis aut conditionis sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Const.* Decori *praescriptam; porro mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliive eas admittentes.*

III. *Votum obedientiae* proprie et maxime efficit religiosum, cum votum paupertatis et castitatis etiam in saeculo fieri et adimpleri possint. Obligat hoc votum ad omnia exequenda, quae superior praecipit secundum regulas et constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite. [1]) Distinguitur autem votum obedientiae a virtute obedientiae in eo, quod votum respicit externam mandati executionem, dum virtus usque ad internam animae submissionem pertingit. Potest igitur religiosus voto satisfacere, a virtute tamen longe recedere. [2]) Votum *solemne* obedientiae efficit, ut religiosus nullam obligationem sine consensu superioris valide contrahere possit in iis, quae subsunt superioris potestati; dum *simplex* votum illicitam quidem obligationem sine superioris consensu contractam, non tamen per se invalidam reddit. Fuse obedientiam religiosorum explanat s. Alphonsus: Lib. V. n. 38—64.

3. — Religiosus ad parochiam promotus, cum votis adstrictus maneat, tenetur regulam observare in omnibus, quae cum suo munere consistere possunt, et deferre habitum religionis. [3]) Episcopus regularis „ad praescriptum Constitutionis Benedicti XIII. incipientis *Custodes* (die 7. Martii 1725.) tenetur observare regulas suae religionis, quae materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observantias, dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur, antequam assequeretur dignitatem episcopalem: ita tamen, ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit, utrum cum

[1]) Idem n. 38.
[2]) Gury n. 169.
[3]) S. Alph.: Lib. V. n. 4.

dignitate et officio episcopali illae conveniant.“ Ita S. Congr. Episc. et Reg. die 6. Maji 1864. [1])

§. 195.

Religiosi apte dentibus a sancto Bernardo comparantur.

Ad verba Cant. 4. 2. *„Dentes tui sicut grex tonsarum,“* Doctor melifluus pulcherrime sequentia observat: „Quid in hac similitudine dignum est, ut eam de coelestibus arcanis descendisse credamus? Magnum prorsus, et magno animo magnifice sentiendum. Spiritus enim est, qui loquitur; qui cum loquitur, nec unum potest jota vacuum praeterire. Aliquid profecto est in his dentibus involutum, quod evolutum sacratioris intelligentiae praesignet arcanum. Dentes enim candidi sunt et fortes; carnem non habent; carent corio; nihil intra se pati possunt; non est dolor, sicut dolor eorum; clausi sunt labiis, ne videantur; indecens est cum videntur, nisi ridendo; toti corpori masticant cibum; nullum inde saporem habent: non facile consumuntur; per ordinem positi sunt, superiores alii, et alii inferiores; et cum inferiores moveantur, superiores numquam. *Hujusmodi dentes ergo arbitror homines monasticae professionis,* qui viam compendiosiorem, et securiorem vitam eligentes, de toto Ecclesiae corpore, quod candidum est, candidiores esse videntur. Quid enim illis *candidius,* qui totius immunditiae spurcitias evitantes, cogitationum, sicut actionum, peccata deplorant? Quid *fortius* illis, quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? Isti *carnem non habent,* quia in carne, carnem obliti audiunt ab Apostolo: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. (Rom. 8. 9.) *Corio carent;* quia nitorem et distensionem mundanarum sollicitudinem non habentes, in pace in idipsum dormiunt et requiescunt. *Nihil morari intra se patiuntur;* quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputant aut intra se aut in conscientiis singulorum. Hinc est illa vestra opportuna importunitas, qua tam saepe fatigatis nos, ut multoties, etiam cum necesse non sit, multum in his diei expendatis. *Non est dolor sicut dolor eorum,* quia nihil tam horrendum et horribile est sicut murmur et dissensio in congregatione. *Clausi sunt labiis,* ne videantur; sic et nos materialibus vallis circumcingimur, ne saecularium oculis et accessui pareamus. Indecens est si appareant, nisi interdum forte ad risum; quia nihil

[1]) Vid. Ephem. *Acta S. Sedis* Vol. I. (1865.) pag. 449—466.

turpius, quam monachus per urbes et castella discurrens, nisi eum illa cogit, quae operit multitudinem peccatorum charitas. Charitas enim risus est, quia hilaris est. Laeta quidem, non tamen dissoluta. *Toti corpori masticant cibum* dentes; quia ipsi pro toto Ecclesiae corpore, videlicet tam vivis, quam mortuis, orare sunt constituti. *Nullum inde saporem habere debent;* quia nullam sibi gloriam debent assignare, sed dicere cum Propheta: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. (Ps. 113. 12.) *Non facile consumuntur;* quia quanto annosiores, tanto ferventiores; et eo rapidius currunt, quo vicinius appropinquant ad palmam. *Per ordinem positi sunt.* Ubi enim aliquid ordinatum est, si hic non est? ubi cibus et potus, vigilare et dormire, laborare et quiescere, ambulare et sedere, et cetera omnia, in numero et mensura, et pondere constituuntur. *Superiores et inferiores sunt,* quia inter nos Praelati et subditi sunt, et sic superiores inferioribus junguntur, ut inferiores a superioribus non discordent. *Cum autem inferiores moveantur, superiores numquam moveri debent;* quia etsi subditi quandoque turbentur, Praelatorum est in mente composita perdurare." [1])

[1]) De diversis Serm. 93. (al. 64. ex parvis).

Tractatus II.

De obligationibus eorum, qui in statu vitae communis versantur.

Agemus de obligationibus 1. in statu conjugali et parentali, 2. in statu herili, 3. in statu forensi exequendis. Aliorum statuum obligationes ex eis, quae de virtutibus copiose disputata sunt, facile colliguntur.

A. De obligationibus in statu conjugali et parentali.

§. 196.

De obligationibus conjugum.

1. — Conjuges sibi invicem debent: 1. *mutuum amorem,* juxta monitum Apostoli: *„Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam."* Eph. 5. 25. Hinc sibi invicem bonum sincere velle et operari, infirmitatibus compati debent. — 2. *Societatem conjugalem,* ut patet ex natura matrimonii, nec non ex verbis Christi: *„Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una."* Matth. 15. 9. Tenentur igitur simul habitare. Electio domicilii pertinet ad maritum, qui familiae caput est. [1]) — 3. *Fidem conjugalem* tum quoad torum, tum quantum ad reliquas vitae rationes. Praesertim fides tori servanda, ut sit *honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.* Hebr. 13. 4. Praeterea ad fidem conjugalem spectat, ut in curis suis et oneribus mutuo auxilio se sublevent, in rebus adversis omni, quo possunt, modo sibi praesto sint.

[1]) Regulariter tenetur uxor sequi domicilium viri, licet illud mutet absque justa causa. Exceptio est, si non possit maritum sequi sine proximo vitae et salutis periculo.

2. — In specie *maritus*, ut „caput mulieris“ (1. Cor. 11. 3.) tenetur 1. eam recte dirigere, consiliis et amicis suasionibus potius, quam rigido imperio, quia uxor est socia viri, non ancilla: Deus enim dedit mulierem non in mancipium vile, sed *in adjutorium simile sibi;* ideoque eam tulit de latere, non de pede.[1]) — Deinde 2. spirituali uxoris saluti prospicere tenetur, adeo ut peccet graviter, si violationem legis divinae vel ecclesiasticae ex socordia permittat, vel in his legibus adimplendis uxorem sine causa impediat; venialiter porro delinquat, si uxori obstet quoad ea bona spiritualia, quae consilii sunt, e. g. frequentiam Sacramentorum.[2]) — Insuper 3. tenetur bona tum communia, tum uxoris propria, debita diligentia administrare.

3. — *Uxor* 1. tenetur marito reverentiam, et obedientiam in omnibus honestis et licitis rebus exhibere; quia maritus est ipsius caput: „*Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.*“ Gen. 3. 16. „*Mulieres, subditae estote viris, sicut oportet in Domino.*“ Coloss. 3. 18. Porro 2. uxoris est, domus curam gerere, in negotiis domesticis et prolibus pie educandis indefessam operam navare, in omnibus singularem pudorem et munditiei studium prae se ferre, a luxu, vesana garrulitate, zelotypia, aliisque vitiis, quae cum perturbatione pacis domesticae mulieres infestare solent, pro viribus sibi temperare.[3])

§. 197.

De officiis parentes inter et liberos.

I. De officiis parentum erga liberos.

1. — Parentibus generatione jus acquiritur in liberos, quod tamen per nativam hominis destinationem ad finem ultimum limitatur, cum proles non propter parentes, sed propter Deum existant. Imo jus istud parentibus a Deo ideo nonnisi conceditur, ut liberos ad finem suum assequendum ducant, quod congrua educatione efficitur.

Jus educationis, quod parentibus quoad suos liberos naturaliter competit, a societate usurpari nequit, quin patriam potestatem violet. S. P. *Pius IX.* in Encyl. die 8. Dec. 1864. appellat „*funestissimum Communismi et Socialismi errorem,*“[4]) quem et alii profitentur,

[1]) Scavini: Tom. I. pag. 397.
[2]) S. Alph. Lib. IV. n. 356.
[3]) Stapf: Tom. III. §. 486.
[4]) Sic e. g. Cabet dixit, proles usque ad *quintum* annum domesticae educationi esse relinquendas, postea vero eas in institutis nationalibus culturam communem, eamque industrialem, accipere debere. Vid. Lib. I. pag. 35.

„*societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a jure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cumprimis vero jus institutionis educationisque curandae.*“ Et adjungit, „*his impiis opinionibus et machinationibus id praecipue intendere fallacissimos istos homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a juventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque juvenum animi perniciosis quibusque erroribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur.*“ — Debet utique societas efficere, ut publica media non desint, quibus parentes ad liberos rite educandos uti possint. Debet etiam consentaneis modis curare, ut parentes tantum officium minime negligant. At in rem hanc se directe immiscere, eamque potestatem sibi vindicare nequaquam potest sine evidenti violatione juris paterni, cujus est educationi filiorum prospicere. Etenim filius, ut scite s. Thomas advertit, quamdiu se regere nequit, est res patris, ad quem proinde pertinet, ejus corpus et animam educare. — Itemque prolibus parentum catholicorum in scholis publicis institutio et educatio doctrinae catholicae offensiva vel penitus irreligiosa sine gravissima parentum injuria obtrudi nequit; jure enim exigere possunt parentes, ut media publica educationis et instructionis, quibus pro filiis utantur, sint fini consentanea et apta.

2. — Igitur jus et officium praecipuum parentum quoad liberos in eorundem educatione consistit. Porro *educatio* hunc semper scopum sibi obversantem habeat, ut homo immaturus ad beatitudinem aeternam consequendam magis magisque provehatur. Apte s. Carolus Borromaeus dicit: „*Educare est ad Christum ducere filios; educatio eorum ad Christum adductio.*“[1]) Cumque ex divina dispositione unusquisque certum aliquem vitae statum tenere debeat, in quo ad aeternam felicitatem omnibus viribus contendat; ideo ad educationis munia quoque pertinet, ut proles ad statum a Deo sibi assignatum rite aliquando ineundum convenienter efformetur. — Hinc breviter dicemus, quid parentes filiis quoad corpus et animam debeant, et dein innuemus, ad quid intuitu status a liberis eligendi teneantur.

[1]) Homil. 31. ad populum Canobii (1583).

3. — I. *Quoad corpus.* Proli jam, antequam enata sit, summa sollicitudo advertenda est, ne quid detrimenti in utero matris patiatur. Specialiter monendum videtur, quod mater omnem lasciviam vitet, et vehementes affectus inordinatos sedulo coërceat, tum ne foetus perimatur, tum ne forsitan tenero foetui prima malorum semina ingerantur. Commendandum summopere matri praegnanti est, ut prolem in utero piis precibus Deo offerat, patrocinio B. V. Mariae committat, gratiam regenerationis proli efflagitet. — Proli in lucem editae mater curam convenientem praestare tenetur. [1]) Generatim parentes filiis ea omnia procurare jubentur, quae ad victum, vestitutum et habitationem necessaria videntur; ita ut durities et mollities aequaliter absint.

4. — II. *Quoad animam.* Quo praestantior anima corpore, eo gravius animae, quam corpori filii consulere parentes tenentur. Ideo curare debent, ut filii quamprimum gratia baptizmatis regenerentur, [2]) — ut a primis annis eos precibus assuefaciant, [3]) — ut a tenerrima aetate illos praecipua doctrinae catholicae capita per se vel per alios edoceant, [4]) — ut filii scientias quoque humanas discant. Graviter peccant parentes, qui proles ad scholas haereticas vel impias mittunt, aut eas magistro haeretico vel impio committunt.

Parentum est, liberos a mundi illecebris et voluptatibus avertere, et praecipue a locis suspectis, a conversatione periculosa cum personis diversi sexus arcere. Diu noctuque vigilent, ne pravis sociis, colloquiis et lectionibus corrumpantur.

Asuefaciant liberos, ut praecepta Dei et Ecclesiae, quantum ad ipsos spectant, accurate observent; curam gerant, ut Missam frequenter audiant, et dum jam provectioris aetatis sunt, Sacramenta frequenter et devote suscipiant. Optime agunt, si corda filiorum jam a primis annis ad teneram B. V. Mariae venerationem et dilectionem pio studio inclinent.

Filios delinquentes corrigere debent, nam *qui parcit virgae, odit filium suum.* Prov. 13. 24. Caveant tamen, ne in corrigendo modum excedant, ab iracundia dirigi patiantur, in maledictiones prorumpant; nam monet Apostolus: *„Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini.“* Eph. 6. 4.

[1]) Mater tenetur lacte proprio infantem alere, nisi habeat justam excusationis causam, v. g. infirmitatem, debilitatem; sed tunc mater nutricem bonam quoad mores et valetudinem sibi substituere debet S. Alph.: L. IV. n. 336.

[2]) Conc. Prov. Vienn. Tit. III. c. 2. praescribit: *„Infantum Baptizmus ultra biduum a nativitate non differatur.“*

[3]) S. Augustinus de se narrat: „Signabar jam signo crucis, et condiebar ejus sale inde ab utero matris meae.“

[4]) Benedictus XIV. (Notif. 19.) ait, parentes in manifesto damnationis periculo versari, si liberos suos religionis elementis erudire negligant.

Cum exempla efficaciora sint, quam verba: ideo parentes non verbis tantum, sed magis adhuc exemplis studium virtutum prolibus instillare oportet, omniaque maxime cavere debent, quae timorem Dei in filiis debilitare, eorumque mores corrumpere possent.

Denique meminerint parentes, gratiam divinam ad salutarem educationis effectum omnino necessariam esse; idcirco fervidi sint in orationibus ad Deum effundendis, ut sibi suisque divinam gratiam et benedictionem ad negotium educationis fructuose peragendum acquirant. Commendent humiliter et fiducialiter liberos sacratissimo Cordi Jesu et tutelae B. V. M, ut a peccato mortali immunes serventur, et in gratia Dei continuo proficiant. Matri cuidam piae conquerenti, quod apud filiam suam nihil efficere possit, quamvis frequentissime cum illa de Deo loqui soleat, s. Franciscus Sales. apte reposuit: Loquere frequenter de Deo cum filia, sed loquere multo frequentius cum Deo de filia. [1])

5. — III. *Quoad vitae statum* parentes curare debent, ut genus decenter vivendi liberos doceant, aut docendos curent, ut acquirant bona, ex quibus futuro eorum statui provideant: *„Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.“* 2. Cor. 12. 14.

Ubi notandum, quod filii in status electione omnino liberi sunt et independentes a parentum voluntate, quia homo eum statum amplecti debet, ad quem a Deo vocatus est; quocirca hac in re non hominis, sed Dei voluntatem exequi debet. Hinc graviter peccant parentes, qui filios invitos cogunt ad statum amplectendum sive sacerdotalem, sive religiosum, sive conjugalem; vel contra, si eos

[1]) Nostra aetate multi viri catholici scriptis paedagogicis eminuerunt, inter quos V. E. Milde: Lehrbuch der allgemeinen Erziehungskunde. 3. Aufl. 1843. Stapf: Erziehungslehre im Geiste der katholischen Kirche, 4. Aufl. 1846. Hergenröther, Erziehungslehre im Geiste des Christenthums, 2. Aufl. 1830. Dursch: Pädagogik, oder Wissenschaft der christl. Erziehung, 1851. Ohler: Lehrbuch der Erziehung und des Unterrichtes, 3. Ausg 1861. Kerschbaumer: Katholische Erziehungslehre, Wien 1869. Rolfus und Pfister: Real-Encyclopädie des Erziehungs- und Unterrichtswesens nach kathol. Principien, 4 Bände, Mainz 1867.

omnino invitos ab aliquo vitae statu ingrediendo sine justa causa impediant. [1])

II. De officiis liberorum erga parentes.

6. — Filii parentibus suis *pietatem* exhibere debent, quae amorem, reverentiam et obedientiam complectitur, coll. §. 85. n. 2.

I. *Quoad amorem* filii parentibus bona velle atque potissime bonum operari pro viribus tenentur. Igitur filiorum est, parentibus omnia bona apprecari, et per obsequia placere, ipsis graviter indigentibus, quando possunt, subsidia necessaria subministrare, iis senio, infirmitate vel quocunque adverso casu laborantibus piam commiserationem, solatium opemque exhibere; praesertim autem in necessitate spirituali illis subvenire, ut e. g. quando versantur in periculo mortis, ut ipsis Sacramenta administrentur etc. Nec morte parentum amor filiorum finiri debet; sed potius piam eorum memoriam retineant, atque eorum animas suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio juvare satagant. Ex dictis peccata amori, quem filii parentibus debent, adversantia facile colliguntur.

II. *Quoad reverentiam* notandum, quod filii erga parentes singularem honorem in corde fovere, atque verbis factisque manifestare tenentur, monente s. scriptura: *„In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum.“* Eccli. 3. 9. Hinc efficitur, ut reatus injuriarum alias non adeo gravium, si parentibus inferantur, oppido augeatur ut, e. g. sunt verba acerbiora, irrisiones, levis percussio, minae etc.

III. *Quoad obedientiam* filii obstringuntur, ut parentum jussa in omnibus licitis et honestis ad eorum curam pertinentibus sedulo exequantur. *„Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est.“* Ephes. 6. 1. *„Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est Domino.“* Coloss. 3. 20. Hinc graviter peccant, si in re gravi ad animae salutem vel domus gubernationem spectante voluntati parentum obsequi renuant, nisi inconsideratio, animi levitas, defectus aetatis, vel quaedam humana negligentia eos excuset, quod revera non raro obtinere solet.

In rebus autem pravis filii non debent, imo nec possunt obedire. *„Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.“* Act. 5. 29. *„Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.“*

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 335.

Matth. 10. 37. Hinc possunt et debent munia religionis explere, Sacramenta petere, licet districte id prohibeant parentes. Porro non tenentur filii parentibus obedire quoad vitae statum amplectendum, cum in hac re sint omnino liberi, ut supra n. 5. dictum est; [1]) omnino autem decet parentes consulere. Verum in matrimonio incundo voluntas parentum exquirenda est ab eis, qui juxta leges civiles sui juris haud agnoscuntur. Porro peccant filii, qui velint cum dedecore familiae matrimonium inire, aut conjugium quamvis decorum contrahere invitis parentibus et cum eorum scandalo, quin ullam causam justam habeant. [2])

An ergo filii possunt insciis parentibus statum religiosum amplecti? Quamvis filii regulariter debeant parentum consensum expetere, tamen animadvertentes sibi a parentibus aditum ad statum religiosum interclusum iri, consultius agent, rem eis celando, dummodo satis constet de vocatione divina. [3]) — *Sed quid, si parentes sint in necessitate?* In necessitate *communi* parentum filius potest religionem ingredi, quia non tenetur se gravi bono spirituali privare, ut afferat parentibus auxilium tale, sine quo grave non patiantur incommodum temporale. Quodsi necessitas parentum adeo *gravis* sit, ut sine ejus obsequio nullo modo vivere possint, tenetur in saeculo manere et eis servire, et peccaret eos dimittens. Excipe a) si filius in saeculo manens parentibus subvenire non possit, et b) si videat, se in saeculo non posse vivere sine peccato mortali vel proximo ejus periculo; cum magis teneatur saluti animae suae providere, quam corporali necessitati parentum. [4])

B. De obligationibus in statu herili.

§. 198.

De obligationibus dominorum et famulorum.

1. — Domini ex justitia famulis mercedem, quae attentis circumstantiis laborum, et spectata loci consuetudine videtur justa, fideliter solvere, et victum aliaque, de quibus vel expresse vel tacite conventum est, illis praestare tenentur. Fraudatio mercedis debitae

[1]) S. Thomas: „Non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi“ 2. 2. q. 194. a. 5.

[2]) S. Alph.: H. A. Tract. ult. n. 41.

[3]) Idem Lib. V. n. 68.

[4]) Sic s. Thom.: Quodl. 10. a. 9. S. Alph.: Lib. V. n. 66., qui addit, professionem non esse invalidam, si filius *culpabiliter* relinqueret parentes in gravi necessitate.

inter peccata in coelum clamantia numeratur, et restitutione reparari debet.

Ex charitate tenentur illos ad implenda religionis munia adhortari et compellere, eorum honestati invigilare, bonis exemplis eos aedificare, delinquentes corripere. Eorumque pariter est, famulos benigne tractare, nempe decenter et humane eos alloquendo, in exigendis laboribus rationem virium habendo, infirmos provide curando, et generatim tales erga famulos se gerendo, quales ipsi dominos sibi exoptarent, si aliis servire cogerentur. Meminerint verborum s. scripturae: *„Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta.“* Eccli 33. 31. Praeclare s. Augustinus: *„Paterfamilias pro Christo et pro vita aeterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam: ita in domo sua ecclesiasticum et quodammodo episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in aeternum sit cum Christo.“* [1])

2. — Famuli vicissim dominis praestare debent 1. reverentiam, clamat enim Apostolus: *„servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.“* 1. Tim. 5., — 2. obedientiam in eis omnibus, quae spectant ad implendum contractum et ad bonos mores: *„Servi, obedite dominis carnalibus, cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.“* — 3. *Fidelitatem* in servitio, unde rerum sibi creditarum curam habeant, nihil surripiant etc., clamante Apostolo: *„Servos dominis suis subditos esse, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.“* Tit. 2. 9.

C. De obligationibus in statu forensi.

§. 199.

De obligationibus judicis et rei.

1. — I. Judex, ut munus suum rite adimplere possit, scientia sufficiente et integritate incorruptibili pollere debet. [2])

Judex, qui injustam sententiam *culpabiliter* tulit, e. g. ob magnam imperitiam, dolum, negligentiam, tenetur ad restitutionem, quia ex quasi — contractu obligatur ad munus suum rite implendum; quodsi *inculpabiliter* sententiam injustam tulerit, e. g. naturali oblivione, fragilitate humana, tenetur (si commode possit) errorem corrigere,

[1]) Tract 51. in Joan. n. 13.

[2]) Mortaliter peccat quisquis suscipiat judicis officium carens necessaria scientia. S. Alph.: Lib. V. n. 195.

e. g. monendo partem laesam, ut per appellationem sibi consulat; [1]) coll. §. 139. n. 4.

Judici ac ceteris officialibus quidquam muneris pro sententia accipere non licet. Porro judex dona pro sententia justa accepta restituere tenetur; dona pro injusta sententia accepta non tenetur reddere §. 107. n. 2.; obligatur autem ad compensanda damna, quae parti innocenti evenerunt, ut praehabitum est.

2. — Quaeritur 1. *An judex damnare possit reum, quem privata tantum scientia sontem cognoscit?*

Resp. *Neg.*, quia judex juxta allegata ex legis praescripto causam decidere tenetur.

Quaeritur 2. *An judex possit damnare reum, qui juridice probatur nocens, a judice autem privata scientia cognoscitur innocens?*

Resp. Valde controvertitur. Affirmant alii cum d. Thoma, negant alii cum s. Bonaventura. Alii, quos sequitur s. Alphonsus, distinguunt: vel agitur de causa criminali et poena corporali, vel de causa civili et poena pecuniaria. In priori casu, sic dicunt, judex non potest innocentem damnare, quia observando ordinem judicialem (nempe agendo secundum allegata et probata) violaret legem naturalem, quae absolute prohibet innocentem occidere; — in casu posteriori judex judicare potest juxta allegata, adeoque innocentem damnare, quia ordo judicialis observari potest sine laesione juris naturalis, quandoquidem respublica, licet non habeat dominium directum vitae et corporis subditorum, ideoque non possit directe occidere innocentem, tamen supremum dominium bonorum habet, ideoque potest subditos iisdem privare, quando id requirit bonum commune, ne videlicet subvertatur ordo judicialis, cujus observatio summopere conducit ad pacem reipublicae. [2])

3. — II. *Reus* judici legitimo legitime interroganti veritatem aperire debet, quia id postulat obedientia auctoritati publicae debita. Secus dicendum, si judex legitimus non esset, vel non legitime interrogaret, videlicet formam judicialem non servando, uti si non praecesserit accusatio, non extaret manifestum criminis indicium, semiplena saltem probatio delicti non habeatur etc. [3]) Excipiunt

[1]) Idem l. c. et n. 214.

[2]) S. Alph.: Lib. V. n. 208.

[3]) S. Thomas ait: *„Aliud est veritatem tacere, aliud falsitatem deponere. Quorum primum in aliquo casu licet, non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, sed illam solum, quam ab eo potest requirere judex, puta cum praecesserit probatio semiplena.“* 2. 2. q. 69. a. 2. — S. Alph. n. 272. et 273.

quoque casum, in quo de magna poena subeunda agitur, modo tamen grave damnum reipublicae ex silentio rei non immineat; saltem in tali casu, dicit s. Alphonsus, confessarius abstineat reum obligare ad delictum suum confitendum, cum videt, quod reus est in bona fide, et difficulter ad id induci poterit. [1])

4. — Reus, qui vere deliquit, poenam justam sibi impositam sustinere tenetur; id enim exigit ratio justitiae vindicativae. Ideoque illi fugere non licet, si carcer ad poenam per judicis sententiam jam fuerit assignatus. [2])

§. 200.

De obligationibus advocati et testis.

1. — *Advocatus*, ut munere suo, prouti oportet, fungatur, scientiam competentem habere, causam studio debito tractare, omnemque injustitiae labem devitare debet; secus peccat et restitutioni obnoxius est.

Non potest in materia civili causam certo injustam tueri, in materia criminali nequit suscipere partes accusatoris evidenter injusti.

Potest tamen causas *civiles* etiam minus probabiles defendere, quia spes adesse potest, ut veritas elucescat; [3]) injustitia autem causae cognita, eam deserere debet, ne damno injusto cooperetur. [4]) — In causis *criminalibus* advocatus semper potest reum defendere, quantum fas est, seclusis mendaciis, fraudibus etc., quia et reus semetipsum defendere potest, et advocatus ex officio reo patrocinari debet, quantum justitia permittit. [5])

Advocatus, qui causam *justam* mediis illicitis defendit, v. gr. chirographum novum amisso substituit, peccat contra veritatem, non autem contra justitiam, cum causa justa supponatur. [6])

2. — *Testis* legitime citatus tenetur coram judice se sistere, ejusque postulatis juxta conscientiam respondere. Testis, qui se abscondit, ne citetur a judice, non peccat contra obedientiam, quia

[1]) n. 274. H. A. Tr. XIII. n. 83.

[2]) Injuste damnatus semper potest licite fugere, et e manibus satellitum se eripere; sed nefas est, vim vi repellere, occidendo aut vulnerando, itemque, custodem pecunia corrumpere. S. Alph. n. 279–283.

[3]) S. Alph. n. 222. — Advocatus tamen clienti suo probabilitatem vincendi aut perdendi accurate indicare debet; secus enim clientem ad inanes sumptus impelleret, quos ipse resarcire teneretur.

[4]) Non autem modo aliam partem juvare potest, seu secreta suae causae alteri parti revelare. S. Thom.: 2. 2. q. 71. a. 3.

[5]) S. Alph. n. 220.

[6]) Gury n. 13.

nemo tenetur obedire praecepto superioris, antequam ei imponatur, nec contra justitiam commutativam peccat, quia mere negative se habet. Potest tamen peccare contra charitatem, ut e. g. si possit testimonio suo innocentem facile liberare. [1])

Qui falsum malitiose deposuit, per quod alteri fuit causa efficax damni, tenetur ad omnia damna reparanda. Testis, qui falsum dixit ex ignorantia invincibili, vel inadvertentia, tenetur retractare, et damnum eo modo, quo potest, impedire. [2])

§. 201.

Conclusio.

Ex sancti Ambrosii Sermone duodecimo in Psalmum CXVIII. n. 37. et seq.

„*Tuus sum ego, salva me, Domine.* Facilis vox, et communis videtur, sed paucorum est. Satis rarus est enim qui potest dicere Deo: Tuus sum. Ille enim dicit, qui adhaeret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non noverit.

Non potest dicere saecularis: *Tuus sum;* plures enim dominos habet. Venit libido, et dicit: Meus es; quia ea, quae sunt corporis, concupiscis; in illius adolescentulae amore te mihi vendidisti, in illius concubitu meretricis pretium pro te annumeravi. Venit avaritia, et dicit: Argentum et aurum quod habes, servitutis tuae pretium est: possessio quam tenes, juris tui emtio, venditio libertatis tuae est. Venit luxuria, et dicit: Meus es; unius diei convivium, pretium tuae vitae est: ille sumtus epularum, tui capitis licitatio, tui est summa contractus; et quod pejus est, caro emtus es, vilior cibo es tuo: pretiosior est unius diei mensa tua, quam totius temporis vita. Inter calices te redemi, inter epulas adquisivi. Venit ambitio, et dicit tibi: Plane meus es. Nescis quod ideo imperare aliis te feci, ut mihi ipse servires? Nescis quod ideo potestatem in te contuli, ut meae te subjicerem potestati? Quomodo ergo tu qui hujusmodi es, potes Christo dicere: *Tuus sum!* Respondebit tibi ille: *Non quicumque dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum,* non quicumque dicit mihi: *Tuus sum,* meus est. Meus plane est, si vocem non redarguat conscientia, si sermonem tuum animus aut opera non refutent. Ego non nego meum esse eum qui ipse se non neget, aut certe si pro me se ipsum sibi abneget. Nolo habere ser-

[1]) S. Alph. n. 270. [2]) Idem n. 269.

vulum pluribus dominis servientem. Nam quomodo meus est, si mihi dicat verbo: *Tuus sum*, et operibus neget, et factis se diabolo adjudicet et obstringat. Non est meus quem libido succendit: quia mea est castitas. Non est meus quem cura spoliandi minores exagitat; quia mea integritas est. Non est meus quem ira mobilis inquietat; quia mea tranquillitas est. Non est meus vini crapula temulentus in lucem, ambitione gloriae saecularis ebrius, qui in periculum non possit sobriae moderationis servare vestigium. Pax sum ego, litigare non novi. Quid mihi ad eum de quo veniat diabolus, et dicat: Meus est; nam mihi sua colla curvavit, mea in illo plura reperio: nomen sibi tuum vindicat, et meum munus?

Non est ergo Christi, nisi qui est alienus a crimine: non est Christi, nisi qui potest semper se Christi servulum demonstrare. Nam si quis mutabilis est, ut ego aut moerore mutor, aut indignatione, venit ira, et dicit: Meus est: ante horam meus erat, spero quod iterum meus fiat. Venit tristitia, et dicit: Meus est: ante horam in mea possessione fuit, in meo jure: erigere animum prae moerore non poterat, nec oculos levare; et si triste aliquid acciderit, ad me illico revertetur. Quis ergo est Dei, nisi qui potest dicere: *Nihil mihi conscius sum?* Ideo dicebat Paulus apostolus Jesu Christi, quia nulli alii obnoxius tenebatur. Ego autem nunc Dei mei sum, nunc tristitiae, nunc iracundiae, nunc verbi otiosi; et ideo qui plures dominos habet, non potest uni dicere: Domine Jesu, *Tuus sum.* Unde arbitror etiam de hujusmodi dominis dixisse Paulum: *Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in coelo, sive in terra... nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illo: et unus Dominus Jesus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Verbi igitur totus erat apostolus Paulus; ideo dicebat: *Quoniam experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus.* Ille ergo dicebat, Christi sum; et respondebat ei Dominus: Meus es. Qui vere dicit: *Tuus sum*, audit a Domino: Meus es."

Domine Jesu, totus desiderabilis, immaculata Virgine et Genitrice Tua Maria intercedente cum omnibus Sanctis Tuis, trahe nos ad Te ipsum, ut vitiorum illecebris superatis per virtutum, quas verbo et exemplo nos docuisti, et maxime charitatis exercitium indefessum Tibi jugiter adhaereamus et unus Tecum spiritus efficiamur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

INDEX ALPHABETICUS.

Numerus paginam designat.

A.

Abortus procuratio 376—377.
Abstinentia, juxta legem naturalem servanda 471. juxta praeceptum eccles. 472. Abstinentia a carnibus in jejunio 477. et seq., extra jejunium 484. Responsa s. Poenitentiariae 486.
Abstinentia ab operibus servilibus 213. 223. et seq.
Acceptio rei alienae, radix restitutionis 405. An facienda restitutio ab iis, qui sine legitima causa superflua a beneficiato acceperunt 332., an ab eo, qui rem ex turpi contractu accepit 339.
Accessio, modus dominii acquirendi 336.
Accusatus, v. *Reus.*
Acedia, quid sit et quae ejus filiae 84. 85.
Actiones clericis interdictae 538.
Actus fidei theologicae, quid ad eum requiratur 11. Actus fidei internus necessarius necessitate medii 27. et seq., et necessitate praecepti 31., item actus spei 60., et actus charitatis 80. et seq. Fidei actus externus 35. et seq. Diversi actus charitatis 68. et sq. An actus virtutum salva humilitate palam exercendi 288.
Adjuratio, ejus conditio et usus 208—211.
Adoratio 153.
Adulatio, pertinet ad mendacium 302., excessus affabilitatis 309. v. *Palpo.*
Adulterium, quoad peccatum 495., quoad restitutionem 452. An maritus possit occidere adulterum 374.
Adventus jejunium 473.
Advocatus, ejus obligationes 562.
Aemulatio, an semper mala 119.
Aequivocatio 305.
Aetas, requisita quoad praeceptum de Missa audienda 216., de abstinentia a carnibus 485., de jejunio 482.
Aether, ejus usus an *licitus* 489.
Affabilitas 308—309.
Affectus hujus saeculi, inordinatus felicitatis coelestis 61.
Aggressor injustus vitae 371., bonorum fortunae 373., pudicitiae 374., honoris 374.
Alea, v. *Ludus.*
Amare, in genere quid sit 65., v. *Amor.*
Ambitio 287.
Amentes, an dominii capaces 326.
Amissae res 335., an unquam retineri possint ab inventore *ibid.*
Amor, quid et quotuplex 65. 66. Amor concupiscentiae erga Deum honestus et salutaris 58. 59. Amor benevolentiae erga Deum 66., ejus actus 68. et seq. Comparatio amoris benevolentiae erga Deum ad amorem concupiscentiae 74. et seq. An detur actus purae benevolentiae in Deum 76. Amor amicitiae 78—79. V. *Charitas.*
Amor inordinatus sui ipsius 89.
Amor vesanus, effectus magnetismi animalis 254.

Amphibologia 305.
Amplexus 494—495.
Anima a Deo pulchre pingitur 1., propter Deum diligenda 87.
Animalia, an occupari possint 334.
Animatio foetus, quando fieri censetur 376.
Apostasia, quid sit 40.; ad eam rationalismus, naturalismus, pantheismus, materialismus pertinent *ibid.* Poena apostasiae 43.
Apparitiones daemonum 238., mortuorum 245. Not. 3.
Arcae parcimoniae 352.
Ars notoria, ars sanitatum, species vanae observantiae 242. Artes clericis prohibitae 537.
Assensus fidei christianae liber, per illuminationem et inspirationem Spiritus sancti 11. 12.
Astrologia, modus divinationis 246.
Astutia, prudentiae opposita 512.
Attentio requisita in Missae auditione 218. et seq., in Breviario recitando 331.
Attritio in Sacram. Poenitentiae, an sufficiat ad implendum praeceptum charitatis 82.
Auctoritas Dei revelantis seu loquentis, motivum fidei theologicae 9., item divina auctoritas Ecclesiae docentis 9. 47.
Auditio Missae 216. et seq., detractionis 390.
Augurium 246.
Auspicium 246.
Avaritia, quid et quae ejus filiae 310.
Avertentes alios ab ingressu ordinis religiosi, ad quid teneantur 448.
Axiomata notanda in doctrina de restitutione 405.

B.

Barbitonsor die festo 224.
Beati, an eorum imagines et reliquiae in ecclesiis publicae venerationi exponi possint 157.
Bellum licitum, si debitae adsint conditiones 381. et seq.
Beneficiatus tenetur bona superflua ex beneficio percepta pauperibus distribuere, vel in alios usus pios erogare 329. et seq. An id omittens ad restitutionem obligetur 331—332. Obstringitur ad horas canonicas sub poena restitutionis 526.
Beneficium. An teneatur ad restitutionem, qui minus digno vel indigno confert beneficium 317. Impediens proximum a consecutione beneficii 418. Quid de eo, qui simoniace obtinuit beneficium 279—280.
Benevolentia, v. *Amor.*
Blasphemia, quid et quotuplex 266., peccatum gravissimum 267. Quid de iis, qui consuetudine blasphemandi laborant 268.
Bona, quo ordine diligenda 100. 101. An bona temporalia ob scandalum dimittenda 127—128. Bona clericorum 328., bona uxoris 333. Bona amissa, derelicta, vacantia 235. 336. An invasorem bonorum occidere liceat 373. An fas sit cooperari ad damnum in bonis fortunae alteri inferendum 430.
Bona fides quoad praescriptionem 337. V. *Possessor.*
Bonitas in clericis requisita 517.
Breviarium, unde nomen 524., quo utendum 525., maximi habendum 534. et seq.

C.

Caecus, an teneatur ad Missam 216.
Cafetum, an frangat jejunium 475.
Calumnia, quid 387., an unquam licita 391., quomodo reparanda 454.
Canonici, eorum praecipuae obligationes 542.
Capitis damnati quoad confessionem et communionem sacramentalem 371.
Carceratus, an possit fugere 562.
Carnes prohibitae quibusdam diebus 477. 484., quid carnis nomine veniat 477., materia parva 484. Mixtio carnis cum piscibus 479. Responsa s. Poenitentiariae *ibid.*

An carnes praebere possit diebus prohibitis ancilla domino 131., caupo hospitibus 133.
Castitas, quid et quotuplex 490. 491. Bona est castitas conjugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis 492. Quamvis pulchra sit omnis virtus, excellenter tamen castitati, excellentissime virginitati pulchritudo convenit 493. Admonitio s. Augustini 498.
Casus de variis materiis in hoc libro occurrentes: de fide 34. 47. 48., de spe 63. 64., de vitiis charitati erga Deum oppositis 85. 86., de charitate erga proximum 93., de dilectione inimicorum 97., de necessitate spirituali proximi 104., de eleemosyna 110., de correctione fraterna 115., de odio proximi 118., de invidia 120., de discordia et contentione 122., de scandalo 129., de cooperatione ad aliorum peccata 133. 134., de voto 179. 180. 185. 187. 192., de juramento 206. 207., de idololatria 240., de simonia 280. 281., de objecto contractus 339. 340., de subjecto contractus 342, de promissione 345., de donatione 346., de testamento 354., de venditione per proxenetas 361., de occisione injusti aggressoris 375. 376., de detractione 393. 394., de compensatione occulta 402. 403., de possessore bonae fidei 408. 409., de possessore malae fidei 412., 413., de possessore dubiae fidei 414. 415., de injusta damnificatione 421. 422. de mandante 423. 424., de consulente 426., de consentiente 428., de participante 430., de muto, non obstante 432. 433., quantum restituendum 435. 436., cui restituendum 438., quo ordine restituendum 441. 442., quo modo restituendum 444., causae a restitutione excusantes 447., de restitutione famae 456.
Caupo, an possit carnes ministrare hospitibus die prohibita 133., dare vinum se inebriaturis *ibid.*, folia religioni et bonis moribus adversa proponere hospitibus legenda *ibid.*
Causae intrinsecae et extrinsecae, ob quas cessat obligatio voti 185. 187., obligatio juramenti 207. Causae commutandi vota 188., dispensandi in votis 192., irritandi vota 195. Causae excusantes ab auditione Missae 221—223., ab operibus servilibus 227., a detractione 391., a furto 399., a restitutione 445., a jejunio 481., ab abstinentia a carnibus 485., ab horis canonicis 533. Causa belli 382.
Cerevisia non frangit jejunium 475.
Certitudo fidei 19—21., spei 57.
Cessatio causae motivae in voto 186., in juramento 207. Cessatio promissionis 345.
Cessio bonorum, excusans a restitutione 446.
Cessor bonorum, num quid sibi retinere possit 441.
Charitas, ejus notio, objectum materiale et formale 66. Charitas, qua Deum, nos et proximum diligimus, est una virtus 67.
Charitas erga Deum, ejus actus interni 68—72., externi 72—73. Amor perfectus 74., et vera hominis cum Deo amicitia 78. Ejus necessitas 80—83. Vitia ipsi opposita 83—86.
Charitas erga nos ipsos, ejus necessitas, actus et finis 86—88., vitia opposita 88—90.
Charitas erga proximum, ejus praeceptum in genere 91. et seq., quoad inimicos 93. et seq. Vid. *Inimici.* Ordo charitatis 97—104. Opera misericordiae ex charitate implenda 104. et seq. Peccata opposita 116. et seq.
Cohortatio s. Augustini ad Deum et proximum diligendum 134.
Chirographa et credita vendi possunt 355.
Chiromantia 246.
Chocolatum, an frangat jejunium 476.
Choreae, an licitae 509., in specie clericis 539.
Circumspectio 511.
Circumstantiae, restitutionis 433 et seq. Circumstantiae in votis 176., in

juramentis 205. 207., in contractibus 341.
Classes librorum prohibitorum 50.
Clausura religiosorum 549. 550.
Clementia, ejus indoles, necessitas 503, vitia opposita 504.
Clerici, eorum dominium 326. et seq., obligationes 515. et seq.
Coelibatus clericos in sacris obligans 519. Ejus lex antiquissima et statui sacerdotali convenientissima 520. et seq.
Coenula seu collatio in jejunio 476. 477.
Cognitio immediata et mediata 3. 4.
Collatio, v. *Coenula.*
Commissarius, v. Venditio per proxenetas.
Commodatum 346.
Communicatio cum infidelibus 42., cum Judaeis *ibid.* cum haereticis 45. 46.
Communistarum doctrina impia erga Deum, injuriosa proximo, perniciosa societati, in se absurdissima 322—324.
Commutatio voti 187—189., testamenti 354.
Compensatio occulta 401—403., causa excusans a restitutione 445.
Compositio liberat a restitutionis obligatione 445.
Concio a parocho facienda 544. Obligatio audiendi concionem 214. An liceat haereticorum concionibus interesse 45. 46.
Concionator corripere debet peccata publica, etiamsi nulla spes affulgeat emendationis 113., an liberetur a jejunii obligatione 483. Concionator Deum tentans 265.
Concordia fidelium a s. Gregorio M. commendata 122.
Concursus. An teneatur ad restitutionem superior, qui praecedente concursu beneficium vel officium indigno vel minus digno contulit 317. Quid de eo, qui in casu concursus alium a consecutione beneficii impedivit 418.
Conditiones requisitae ad orationem 163., ad votum 174., ad juramentum 200., ad adjurationem 209., ad praescriptionem 336.
Condonatio, v. *Remissio.*
Confessarius, an teneatur ad restitutionem male consulens 425., poenitentem omittens de restitutione monere 431., an liberetur a jejunii obligatione 483.
Confidentialis simonia, quid sit 274., ejus poenae 280.
Conjugum obligationes 553.
Conscriptioni ad militiam se subtrahentes, an ad aliquid teneantur 458.
Consensus ad contractum requisitus 340. 341.
Consentiens, quando restituere debeat 427., quo ordine 438. 439.
Consilium, v. *Consulens.*
Constans debet esse fides 25. 26.
Consuetudinarius (habituatus) clericus in vitio turpi, qui ad ss. Ordines statim ascendere velit, an absolvi possit 517.
Consulens, quando ad restitutionem obligetur 424—426., quo ordine 438—439.
Contentio 121.
Continentia, v. *Castitas, Coelibatus.*
Contractus, quid et quotuplex 337., ejus objectum 338. An quis licite possit accipere pretium pro re ex justitia debita 338., an pro re aliqua turpi 339. Subjectum contractus 340., consensus ad contractum requisitus 340—342. Forma externa contractuum 343. Contractus gratuiti 344., onerosi 355.
Contritio, formalis actus charitatis 82.
Contumelia, quid, quotuplex, quale peccatum 394—395. v. *Honor.*
Convicium 394.
Cooperantes ad damnum alterius, quando teneantur ad restitutionem 422., quo ordine 438. 439.
Cooperatio ad aliorum peccata, formalis et materialis 129. 130., an licita 130—134.; cooperatio ad damnum proximi 429. 430.
Cor humanum est symbolum amoris, sedes et veluti organum affectionum, praesertim amoris 145. Cor Jesu, Cor Mariae, v. *Devotio.*
Corpus, quomodo diligendum propter Deum 87. 88.
Correctio fraterna, quid sit 110., ejus praeceptum 111., de quibus peccatis, a quibus personis, quo modo et quo ordine facienda 111—115.
Credenda, fide divina et catholica 6—8., necessitate medii 28—31., necessitate praecepti 31. 32.
Credibilitas religionis christianae 14. et seq., evidentia credibilitatis 22.
Creditores, quo ordine eis restituendum 439 et seq.
Crimen, an possit unquam manifestari 391., in loco, ubi jam multis notum est, ad quem brevi aut longo tempore aut nunquam notitia ejus est perventura 392. Falsum crimen alicui imponere nunquam licet 391. V. *Detractio.*
Crudelitas 504.
Crux Domini, cur et quomodo colenda 153. 154.
Culpa, theologica et juridica 416., quoad restitutionis obligationem *ibid.*
Cultus triplex Deo debetur 139—141. Cultus latriae 153. hyperduliae 154. et seq., duliae 157. Cultus ss. Cordis Jesu 142. et seq., purissimi Cordis Mariae 151. et seq.
Curiositas, quibus modis se exerat 505. 506.
Currus ducere die festo 224.
Custodes domus, gregis, an excusentur ab audienda Missa 222. Custodes vinearum, agrorum, silvarum etc., quando debeant restituere 431.

D.

Daemones, divinae gloriae aemulatores 231. Pactum cum illis 231—233. Multa cognoscere et efficere possunt, quae superant hominum vires 233—239. Adjuratio daemonum 209—211.
Damnificator injustus, ad quid generatim teneatur 415., si inculpabiliter causam damni posuit 417., si culpabiliter, et postea damnum impedire conatus est 417., si damnum ex errore intulit 419., si dubitet, an damnum evenerit 419. 420., si damnum grave ex culpa levi intulit 420.
Damnum excusans ab usura 349., excusans a restitutione 445—446. Quo ordine a cooperantibus damnum reparandum 439.
Debitor, impotens omnibus satisfaciendo creditoribus 439—441., restituens per simulatam donationem, vel immemor debiti 442.
Decalogi praecepta scienda 31.
Deceptio, v. *Dolus.*
Defensio v. Aggressor.
Deflorator, ad quid teneatur 450. 451.
Deliberatio requisita ad voti validitatem 175.
Delictum, v. *Crimen, Reus.*
Denuntiare superiori delinquentes, sacerdotes corruptores 114.
Depositum 346.
Desertores militiae, ad quid teneantur 459.
Desiderium, actus amoris benevolentiae seu charitatis erga Deum 70—72., charitatis erga proximum 92.; desiderare sibi vitam longam vel mortem, an licitum 62., desiderare proximo malum temporale 117.
Desperatio, quid sit et quale peccatum 62.; pejor est, quam praesumptio 63.
Detractio, quid et quotuplex 387., gravitas ejus, unde cognoscatur 388—390. Detractionem audiens 390., alia 391. 392. Detractio studiose cavenda 393.
Devotio, quid sit et undenam potissime enascatur 141. Interior animi suavitas ad essentiam devotionis non pertinet 142. Devotio omnis in Deum ipsum redundat 142.
Devotio erga ss. Cor Jesu, ejus origo 142., objectum 144. et seq., finis et fructus 149—150.
Devotio erga purissimum Cor B. V. Mariae, ejus origo et objectum 151., finis et fructus 152.
Difficultas, v. *Impossibilitas.*

Dilatio in voti impletione 183., in restitutione 444.
Dilectio, v. *Amor, Charitas.*
Discordia, quando et quale peccatum 121.
Dispensatio in votis 189. et seq., in juramentis 207., ab operibus servilibus 227., in jejunio 481., in abstinentia a carnibus 485., in horis canonicis 533.
Disputatio cum haereticis, privata et publica 46.
Dissimulare veram fidem nonnumquam licitum, imo et necessarium est 36.
Distantia ab ecclesia, an excuset a Missa audienda 223.
Distributiones in choro, qualia bona clericorum sint, et num eorum dominium habeant clerici 328. 329.
Divinatio, quid et quotuplex 245. 246. Sortes divinatoriae 247., virga divinatoria 248. Divinatio, quale sit peccatum 248. 249.
Dolus in contractu 341., quomodo differat a fraude 512.
Domini, eorum erga famulos obligationes 559.
Dominium, notio et divisio 318., dominium bonorum animae, corporis, famae 319., rerum externarum 320. Dominium privatum necessarium et inviolabile 321—324., dominium in alios homines 324—326.; dominium clericorum 326. et seq., filiorum et uxoris 333. Acquisitio dominii, occupatione 334., inventione 335., accessione et praescriptione 336. V. *Contractus.*
Donatio, inter vivos et mortis causa 345.
Dubitatio temeraria, quid et quale peccatum 385. 386.
Dubium positivum de veritate religionis catholicae, a Semirationalismo catholicis commendatum rejicitur 25—27. Dubitans de aliquo fidei articulo haereticus formalis est 43. Dubium de effectu correctionis fraternae 111. Dubium, an effectus proveniat a causa naturali aut ab operatione diabolica 244. 248., an incommodum sit grave ad infirmum excusandum ab auditione Missae 222., a recitandis horis canonicis 533., an labor excuset a jejunio 483. Dubitans, an votum emiserit etc. 177. Dubitans princeps vel miles de justitia belli 383. Dubium de damno illato 419. 420.
Duellum, quid sit 377., ejus origo 378., nefaria turpitudo et poenae 378—381.
Dulia, v. Cultus.

E.

Ebrietas, species gulae 487., quale peccatum 488. An unquam liceat semetipsum inebriare 489., an omnia imputabilia mala in ebrietate commissa 490.
Ebrius vel amens aggressor vitae, an licite occidatur 372.
Ecclesia infallibilis est proxima fidei regula 6., quae ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata proponuntur credenda, fide divina et catholica credi debent 7. Divina Ecclesiae auctoritas, formale fidei objectum 9. Ecclesia per se ipsa est magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis 15. et seq. Ecclesiae praecepta scienda, necessitate praecepti 31. Ecclesia gaudet potestate instituendi festa 213.
An necessario in ecclesia parochiali sit Missa audienda 220.
Educatio. Jus et officium parentum quoad liberorum educationem 554. 555.
Electio status filiis relinquenda 557.
Electuaria, an frangant jejunium 476.
Eleemosyna facienda 105., cui, ex quibus bonis, a quibus hominibus, quanta obligatione 106—109. An teneatur ad restitutionem, qui praeceptum dandi eleemosynam praetermisit 109.
Emptio, v. *Venditio.*
Ephemerides, fidei et moribus perniciosas legere, prohibitum jure naturae 52., per praeceptum positivum ab episcopis prohibendum 54. Quid observandum a confessario 54., a dominis hospitiorum 133.
Episcopus jus et officium habet, prohibendi libros pravos, atque hujusmodi libellos et ephemerides 53. 54., potest festa instituere 213., dispensare in votis 190. 191., vota irritare 193. 195., dispensare in juramentis 207., in operibus servilibus 227., in jejunio 481., in abstinentia a carnibus 485., in horis canonicis 533. Non potest proprio jure dispositiones ultimas immutare 354. Ejus obligationes 540—542. Episcopus regularis tenetur ad regulas Ordinis sui 550.
Error intellectus contra fidem 42. Error in voto 176., in juramento 201. 205., in contractu 341., in horis canonicis 529. An teneatur ad restitutionem, qui ex errore damnum intulit 419., an mandans, si mandatarius ex errore alteri intulit damnum 423. Vid. *Ignorantia.*
Eubulia, virtus prudentiae adnexa 510.
Eutrapelia, exponitur 509.
Evictio. Ad quid teneatur venditor rei alienae in casu evictionis 407.
Evidentia, quae convenit fidei, extrinseca est, non intrinseca 21—23.
Examinatores synodales nihil accipere possunt occasione examinis parochialis 278.
Exemplum, inducens ad furtum 399., ad damnum 416. V. *Scandalum.*
Exorcismus, quid sit 209., solemnis et privatus, quando adhibeatur 209—211.
Expensae, an subtrahi possint a possessore bonae fidei 406., a possessore malae fidei 410. Cujusnam expensis restitutio facienda 443. Expensae pro remediis vulnerati ferendae a vulneratore 449.
Extasis magnetica 254.
Extinctio voti 187., juramenti 207.

F.

Fama, quid sit, et quomodo violetur 385., dominium famae 319., restitutio famae 453.
Famuli, eorum obligationes 560. An possit famulus ostium domus meretrici aperire 131., alia similia *ibid.*
Festa, eorum finis et institutio 211—213. Festa sanctificandi praeceptum 213. et seq.
Fides in genere, fides divina seu theologica 4. Errores recentissimi circa fidem 5. 6. Objectum materiale fidei theologicae 6., objectum formale 9., subjectum fidei 11. An de eadem veritate simul fides ac scientia haberi possit 12.—14. Divisio fidei 14. Motiva credibilitatis 14. et seq. Certitudo et evidentia fidei 19. et seq. Fidei proprietates 24. et seq. Necessitas fidei quoad habitum et actum internum 27. Quaedam veritates fidei explicite credendae sunt necessitate medii 29., necessitate praecepti 31. Actus fidei saepius eliciendi 32. An possit absolvi, qui ignorat necessaria necessitate medii 33., necessaria necessitate praecepti 33. 34. De necessitate fidei quoad actum externum 35., quando fides profitenda 134.; an liceat fidem simulare et dissimulare 36., vestibus vel signis infidelium uti 37., tempore persecutionis fugere 37. 38. — Vitia fidei opposita 39. Vid. *Apostasia, Infidelitas, Paganismus, Judaismus, Haeresis.*
Praeclara ss. Patrum de fide christiana eloquia 55. 56.
Filii, eorum educatio 554. et seq., eorum erga parentes officia 558. et seq. An teneantur parentibus obedire quoad vitae statum amplectendum 559. An possint insciis parentibus statum religiosum ingredi 559. An possint eleemosynam pauperibus elargiri 109. Furta filiorum 397. An pueri obligandi ad condonationem restitutionis a parentibus petendam 447.
Fluidum magneticum, quid esse dixit Mesmer 250. An phaenomena sic dicti

magnetismi peti possint a fluido magnetico 255.
Foetus animatio, expulsio 376.
Formula juratoria 200. 201.
Fornicatio 495.
Fortitudo, ejus indoles, materia, actus 460. 461., praeceptum 463. Incitatio s. Basilii ad fortitudinem 463. 464.
Fraudatio tributorum 456—458.
Fraus, in licitatione 361., in ludo 363 V. *Dolus*.
Fructus naturales, industriales, civiles, mixti 405., quinam restituendi a possessore bonae fidei 406., a possessore malae fidei 410. Fructus beneficii restituendi a beneficiato ob neglectas horas canonicas 526., a parocho non residente 543.
Fuco vultum pingere, an liceat 508.
Fugere tempore persecutionis, an liceat 37. 38. Fugere e carcere 562.
Functiones sacrae, an pro iis aliquid accipere licitum 277. 327.
Fur, an teneatur ad restitutionem, si res ablata apud ipsum perierit 411. An emptor bonae fidei possit furi rem reddere ad pretium suum recuperandum 407. 408., an idem possit facere possessor malae fidei 411. An furem occidere liceat 373.
Furtum, quid et quotuplex 395. 396., ejus gravitas, et quomodo determinetur 396. 397.; furta uxorum, filiorum, famulorum 397. Quibus modis furtum in materia levi fiat peccatum grave 398. Furtum in ecclesia 270. Causae a furto excusantes 399.

G.

Gaudium de bonis divinis, actus charitatis erga Deum 68—70. 82. Gaudere, an liceat, de malo temporali proximi ob bonum finem 117.
Geomantia 245.
Gloria externa Deo dari potest, eamque charitas intendit 72. 73.
Gloria vana, filia superbiae 287.
Gnome, prudentiae adnexa 510.
Gratiarum actio, v. *Gratitudo*.
Gratitudo, in quo consistat 294. 295. Eam omnibus benefactoribus, praeprimis Deo debemus 296., magis poenitens, quam innocens ad illam obstringitur 296. Quomodo gratus animus Deo exhibendus 297. Vitia opposita 297. Admonitio s. Bonaventurae 298.
Gravitas in voto 181. 182., in juramento 202—203. 205., in audienda Missa 217. , in operibus servilibus 227., in injuria 364., in detractione 388., in furto 396., in jejunio et abstinentia carnis 474., in horis canonicis 527.
Gula, quid sit et quibus modis committatur 487., quale peccatum 488., ejus filiae 490.

H.

Habitatio cum mulieribus, an licita clericis 538.
Habitus clericalis 537.
Haeres, ejus jura et officia 353.
Haeresis, formalis et materialis 42., quomodo differat ab apostasia et schismate 40., quale peccatum 41.
Haereticus formalis 42. 43. Nefas est, cum haereticis communicare in sacris 45. An liceat, haereticis famulari 46., cum eis disputare *ibid.*, haereticorum libros legere 50. et seq. Poenae in haereticos ab Ecclesia statutae 43. 44.
Homicidium, quid et quotuplex 368., ejus gravitas multiplex 368. 369. Excusatio ab homicidio 369. Restitutio ob homicidium 449. 450. Quid, si innocenti imputetur 418.
Honor, quid sit 385, ejus violatio per contumeliam 394. 395., restitutio 455. An honorem vel favorem humanum appetere, semper sit malum 286.
Hora refectionis in jejunio 480. 481.
Horae canonicae, quid 524., earum origo 525., obligatio 526. 527. An sit obligatio, Off. def., Litanias, Psalmos Grad., recitandi 527. Quo tempore Horae recitandae 528., quo ordine 529. An sacerdos in aliena dioecesi Calendarium illius sequi possit *ibid.* Quid, si aliud Officium pro Officio diei recitavit 529. Quo modo Horae recitandae 530. Causae excusantes 533. Incitamenta fervoris in Officio divino persolvendo 534.
Humilitas, quid sit 282., optime componitur cum justa sui aestimatione 283.; ejus objectum et actus 283., est omnium virtutum fundamentum 284., ejus praeceptum 284. 285., gradus 285. Quomodo melior possit se aliis viliorem reputare *ibid.* An sit contra humilitatem, dona Dei in se agnoscere et maximi aestimare, honorem appetere 286., res a se laudabiliter gestas aliis narrare 288. An propter humilitatem bona opera occultanda 288. Vid. *Superbia*. S. Augustinus de necessitate humilitatis 288.
Hyperdulia B. V. Mariae debetur 154—156.
Hypocrisis 302., filia superbiae 287.

I.

Idololatria, quid et quotuplex 239. 240., daemonum cultus 240., illius formae inter christianos 241.
Ignavia in vitiis corripiendis 502.
Ignorantia, fit ex negligentia culpabilis 505. Ignorantia clericorum *ibid.* An valeat votum ex ignorantia emissum 176. vel juramentum 205.
Imagines Christi 153., Sanctorum et Beatorum 157., non imponendae tabernaculo 157.
Impatientia 468.
Impediens alium a consecutione boni, an teneatur ad restitutionem 418., ab ingressu ordinis religiosi 448., a scientia vel arte discenda *ibid.*, impediens alium volentem avertere proximi damnum 432.
Impossibilitas seu impotentia, excusans a voto 179. 186., a juramento 207., ab auditione Missae 221. et seq., ab operibus servilibus 228., a promissione 345., a restitutione 445., a jejunio 482., a carnis abstinentia 485., ab horis canonicis 533.
Imprecari alicui daemonem etc. 267.
Improperium 394.
Imprudentia 511.
Impuberes, quinam appellentur 194 Vota eorum irritari possunt 194.
Incestus 495.
Incisio matris (operatio caesarea) 377.
Inconsideratio 511.
Inconstantia 469.
Index librorum prohibitorum, ejus origo 49., regulae Indicis 50. 51. Obligatio 52. 53. V. *Libri* prohibiti.
Indignatio 502. 119.
Indignus, si ei conferatur beneficium 317.
Infamia. An quis possit se ipsum infamia afficere 320.
Infideles cogi nequeunt ad fidem 41. An eorum ritus fovendi vel tolerandi 41., an cum illis communicare 42., eorum vestibus uti liceat 37.
Infidelitas, quid et quotuplex 39., quando et quale peccatum 40. 41. Eam superstitio excipere solet 231.
Infirmus, an peccet, qui rejectis remediis naturalibus a Deo sanitatem exspectat 265. Infirmus quoad Missam audiendam 222., quoad jejunium 482., abstinentiam a carnibus 485, horas canonicas 533. A parocho visitandus 545.
Ingratitudo 297.
Inimicus, cur et quomodo diligendus 93—96.
Injuria, quid sit, quando gravis 364. Scienti et volenti non fit injuria 365. De injuriis in bonis corporis 366. et seq., in bonis famae, honoris et fortunae 385. et seq.
Injustitia quotuplex 364.
Innocens, an occidi possit 372. 384., an damnari, si juridice nocens probetur 561. An nocens teneatur ad reparandum damnum innocenti, cui crimen imputatur 418.
Inobedientia 293.

Inquietudo, filia avaritiae 310.
Insensibilitas 468.
Insolentia, modestiae repugnans 508.
Intellectus, qua ratione subjectum fidei 11.
Intemperantia, v. *Gula, Ebrietas.*
Intentio in voto 175., in juramento 200., in auditione Missae 218.
Interesse in mutuo 348. et seq.
Internationalis associat. molimina 321., reprimenda 324.
Interpretatio votorum 184.
Interruptio praescriptionis 337., comestionis in jejunio 481., in horis canonicis 531.
Interventus. Quid censendum de principio, quod vocant de *non interventu* 384.
Intuitio clara, effectus somnambulismi magnetici 253.
Inventio bonorum 335.
Invidia, in quo consistat 118. 119. quale peccatum 119., ejus filiae 120.
Invocatio Sanctorum 157. Infantes baptizati et ante rationis usum defuncti, nec non animae purgatorii privatim invocari possunt 165.
Ira, iracundia, quale peccatum, ejus filiae 502. 503.
Irreligiositas, quid sit et quibus modis committatur 263.
Irrisio 394.
Irritatio voti 193. et seq., juramenti 207.
Iter, an excuset ab audienda Missa 223., a jejunio 482., a carnis abstinentia 485.

J.

Jactantia, filia superbiae 287., de rebus laudabiliter gestis 288.
Jejunium, quotuplex 472., praecipitur a lege naturali et ecclesiastica 472., 473., tribus partibus constat 473. De unica refectione 474. et seq., collatione serotina 477., de abstinentia a carnibus in jejunio 477. et seq. Diebus jejunii pisces cum carnibus edere non licet 479. Hora refectionis 480. Causae a jejunio excusantes 481—484.
Jentaculum diebus jejunii 473.
Judaei, communicatio cum ipsis 42.
Judaismus, fidei divinae repugnans 39., quale peccatum 41., superstitiosus 230.
Judex, ejus obligationes 560. 561.
Judicium temerarium, quid sit 385., quale peccatum 386. Benigne de omnibus judicandum 387.
Juramentum, ejus notio et divisio 196. Debitis vestitum conditionibus est honestum et licitum 197. et seq. De conditionibus requisitis ad ejus essentiam 200., ad ejus liceitatem 201. et seq. De obligatione juramenti promissorii 203. et seq. De ejusdem cessatione 207. 208.
Jus, multiplex est 313—315. Intime officio cohaeret 315.; omnium jurium ratio et causa ultima est Dei voluntas, lex aeterna 315. V. *Dominium.*
Jusculum, an frangat jejunium 475.
Justitia, ejus notio et partitio 311—313., obligatio 316—318. Virtutes ipsi adnexae 136. Peccata opposita 364. S. Ambrosius de justitiae nobilitate 459.

L.

Labor. An pro labore functionis sacrae pretium accipere liceat 277. Labor, quando excuset a jejunio 482. 483. V. *Opera.*
Lac frangit jejunium 475.
Lacticinia, quando prohibita 478. 479.
Laridum diebus esurialibus 484. 485.
Latria 153.
Laus Dei, actus charitatis 70.
Legatum et legatarius 353.
Legere turpia 495., alterius literas aperire et legere 505., secreta scripta furtim legere, literas scissas colligere et legere 506. V. *Ephemerides, Libri.*
Lenitas nimia 504.
Lex civilis, permittens interesse ex mutuo, an titulus justus 350. 351.
Libellus. Ad quid teneatur, qui libellis editis impietatem sparsit 448., proximo falsum crimen imposuit 454.
Liberalitas, exponitur 309. 310.
Libertas cujusvis religionis et cultus, conscientiae, an admittenda 44. 45.
Libri. Quo modo per eos scandalum detur 128., reparandum 448. An liceat libros fidei et moribus adversos alicui praelegere 132., iis edendis cooperari 132.
Romano Pontifici competit jus, lectionem librorum pravorum fidelibus prohibendi 49. et seq. Libri prohibiti per regulas Indicis 50. Censura quoad libros prohibitos statuta 51. 52. Facultas hujusmodi libros legendi 53. Lectio librorum malorum a lege naturali interdicta 53. Convenit quoque episcopis potestas proscribendi libros pravos 53. 54.
Licitatio, quid sit, quomodo in ea peccetur 361. 362.
Litaniae recitandae 527.
Literas amatorias concubinae deferre 131., scribere 128. V. *Legere.*
Locatum, quid sit 359.
Locus, Missam audiendi 220., horas canonicas recitandi 532., quo loco restituendum 443.
Loteria, an licita 364.
Lucrum, an excuset opera servilia et omissionem sacri die festo 229. ab usura 349. Lucrum in ludo 363.
Ludus, quid et quotuplex 362., an licitus 362. 363. Ludi clericis prohibiti 539.
Luxuria, notio et distinctio 494. Peccata luxuriae non consummata 494., consummata intra naturam 495., contra naturam 496—498.
Luxus 508.

M.

Magia, naturalis et superstitiosa 249.
Magnanimitas, ejus indoles, actus et pretium 464. 465., vitia opposita 465. 466.
Magnetismus animalis seu Mesmerismus, ejus origo 250., effectus 251—254. Prouti fieri solet, est opus superstitionis diabolicum, a Sede Apostolica merito prohibitus 255. et seq.; nec res nova est 256. 257.
Maledicere Sanctis, Ecclesiae, creaturis irrationabilibus, an blasphemia 267.
Malefactor a publica auctoritate occidi potest 370.
Maleficium, quid et quotuplex 249. An quis possit aspectu suo aliis nocere 250.
Mandans, obligatur ad restitutionem 422. 423., quo ordine 438. 439.
Manifestans (non), quando debeat restituere 431.
Mansuetudo 500., ejus laus et praeceptum 501. Praeprimis necessaria sacerdotibus 501. 502. Vitia opposita 502.
Maria B. V. cultu hyperduliae prosequenda 154. Illius excellentiam praeter Deum nemo assequi cogitando potest 154. Habet quandam dignitatem infinitam. Maternitas divina quodammodo ad ordinem unionis hypostaticae pertinet *ibid.*, est radix et causa ceterarum omnium perfectionum et gratiarum, quibus Maria fuit cumulata 154. 155. Virtutes ejus splendidissimae 155. B. V. Maria thesauraria et erogatrix divinarum gratiarum 166. et seq.; ad opus redemptionis cum Christo concurrebat 169. 170. Tamquam aquae ductus a s. Bernardo celebratur 171. Cor ejus purissimum 151. Est vere Martyr et Regina Martyrum 462. 463. Cultus B. V. M. promovendus a parocho 546., filiis instillandus a parentibus 556.
Maritus, ejus obligationes 554. An vota uxoris irritare possit 194. 195.
Martyrium, praestantissimus actus fortitudinis 461., ejus conditiones 462. An martyrio se offerre liceat 265.
Mater, an possit filiorum vota irritare 194. 195., quomodo proli nondum enatae provideat 556.
Matutinum cum Laudibus ante Missam recitandum 528., anticipari potest

ibid. Matutinum a Laudibus separari potest 531.
Mendacium, quid et quotuplex 302. 303., absolute malum 303., quale peccatum 304.
Mensae rotantes, scribentes 260.
Mercatus die festo 225.
Merx in contractu venditionis 355. 356. An peccent et restituere debeant importantes merces prohibitas 458.
Mesmerismus, v. *Magnetismus animalis.*
Metus, an invalidum reddat votum 177., juramentum 205., contractum 342.
Miles, an possit belligerare in dubio de justitia belli 383., an exercitum deserens, teneatur redire 459. Quid de iis, qui militiae se subtrahunt 458.
Miraculum a Deo petere, an liceat 264.
Misericordia, et ejus opera 105.
Missa audienda praecipitur 213. 214., praesentia corporis, assistentia religiosa, locus debitus 216—221. Causae excusantes 221. et seq. — An qui vovit audire Missam per mensem vel annum, teneatur in festis audire duo sacra 184.
Missiones parochus accersere debet 546.
Moderamen inculpatae tutelae 371., illud excedens restituere debet 450.
Modestia 507. Nihil tam idoneum homini, nihil tam congruum christiano, maximeque clericum nihil adeo, ut modestia, decet *ibid.* Vitia opposita 508.
Mohatra, an contractus licitus 389.
Molere die festo 224.
Mollities, v. *Pollutio.*
Monachus, v. *Religiosi.*
Monopolium, publicum ac privatum, an licitum 359.
Montes pietatis, quid sint, ubi exorti etc. 351. 352.
Mortem sibi optare, an licitum 62.
Mortificare corpus poenitentiis cum vitae abbreviatione 90.
Motiva credibilitatis, quid sint 14. Errores 14. Doctrina catholica 15. et seq.
Munus a manu, a lingua, ab obsequio 273.
Mutilare se, an liceat 367.
Mutuatarius, ad quid obligetur 347.
Mutus quoad restitutionem 431. An surdo mutus teneatur Missae interesse 216.
Mutuum, in quo consistat 347., illud dandi praeceptum *ibid.* Interesse ex mutuo 348. V. *Usura.* An mutuum ab usurario petere, mutuum dare abusuro liceat 132. 133.
Mysteria fidei in revelatione divina contineri, negant Semirationalistae 5., refelluntur 8. An de illis possit haberi scientia 13. An fides explicita in mysteria ss. Trinitatis et incarnationis necessaria sit necessitate medii 29. An possit valide absolvi, qui illa ignorat 33.

N.

Nationalismus reprobandus 121.
Necessitas fidei 27. et seq., spei 60. 61., charitatis 80. et seq.
Necessitas extrema, gravis, communis 101. Quomodo proximo in necessitate succurendum 101—104. Necessitas extrema excusat a furto 399—401., a restitutione 445. V. *Impossibilitas.*
Necromantia 245.
Negligentia, quale peccatum 505.
Nigrorum commercium, detestabile et a Sede Apostolica merito prohibitum 325. 326.
Nocturni separari possunt 531.
Notorium publicitate juris, facti et famae 392.
Novitiatus ad validitatem professionis religiosae requisitus 548.
Numerus certus, quo preces peraguntur, an superstiosus 243.
Nundinae die festo 225.

O.

Obedientia definitur 289. Excellentior est ceteris virtutibus moralibus, religione excepta 290. Ejus praeceptum 291., gradus 292., vitia opposita 293. Obedientia uxoris 554., filiorum 558., famulorum 560. S. Gregor. M. in obedientiae commendationem 294.
Obligatio, communis et specialis ad perfectionem tendendi 513. Obligationes eorum, qui in statu perfectionis versantur 513., clericorum 515. et seq., religiosorum 547. et seq. Obligationes eorum, qui in statu vitae communis versantur 553. et seq.
Observantia, ejus notio, divisio et gradus 300. 301.
Observantia vana, species superstitionis, quid ex quotuplex 241. 242., quomodo cognoscatur 242. 243., quid in dubio 244.
Obsessio, quomodo differat ab invasione daemonis 262. Not. 2.
Obstans (non), quoad restitutionem 431.
Occasio. An scandali peccatum, occasionem peccati permittere vel ponere 124. Num actio, quae occasio damni est, obligationem restituendi pariat 416.
Occisio malefactoris 369., et seq., injusti aggressoris 371. et seq. V. *Suicidium, Homicidium.*
Occultare fidem 36.
Occupatio, modus acquirendi dominium 334.
Odium, in genere quid et quotuplex 83. Odium Dei 83. 84.; odium sui 89., odium proximi 116—118.
Officium et jus, quomodo se ad invicem habeant 315. Officium divin. v. *Horae canonicae.*
Onanismus 497. Decisiones s. Poenitentiariae 498.
Opera misericordiae 105. — An ob scandalum omittenda opera bona praecepta 126., opera consilii 127., opera indifferentia 127. — Opera servilia, liberalia, communia, forensia 223. 224. Opera diebus festis prohibita 224., permissa 225. 226., gravitas prohibitionis 227., causae excusantes 227—229.
Operarii, an excusentur a jejunio 482.
Operatio caesarea, an licita 377.
Opium, ejus usus 489.
Oraculum, per daemonis operam 245.
Oratio, ejus notio et divisio 158. 159., necessitas 159. et seq., effectus 162. et seq., pro quibus orandum 165., pro clero et populo episcopus 541., pro parochianis parochus 544., pro liberis parentes 557.
Oratoria privata 221.
Ordo charitatis quoad personas diligendas 98. et seq., quoad bona diligenda 100. et seq. Ordo correctionis 114., restitutionis 438., horarum canonicarum 529.
Ornatus, quando peccatum 508.
Oscula 494. 495.
Ova, quando prohibita 478.

P.

Pactum hominis cum daemone 231. et seq. — An obligationem inducant pacta de re turpi 339. V. *Contractus.*
Paganismus, infidelitatis species 39., quale peccatum 41. Nefas est, paganos vi externa ad fidem veram compellere 41. An eorum ritus fovere vel tolerare liceat *ibid.* Quid de communicatione cum illis 42.
Palpo quoad restitutionem 427.
Parentes. Ipsis jus et officium competit educandi proles 554. 555. Quid filiis debeant quoad corpus et animam 556., et quoad vitae statum 557. An irritare possint vota filiorum 194. 195. An obligent vota parentum devoventium filios statui religioso vel sacerdotali 181.
Parochus, ejus obligationes 543—546. An possit dispensare quoad opera servilia 227. 228., quoad jejunium et abstinentiam carnis 481. 485. An extra dioecesim teneatur ad Officium propriae ecclesiae 529.
Participans in praeda, in actione damnosa, obligatus ad restitutionem 428—430.

Pastores animarum, an fugere possint tempore persecutionis 38., quomodo succurrere debeant ovibus in spirituali necessitate 103., corripere peccatores 113. Commonitio s. Greg. M. ad animarum pastores 546.
Patientia, ejus indoles, materia, necessitas, gradus, vitia opposita 466—468. S. Cyprianus de bono patientiae 468.
Patria, rectus ejus amor 299. 300.
Patrimonialia bona clericorum 328. 329.
Pauperes, an excusentur ab operibus prohibitis die festo 228., ab jejunio et abstinentia carnis 482. 485. Obligatio dandi eis eleemosynam 105. et seq., mutuandi 347. Pauperum curam gerat parochus 545.
Pensionarii clerici, an teneantur superflua bona pauperibus erogare 330.
Perfectio vitae christianae. Est quaedam obligatio omnibus communis, ad eam tendendi 514., et specialis quoad clericos et religiosos 514. 515.
Periculum. Contra charitatem sui est, sine justa causa se exponere periculo proximo mortaliter peccandi 90., an illud subire liceat ad proximum a peccato liberandum 98.
Periculum sortis (capitalis), excusans ab usura 349. 350.
Perjurium 203.
Perseverantia, quid de ea notandum 469. S. Bernardi admonitio *ibid.* Juramentum seu votum perseverantiae in quibusdam Congregationibus emitti solitum 208.
Pertinacia, excessus perseverantiae 469.
Physiognomia 246.
Philtrum 249.
Pietas, ejus diversa acceptio, parentibus et patriae debita etc. 299. et seq.
Pingere obscoena 128. An pingere die festo liceat 226.
Piscari die festo 226., contra legis prohibitionem 334.
Pisces cum carnibus miscere die jejunii prohibitum 479.
Pistores, an panem conficere licite possint diebus festis 229.
Poena conventionalis in mutuo 350.
Pollutio 496. 497.
Pontifex Romanus, quae solemni definitione tamquam divinitus revelata credenda proponit, fide divina et catholica credenda sunt 7. Ipsi competit jus prohibendi pravos libros 49. et seq., instituendi festa 213., dispensandi in votis, etiam solemnibus 190., et in juramentis 207., item irritandi vota et juramenta 193. 195. 207., dispensandi in festis 227., in jejunio et carnis abstinentia 481. 485., in horis canonicis 533. Ipse potest testamenta immutare 354., compositionem respectu restitutionis concedere 445.
Possessor bonae fidei, quis sit, quid restituere debeat 406., quid, si rem sibi donatam vendidit, alienam rem alicui donavit etc. 406. 407., si rem bona fide emit et vendidit, in casu evictionis 407., an possit rem reddere furi ad pretium recuperandum 407. 408. Quo loco, cujus expensis restituere debeat 443.
Possessor malae fidei, ad quid teneatur 409., si valor rei tempore iniquae detentionis varius evasit 410., res furtiva apud ipsum perierit 411. An possit rem alienam furi reddere ad pretium recuperandum 411. Quomodo restituere debeat 442. et seq.
Possessor dubiae fidei, quis sit et ad quid teneatur 413. et seq.
Potus non frangit jejunium 474. et seq.
Praescriptio. Conditiones ad eam requisitae 336. 337.
Praesentia in Missae auditione 216. et seq.
Praestigium 245.
Praesumptio, prouti spei opponitur 62. 63., quatenus humilitati adversatur 287., excessus magnanimitatis 465.
Prandium in jejunio, qua hora 480., an notabiliter protrahi, et interrumpi queat 481.

Precibus alium inducens ad damnum inferendum 424., puellam ad peccatum 451.
Pretium in venditione 356. et seq. An quis licite possit accipere pretium pro actione aliunde debita 338., pro actione turpi 339. V. *Simonia.*
Princeps catholicus, an possit liberum sectarum cultum permittere, cujusvis religionis aequalitatem statuere 44. 45. Jus possidet, tributa subditis imponendi 457. Catholici principes ac populi communi officio tenentur, Romanum Pontificem armis impugnatum adjuvare et defendere 385.
Privilegiata debita 440.
Prodigalitas 309.
Professio fidei 35.
Professio religiosa, quid ad ejus validitatem requiratur 548.
Prohibitio librorum 48. et seq.
Promissio, contractus, quomodo obliget, quando cesset 344. 345. Ad quid teneatur, qui sub matrimonii promissione puellam seduxit 451.
Pronuntiatio in recitandis horis 530.
Propinqui diligendi. V. *Ordo* charitatis.
Propositum differt a voto 172.
Proprietas, v. *Dominium.*
Providentia, dos prudentiae 511.
Proximus, quis dicatur 91., cur et quomodo diligendus 92.
Prudentia, in quo consistat 510. Virtutes ipsi adnexae 510. Cunctis excellit virtutibus moralibus 511. Ejus dotes *ibid.* Vitia opposita 512. Officium prudentiae a B. Alberto M. recensitum 512.
Prudentia carnis 512.
Puberes, eorum vota irritari possunt 194. 195.
Pudicitia 491.
Pusillanimitas, quid, quale peccatum 465.
Pythonismus, pythonissa 245. 263.

Q.

Quadragesimae jejunium, cur institutum 473., in eo praeter carnem simul prohibentur ova et lacticinia 478.
Quasi contractus 337.
Quasi ecclesiastica bona 328. 329.
Quatuor temporum jejunium 473.
Quietismus Michaëlis Molinos 58.

R.

Radices restitutionis 405.
Rapina 395. 396.
Raptus, species luxuriae 496.
Receptans, quando teneatur ad restitutionem 427.
Reconciliatio inimici, quo ordine et modo facienda 96.
Recursum praebens, v. *Receptans.*
Redemptio a vexatione injusta, quando simonia 276. 277.
Reditus beneficii, bona ecclesiastica 328. Item salaria, quae a gubernio solvuntur pastoribus et canonicis in compensationem bonorum ecclesiasticorum, quae surrepta sunt 328. Reditus stolae ab Ecclesiae ministris jure percipiuntur 327., et sunt bona industrialia 328.
Refectio unica in jejunio 474. et seq., hora refectionis 480.
Regulares, v. *Religiosi.*
Regulas ordinis transgrediens religiosus, quando graviter peccet 549.
Religio, virtus moralis, ejus natura et praestantia 137. 138., necessitas 139., actus 141., vitia opposita 229. S. Augustini admonitio 281.
Religionis cujusvis libertas absoluta, an probanda 44. 45.
Religiosi ad studium perfectionis singulariter obligantur 514., primario per tria vota, secundario per regulas Ordini proprias 549. An sint vere religiosi, qui vota tantum simplicia emiserunt 547.
Obligantur ad horas canonicas 527. Apte dentibus a s. Bernardo comparantur 551. 552.

An superiores religiosorum teneantur sub gravi impedire vel tollere leves subditorum culpas 112., num possint dispensare in votis 190., irritare vota 193. 195., relaxare votum seu juramentum perseverantiae in quibusdam Congregationibus emitti solitum 208., dispensare in jejunio 481.

Religiosus injuste denegans suffragium novitio 448. An graviter peccet, qui de religioso indeterminato alicujus monasterii manifestat grave peccatum 389.

Reliquiae Crucis verae, quomodo venerandae 153. 154. Reliquiae Sanctorum et Beatorum 157. Reliquias et imagines tabernaculo imponere vel ante ostiolum tabernaculi collocare non licet 157. Quid de reliquiis vel imaginibus eorum, qui sanctitatis fama celebres e vita migrarunt 158. — Reliquias furari, quale peccatum 397.

Remissio seu condonatio, excusat a restitutione 445., specialiter a restitutione famae 454., honoris 455., a servanda matrimonii promissione in stupro 451.

Res inventa 335.

Residentia, ad quam obligantur episcopi 542., canonici *ibid.*, parochi 543.

Restitutio, quid sit 403., necessaria est necessitate praecepti ad salutem 403., an semper inculcanda 404., an ex bonis diversi generis facienda 404. Axiomata de restitutione notanda 405. V. *Possessor, Damnificator, Cooperantes, Cooperatio.* Quantum sit restituendum 433., cui 436., quo ordine quoad cooperantes 438., quoad creditores 439., quomodo restituendum 442., quando 444. Causae excusantes 445.

Restitutio ob simoniam 280., ob damnum in bonis animae 447., ob homicidium 449., ob stuprum 450., ob adulterium 452., ob damnum in bonis famae et honoris 453., ob tributa defraudata 456., occasione militiae 458.

Restitutio facienda a beneficiato ob horas neglectas 526., a parocho non residente 543. 544. An facienda a superiore, qui minus dignum vel indignum eligit ad beneficium 317., ab eo, qui venatur aut piscatur contra legis prohibitionem 334.

Restrictio mentalis, quid et quotuplex 304. 305., an licita 305—307.

Retrovenditio 358.

Reus licite potest se sistere judici plectendum 367., an interrogatus semper debeat crimen aperire 561., an possit fugere 562.

Revelatio Dei privata, an et quomodo credenda 7.

Reverentia filiorum erga parentes 558.

Revocatio mandati 423., consilii 425.

Risus immoderatus 508.

Rubricae Breviarii, quomodo obligent 532.

Rusticitas, morum ruditas 508.

S.

Sabbatum, mysteriis plenum 211. 212.

Sacerdos, ejus obligatio ad studium perfectionis 515. et seq. Scientiae sacrae incumbat 505.

Sacramenta, a parocho administranda 545.

Sacrilegium, quid et quotuplex 268. 269. Quibus modis committatur sacr. personale, locale 269., reale 270. Usurpatio ditionis Pontificiae grande sacrilegium 271. Sacrilegii culpa et poena 271. 272. Sacrilegium, luxuriae species 495. 496.

Sagimen diebus esurialibus 484.

Salutatio angelica, scienda 31. Salutatio inimici, an praecepta 96.

Sancti colendi 157. V. *Imagines, Reliquiae.*

Sanctitas in clericis requisita 517.

Scandalum, quid et quotuplex 122. 123., quibus modis committatur 123. et seq., quando vitandum 125. et seq., quantam malitiam involvat 128. Cur et quomodo reparandum 448.

Scholae irreligiosae 555.

Scientia naturalis et fides theologica, quomodo inter se differant 5—12. An de eadem veritate fides simul ac scientia haberi possint 12—14. Clerici scientiae sacrae studeant 505. S. Bernardus de recto sciendi modo 506.

Scribere die festo 226.

Scripta, v. *Literae, Legere, Libri.*

Sculpere die festo 226.

Secretum, triplex, ejus obligatio 307. 308.

Secta, v. *Princeps.* Sectae francomuratoriae finis 40., juramenta 204.

Senex, an teneatur ad unicam refectionem die jejunii 482.

Servitus, quid sit, et an licita 325.

Signa vocationis divinae ad statum sacerdotalem 519., ad statum religiosum 548.

Silentium obsequiosum 293.

Simonia, ejus notio et partitio 272—274. De simonia juris divini 275. et seq. De simonia juris humani 278. 279. Poenae 279. 280.

Simplicitas, v. *Veracitas.*

Simulare falsam fidem 36.

Simulatio, formalis et materialis, an unquam licita 304., quale peccatum *ibid.*

Sobrietas, pars temperantiae 470. 471.

Sodomia 496.

Solidaritas, restituere in solidum 434. 435.

Sollicitudo nimia, quale peccatum 512.

Somnambulismus magneticus 252.

Somnia, an iis fidem habere liceat 246. 247.

Somnus magneticus 251.

Sortes, quid de earum usu 247.

Sortilegium 249.

Spectacula, an eis interesse liceat laicis 509., an clericis 539.

Spes, ejus notio, actus, objectum 57., necessitas 60., vitia opposita 61. S. Bernardus de spe christiana 64.

Spicas colligere, an liceat 336.

Spiritismus, unde nomen, a mesmerismo procreatus 259., quo modo instituatur 260., est operatio diabolica, cujus experimentis operam dare vel interesse, graviter illicitum est 262. Ejus vestigia apud antiquos 263.

Sponsio, an contractus licitus 362.

Status vitae christianae sunt vel status vitae communis vel status perfectionis 513., status perfectionis acquisitae et exercendae, status perfectionis acquirendae 515. Episcopus debet esse in statu perfectionis exercendae et communicandae 540.

Status religiosus. quid ad ejus essentiam requiratur 547. 548.

Stipendium pro functionibus sacris, an permissum 327. 277. An simonia, illas principaliter obire ob stipendium 278.

Stolae proventus, liciti 327., bona industrialia 328.

Studiositas, in quo consistat 504. Literarum studia commendantur 505. Vitia opposita *ibid.* S. Bernardus de recto sciendi modo 506.

Stuprum quoad peccatum 496., quoad restitutionem 450. 451.

Suadere alicui minus malum, an fas sit 125., an exinde restituendi obligatio 425. An suadens modum damnificationis, teneatur ad restitutionem 424. 425.

Subsannatio 394.

Suffragium injustum dans 427., suffragium non praebens 431., suffragium novitio denegans religiosus 448.

Suicidium 466. et seq.

Superbia, duplex 286., est directa aversio a Deo, rebellio contra Deum 287. Ejus filiae *ibid.*

Superflua vitae, status 106. 107., superflua ex beneficio provenientia 328.

Superior, quoad correctionem subditorum 113., detractionem non impediens 390. V. *Episcopus, Parochus, Princeps.*

Superstitio, quid et quotuplex 230—231., sequitur infidelitatem 231.

Surdi, an teneantur ad sacrum frequentandum 216.

Suspicio temeraria 385., quid de peccato 386. 387.

Susurratio 388.
Symbolum Apostolicum, sciendum necessitate praecepti 31.
Synesis 510.

T.

Tabernas ingredi, an clericis liceat 540.
Tabulae rotantes, scribentes 260.
Tactus impudici 494., in ecclesia 269.
Tangere vasa sacra, cui liceat 271.
Temeritas 463.
Temperantia, ejus notio et divisio 470.
Tempus, eliciendi actus fidei 32., spei 61., charitatis 82., orandi 162., implendi votum 182. 183., restituendi 444., horas canonicas recitandi 528.
Tentatio Dei, quid et quale peccatum, quibus modis committatur 263—265.
Testamentum 352. et seq.
Testis, ejus obligationes 562. 563.
Thea, an ejus potus frangat jejunium 475.
Theatra, v. *Spectacula.*
Thesaurus, inventus ad quem pertineat 335.
Timor, v. *Metus.*
Titulus ad praescriptionem 337., tituli ab usura excusantes 349. et seq.
Traditio rei parit jus in re 314. 355.
Transcribere die festo, an liceat 226.
Tributa, duplicis generis 456. Leges ea imponentes in conscientia obligant 456. 457. An semper urgendi ad restitutionem, qui tributa indirecta non solverunt 457.

U.

Unio spiritualis inter amantem et amatum fit per amorem benevolentiae 66.
Usucapio 336.
Usura, quid sit 348., omni jure prohibetur 348., tituli excusantes 349. et seq.
Usurarius, an liceat ab eo mutuum petere 132., eum juvare in numerandis pecuniis etc. 134.
Usurpatio vana nominis Dei et Sanctorum 265. 266.
Uxor, ejus obligationes 554. An possit irritare vota filiorum 194., mariti 195., eleemosynas dare 109. De ejus dominio 333., furto 397.

V.

Valor, v. *Pretium.*
Vasa sacra, cui ea tangere liceat 271., an possint in usum profanum converti 271., vendi 277.
Vectigal, v. *Tributa.*
Venari die festo 226., an liceat clericis 539. An teneatur ad restitutionem, qui venatur contra legis prohibitionem 334., qui venationi prohibitae vacans hominem casu fortuito occidit 369.
Venditio, qualis contractus 355., merx 355., pretium 356., quandoque sine injustitia augeri vel minui potest 357. 358. Venditio per proxenetas (commissarios) 360., an proxeneta excessum pretii, vel ea, quae venditor solo ejus intuitu ipsi cedit, possit sibi retinere *ibid.* Venditio per licitationem 361. 362.
Veracitas, ejus notio, objectum, necessitas 301. 302.
Verba turpia proferre, audire, scribere 495., in ecclesia 269. 270.
Vestes sacrae, an converti possint in usum profanum 271., aut vendi 277. Vestis clericorum 537.
Vexatio daemonum 237. An sit simonia, ab injusta vexatione se pecunia redimere 276.
Vindicatio, justitia vindicativa 312. 316.
Vindictae studium 502., erga inimicos 94.
Vinum, mustum, non frangunt jejunium 475.
Virga divinatoria, ejus usus illicitus 248.
Virginitas 491., ejus praestantia 492., pulchritudo 493.

Visiones, apparitiones diabolicae 238.
Vita propria, quibus mediis, conservanda 88., an alienae vitae praeferenda 99., quoad injustum aggressorem 371. V. *Suicidium, Homicidium.*
Vocatio divina, necessaria ad statum sacerdotalem 518., ejus signa 519., necessaria ad statum religiosum, et illius signa 548. Quid de eo, qui non vocatus sacerdotio se intrudit 519., statum religiosum suscipit, vel divinae vocationi non obsequitur 548.
Votum, notio et partitio 172—174. Conditiones ad votum requisitae 174—180. Obligatio voti 180—185. Voti extinctio ex causis intrinsecis 186., ex causis extrinsecis: commutatio voti 187., dispensatio 189. et seq., irritatio 193. et seq. Vota religiosorum, paupertatis, castitatis et obedientiae 549—551.

Pag.	Lin.	Errata:	Corrige:
5	1 a fine	credendam	credendum
8	14	relatione	revelatione
9	3	revelationis	revelantis
12	6	necessarium	necessariam
16	13	relationis	revelationis
21	8	extrinseca	intrinseca
24		Propositioni addatur:	constans
66	11 a fine	§. 10	§. 13.
82	6	§. 6. n. 9.	§. 6. n. 7.
86	1 a fine	§. 21. n. 3.	§. 21. n. 2.
91	6 a fine	in coeli	in coelis
92	13	aequilitate	aequalitate
98	6 a fine	ud	ut
106	4	Eccl.	Eccli.
108	3	et	est
127	Not. 1	concilia	consilia
141	14	odoratio	adoratio
153	1 a fine	Ex	Ea
154	5 a fine	immaculta	immaculata
205	5	Obligat	Non obligat
213	Not. 2	1841.	1641.
242	2 a fine	verae	vanae
270	10	*de non sacro*	*de sacro*
270	14	*mera*	*mere*
310	17	*fraus* (dolus in verbis), *fallacia* (dolus in facto)	*fraus* (dolus in factis), *fallacia* (dolus in verbis)
887	4 a fine:	imminuit	minuit
416	11	§. 132. n. 5.	§. 132. n. 4.

Apud eundem habentur:

Dubois, H., Hodegus Seminaristarum et juvenum presbyterorum. 454 S. 8° 1866. 2 fl. — 1 Thlr. 10 Sgr.

Kilber, P. Henricus, S. J., Analysis biblica seu universae scripturae sacrae analytica expositio post editionem alteram Parisinam 1856. Editio tertia emendatior et aucta textibus vulgatae ad ordinem analyseos dispositis cura et studio P. Josephi Klinkowstroem S. J.
P. V. Complexa I. Historiam dominicam quatuor Evangeliorum. II. Historiam apostolicam ex actibus apostolorum. III. Historiam propheticam Apocalypseos.
288 S. 5°. 1869. fl. 3.50. — 2 Thlr. 10 Sgr.

Nilles, N. S. J. Prof., De rationibus festorum mobilium utriusque ecclesiae occidentalis atque orientalis commentarius usui clericorum accomodatus. 168 S. gr. 8°. 1868. fl. 1. — 20 Sgr.

Schrader, P. Clemens, S. J., De unitate romana commentarius. Liber II. 558 S. kl. 4°. 1864. fl. 6.50. — 4 Thlr. 15 Sgr.

— — Theses theologicae quas in Vindobonensi academia synopsis instar auditoribus tradidit. Series III. Accedit de praedestinatione commentarius II. 64 S. kl. 4°. 1864. 80 kr. — 16 Sgr.

— — Series IV. Accedit de praedestinatione commentarius III. 77 S. kl. 4°. 1865 fl. 1. — 20 Sgr.

— — Series V. Accedit de gratia actuali commentarius. 41 S. kl. 4°. 1865. fl. 1. — 20 Sgr.

— — Series VI. Accedit de fide utrum imperari ea possit deque libertate conscientiae commentarius dogmaticus. 140 S. kl. 4°. 1868. fl. 1.60. 1 Thlr. 5 Sgr.

— — Series VII. Accedit commentarius de hominum societate generatim. 56 S. kl. 4°. 1869. fl. 1. — 20 Sgr.

— — Oratio funebris quam in laudem excellentissimi, illustrissimi ac reverendissimi domini Josephi Kunszt metropolitae Colocensis etc. etc., in metropolitana ecclesia Colocensi die XI. Aprilis R. S. 1864 dicebat. 52 S. kl. 4°. 80 kr. — 16 Sgr.

Typis Ludovici Mayer, Viennae.

